Superiora sequor.
R.mus Perillustris et Ampl.mus D. D.
AUGUSTINUS ERATH,
Dei Gratia Antiquissimæ Cæsareæ et insignis Ecclesiæ Collegiatæ Canonicorum Regularium ad S. Andream cis Trasenam in Austria Præpositus seu Abbas Canonicus, S. C. M. et Eminent.mi Card. Ep. Passaviensis &c. Consiliarius, SS. Theol. Doctor, Protonotarius Apost. Comes Palatinus Cæsareus.

Hans.

Fig

Appl. 530

DE REBVS VNGARICÆ PROVINCIÆ SAC. ORDINIS PRÆDICATORUM,

F. SIGISMVNDO FERRARIO SS. Theol. Magistro ejusdem Ordinis, Descriptore,

PARTIBUS QUATUOR, ET LIBRIS Octo, Distincti Commentarij.

Viennæ Austriæ, Typis Matthæi Formicæ. 1637

Isaac Sanson f.

DE REBVS HVNGARICÆ PROVINCIÆ ORDINIS PRÆDICATORVM,

PARTIBVS QVATVOR

ET OCTO

LIBRIS DISTRIBVTI COMMENTARII:

BIBLIOTHECA F.F. PRAEDICATORUM CONV. ABARIENSIS

Descriptore

F. SIGISMVNDO FERRARIO, Viglevanense, Sac. Theol. Magistro, in Antiquissima Viennensi Academia Primario Professore; Hungaricæque ejusdem Ordinis Missionis Commissario Generali.

Superiorum Consensu.

VIENNÆ AVSTRIÆ,
Typis Matthæi Formicæ, in Aula Colonienſi, ANNO
M. DC. XXXVII.

FERDINANDO TERTIO

AVSTRIACO, IMPERATORI

MARIÆ

AVSTRIACÆ CONIVGI

ejus dulcissimæ, Imperatrici,

REGIBVS APOSTOLICIS,

Principibus Augustissimis, Invictissimis Catholicæ Ecclesiæ hostium Debellatoribus, Victoribus, Triumphatoribusq;,

Ac Dominis omnium Clementissimis.

BIBLIOTHECA F.F. PRAEDICATORUM CONVENTUS BARIENSIS

NON *erat magnoperè ambigendum, Augustissimi Principes, quibus hoc præsens opusculum inscriberem, & dedicarem: statim enim se se V.V. Majestatum effigies menti meæ ingerebat, plurimis eamque suadentibus, & convincentibus, non posse esse ingratum, quod tam multis rationibus, nominibusq; ipsis deberetur. Tractat*

ſi quidem hoc opus hiſtorias, reſq́ præclaras Sacri Ordinis noſtri vtriuſque ſexus Regni Apoſtolici Vngariæ, olim per S. Stephanum ad Catholicam Fidem converſi: Hujus Vos Reges eſtis; &, vt inter tres, hæc Prima Angelica Corona Sacro Vertici Tuo, Auguſte, tanquam reliquarum omen certiſſimum fuit impoſita, ſic & Tu Auguſta, Secunda, veluti ab Auguſtali præcipua, in hiſce Regni ejuſdem Poſonienſibus Comitijs, ſumma omnium lætitia, & exultatione inaugurariſ..s, & redimiris. Iure itaque merito Majeſt. V.V. Solium adire molitur, ſeſeq́ ſuis Regibus humillimè repræſentat. Auget animus, quòd non profana, tranſitoria; ſed Sacra ſpiritualia, permanentia, virtutes, miracula, & facta heroica, à Regijs, alijſq́ vtriuſque ſexus hominibus perpetrata deſcribat: vt eò juſtiùs debeatur, quò magis conſtat orbi Chriſtiano, V.V. Majeſtates Principes eſſe Pijſſimos, Religioſiſſimos, omniumq́ Chriſtianarum, & heroicarum virtutum ſpecula lucidiſſima. Quamvis enim Regia armorum gloria Imperium Trophæis ornetis, Numinis tamen, & Religionis Cultus Vobis potiora cenſentur, vt meritò Majores Veſtros Sacratiſſimos Imperatores, & Reges, in imagine velut viva repræſentetis, dùm remunerationem in benemeritos, magnificentiam in Religioſas & Eccleſiaſticas perſonas, zelum erga fidem Catholicam, liberalitatem, & beneficentiam in omnes, clementiam erga debellatos hoſtes, reliquaſq́ Pijſſimorum, Religioſiſſimorumq́ Parentum, & Avunculorum felicis: mem: Ferdinandi II. Imperatoris, & Philippi III. Hiſpaniarum Regis virtutes immortales, quas Veſtri amant, & venerantur, exteri ſuſpiciunt, admirantur què, hoſtes timent, & verentur, per omnia exhibetis. Nimis prolixum foret hîc panegyrim texere Victoriarum, & Triumphorum, quibus ſuperioribus

rioribus annis de cunctis Ecclesiæ hostibus, Imperijq; turbatoribus triumphastis. Jam pridem ijsdem applausimus, Nomenquè Vestrum se per hominum ora invexit; historiarum materiam dedistis, Orbi, annalibus, qui bella Vestra recitent, opus est prolixioribus. Sufficiat saltem meminisse illius memorabilissimæ, & glorioſissimæ Victoriæ ante Civitatem Nerlingensem reportatæ. Vbi, Tu Auguste, animo heroico, & prorsus Regio, in propria Persona, Te, veluti alterum Persarum Regem Codrum, pro Religione, & Patriæ liberatione cunctis coadunatis hostibus Tuis objeciſti, & favente Divino Numine, glorioſissimè triumphasti: Suecicum ferrum compressisti; Hæreticos rebelles subjugasti, Religionem, & Regionem recuperasti, Templis Sacra, Sacris Pontifices, Pontificibus exulibus reditum in patriam, & securitatem restituisti: & S.R. Imp. in pristinâ libertatem vindicasti: cunctosq; pios oppressos, inter tot ærumnas, incredibili gaudio, animiq; exultatione respirare feciſti. Nec minùs Tibi hæc accepta referimus, Augusta Sacratiſs: quæ, quamquam in acie corpore præsens non fueris, nec ferro hostes confoderis; mente tamen & virtute non abfuisti, pro prijs, aliorumq; undequaque coactis precibus, & innumeris totius devotionis, & pietatis officijs armata, pugnasti, vicisti, eò feliciùs, quò nec sine hisce armis Tuis, ulla (ausim dicere) de hostibus fuisset reportata victoria. Mâgna *quippè* arma, *vt sæpè ait S. Ioannes Chrysostomus*, sunt preces. *Confligebat sanè manu olim populus Hebræorum cum Amalechitis; sed non nisi Moyse in monte fusis Deum precibus interpellante, funditus profligavit.* Stabat, *inquit S. Episcopus*, Moyses in monte, non armis, sed precibus pugnaturus, stabat extensis manibus ad Cœlum, devoto orans affectu, postulans

Chrisſ. hom. 30. in Geneſ. & hom. 5. de incompre henſib. Dei nat.

auxili-

auxilium de Cœlo. Pugnabat cum hostibus absens; vt, quem loci diversias ab inimicis sejunxerat, orationis effectus bellatorem præsentem hostibus exhiberet. Fit Moyse orante occulta pugna, sed manifesta victoria, latenter dimicat, vt evidenter devincat. Fit Moyse orante victoria: desinit Israel vincere, Moyse desistente in prece, vt dum diversa populis exhiberentur, orationis potentia nobis monstraretur. *& alio loco.* Quomodo Moyses Israeliticum populum in bellis servavit? An non arma quidem cum exercitu discipulo tradidit, ipse verò deprecationem oppositit hostium multitudini? Nos interim docens, preces justorum plus valere, quàm arma, quàm equitatus, quàm pecunias; ideoque vniversus exercitus, & innumera militum multitudo, in deprecatione Prophetæ spem salutis habebat. Siquidem orante Moyse superabant Iudæi, eodem ab orando cessante, inferiores hostibus erant. *Quòd si olim Maria, Moysi & Hebræorum Synagogæ Principis Soror, quæ sanctis de Pharaone, ejusq; exercitu rogatibus victorias comparârat (nam & ideò etiam Prophetissa in Scriptura vocitatur, quòd orationibus fundendis, & decantandis Deo laudibus vacaret) non minus quàm Moyses Choros duxit, egitq; Triumphos: & Te, jure, Maria Augusta Supremorum Catholicæ Ecclesiæ Defensorum Germana, & Conjunx, hisce adeò insignibus, præclarisq; per pias preces Tuas partis toti Imperio, & Orthodoxæ Religioni victoriis, decuit quàm quos maximè triumphare: tibi meritò multiplices maximiq; plausus, & aggratulationes ab omnibus debebantur. Accedit his alia insuper caussa hujus humillimæ dedicationis, quòd jam aliquot annos, Divinum illud Numen, precibus, sa-*

.2. *de orando Deum.*

Oleast. Exodi c. 15.

crificijs, ſupplicationibus Cœlum fatigantes, cuncti orthodoxæ Fidei veri & pij Cultores, vt Vos Auguſtorum Proles, ſuper Auguſtale Solium ſedere faceret, indefeſſè oravimus, ac denique exoravimus, dum, quos pij omnes in cordibus ſuis jam pridem elegerant, ſuſpirabant, anhelabant, indigitabant, unanimi conſenſu, mirifico applauſu, & aggratulatione, incredibili vniverſorum Fidelium gaudio, & voluptate, nuperrimè in Regiam Romanorum Celſitudinem electi, inaugurati, & conſecrati fuiſtis. Cum igitur hinc Vobis, Auguſtiſſimi Principes, à cunctis Orbis Potentatibus, aggratulationes meritò fiant, quanto potiori jure à nobis, quorum Propugnatores, Protectores, & Benefactores eſtis Clementiſſimi, exigantur? Ad manus nihil eſt aliud jam, niſi Libellus iſte, per quem, me, ſimulq; Noſtrum Sacrum Prædicatorum Ordinem Majeſt. V.V. humillimè ſiſto. Munuſculum levidenſe, & Tantis Majeſtatibus, fateor, minime reſpondens. Sed Regia nota humanitas, qua minima etiam munuſcula non reſpuunt, affectum non cenſum, dantis amorem reſpicientes non donum, ſine vllo metu jubet adire. Quod ſi Sinatis hominis ethnici, aquam cavis manibus è proximo flumine muneris loco, cùm nil poſſet ampliùs, offerentis, Rex Artaxerſes, animum illius perpendens, pretioſiſſimam habuit, & in aurea phiala ſervari mandavit: multo magis mihi, meæq; opellæ animus additur, vt per tam tenue obſequium, per hanc veluti è Ciſternam Vngaricam inter medias Acatholicorum, & Turcarum turmas, non ſine ſtudio, laboreq; hauſtam aquam, me V.V. Majeſtatibus offeram, animumq; meum erga eaſdem audeam explicare. Interim poterunt V.V. M M. facilè exorari, & (ſi quando horis ſecretioribus hunc libellum admittere placuerit) perſuaderi, vt

Sac.

Sac. noſtrum Ordinem in Veſtro Vngariæ Regno vtriuſq; ſexus ſtemmate olim florentiſſimum, vitæq; ſanctitate, & miraculorum gloria præclarum, rurſus eò introducere, reſtaurare, & propagare ope ſua efficaciter velint. Erit hoc ad majorem Dei, Cœlitumq; Magnæ Matris, & Reginæ, ſub cujus ſcapulari, tanquam ſingulari præſidio, hic Sacer Ordo militat, gloriam, & honorem. Erit ad propagationem Sacratiſſ: Roſarij ejuſdem Deip. ſub cujus vexillo hæc Sodalitas, (in quam & Vos Auguſtiſſ. Principes inſcripti eſtis) feliciſſimè pugnat, & de cunctis hæreſibus, & hoſtibus viſibilibus ac inviſibilibus ſemper glorioſè triumphat. Illo errores, & vitia eradicabuntur, virtutes incrementa ſuſcipient, terraq; dabit fructum ſuum vberrimum, dum ſemen illud nobiliſſimum, Verbum Caro factum, *per eandem Sodalitatem in hominum cordibus ſeminatum, non minores in Sacro iſto Regno proferet fructus, quàm quot innumerè per omnes Chriſtiani Orbis partes protulit, hactenuſq; proferre non ceſſat. Illo, Vngarici Populi, ceu catena aurea* JESVM, & MARIAM *ſibi propitios devincient, & quaſi clypeo inexpugnabili, vim tartareorum, Tartaricorum, & Turcicorum hoſtium elident. Illo, dum M.M. V.V. præliantur prælia Domini, nos pro expectata victoria deprecabimur. Nec vana erit deprecatio. Nam, ſi* ſagitta Ionathæ nunquam redijt retrorſum, nec declinavit clypeus ejus in bello, *multò minus Dominicæ Orationis, & Angelicæ ſalutationis ſpicula, hocq; Sanctiſſimi Roſarij inexpugnabile ſcutum, quo Sanctiſſimus P. N. Dominicus, in Gallia Regno peſſimam Albigenſium hæreſim miraculoſè olim extinxit: & Pius V. nomine, & re verè pijſſimus Pont. Max. ingentiſſimam Turcarum claſſem anno Chriſti 1571. diſiecit, Dominuſq; quaſi vir pug-*

2. reg. c. 1.

nator,

nator, currum Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare. Nolo hic innumerabilia bona, dona, beneficia, gratias, & victorias, quas Dominus Ecclesiæ suæ Sanctæ toto terrarum Orbe, atq; in Sacro cum primis Romano Imperio, hisce etiam temporibus, per Rosarij preces abundè conferre dignatus est, recensere: alius differendi commodior aliquando locus occurret. Erit denique, in gratiarum actionem, Deo, Magnæq; Cœlitum Reginæ, omnium Victoriarum, præcipuè ab annis XIIX. reportatarum, quas luce meridiana clariùs constat non tam humanas, quàm divinas, & miraculosas fuisse, ceu Arcus Triumphalis. Nos verò, vt uberes hi fructus subsequantur; Deusq; ter. Opt. Max. Deip. V. Beatiq; P. Dominici (è cujus stirpe propagamini) precibus exoratus, M. M. V. V. Augustiß. vnà cum tota Regia, & Archiducali Domo, Ecclesiæ S. & Reip. Christiana quàm diutißimè sospites, florentesq; conservet: porrò & consilia V. V. actionesq; omnes ad Divinam Nominis sui gloriam dirigere, largißimamq; in omnibus benedictionem suam impartiri, & tandem post hanc ærumnosam vitam, easdem super altitudines Cœlorum extollere, & immarcessibilem justitiæ, gloriæq; Coronam conferre dignetur, indefessis nostris & continuis precibus, sacrificijs, pijsq; laboribus, & sudoribus, Divinum Numen indesinenter orabimus. Vienna ex Conv. S. Mariæ Rotundæ Ord. Præd. Idibus Decembris, 1637.

Sacratiss. Cæsar. M. M. V. V.

Humillimus in Christo Servus, & Orator:

F. Sigismundus Ferrarius, Vng. Missionis Ord. Pr. Commiss. Gen.

ILLVSTRISSIMO AC REVE-
rendißimo D. Domino

GEORGIO DRASCOVITIO,

EPISCOPO, ET COMITI JAV-
rienſi, Sac. Cæſareæ Regiæq; Majeſtatis Conſiliario.

Reverendiſſ. ac Illuſtriſſ. Præſul.

IN Panoniam mihi animus jam pridem ibat, & ab eo tempore, quo per Sacram Obedientiam à Superioribus meis in Commiſſarium Generalem, licèt indignus, Ordinis Noſtri Prædicatorij, antiquiſſimæ & olim vtriuſque ſexus florentiſſimæ & Sanctiſſimæ Provinciæ, deſignatus ſum, licèt corpore abſens, & quantùm licuit, aliquoties, pro viribus, & officij meî debito, præſens, animo tamen, & zelo eundem Sac. Ord. inibi rurſus inducendi, continuo indefeſſo ſtudio, & labore minimè abſens fui, quod præſens hoc opus Hiſtoricum, de rebus præclarè geſtis inibi, ſatis ſuperque commonſtrat. Calamum meum equi vicem aſſignavi, quem ceu Legatum in hac Scriptione præmitto, cui vices meas

effecti-

effectivas committo. Primò quidem in ipso ingressu Regni Sacri, Sacræ Cæs. Majest. Regis Solium adire, & Sceptrum supplici veneratione exosculari, & salutare, ordo, & ratio Operis decentissimum esse persuadebant. Verùm ab hoc Solio, ceu Sole Angelicæ Coronæ, ad Mitram Apostolici Regni declinandum erat: proinde Liber Episcopalem benedictionem precepturus adest, Sacræq; Triaræ Tuæ, & Pedo se subijcit, vt ad pedum Tuorum vestigia benedictione Episcopali percepta, majori cum fructu, Authoritate Pontificia per Sac. Reg. amplietur. Dicam candidè. Illud hîc facere instituti mei est in præsenti, vt simul cum Libro, Sacer Ordo introducatur: sed Tua Authoritate, Reverend. & Illust. Præsul, Tuiq; nominis auspicijs. Illuc me non leves movent causæ: animus Tuus, tam in me, quàm in Sacrum Ord. Nostrum Præd. promptissimus, liberalissima Tua beneficentiâ, humanitas singularis, aliæq; virtutes in Te splendentes, mihi jam pridem experto, & alijs sunt notissima: & licèt sponte hic Liber eat, tamen eò magis animus accrescit, quia à Te vltrò provocatus, ansam præbuisti & vt in lucem edi curarem, animasti, & antequam admitteretur, vltrò admisisti. Nolo hîc Nobilissimæ familiæ Tuæ, Majorum Tuorum genealogiam texere, vereor enim illius laudes, ingenij mei culpa obfuscare potiùs, quàm aliquid addere; & constat, hæc ornamenta stemmatum, à Te, non inter prima numerari, sola enim virtus est, quæ verè nobilitat. Studia Tua cum pietate conjuncta, integritas vitæ, aliæq; insignes Virtutes, quæ in Te, ceu speculo, relucent, & publica in Te fama veneratur, Illust:

Præſul, Te verè nobilitant. Quis Tibi animus ſit erga Litteras & Scientias, ſatis oſtendit favor, benevolentia, liberalitas, & humanitas erga eos, quos beneficijs novis, in fundandis atque exſtruendis Collegijs liberaliſſimè cumulare non deſiſtis: & Scientias eâ ingenij felicitate, eâ facundiâ & laude aſſecutus es, vt maximos tam in Philoſophia, quàm in Theol. feceris progreſſus. Teſtantur publici congreſſus, & concertationes, quibus in Iuventute, qualis olim futurus eſſes, ingenij tui inſigne ſpecimen dediſti; teſtantur Sapientiſſimi Tui diſcurſus, quibus Doctiſſimis quibuſq; Eruditionem Tuam inſigniter probas. Hinc factum etiam eſt, vt Nobiliſſimum Stemma Tuum, ſtudio & litteris auctum, & in Illuſtriſſ. Comitum Genealogiam ſit evectum; nimirùm honor Virtute natus, non ſolùm perennat, ſed & augetur. Pietate porrò effeciſti, vt ampliſſima Munia, & Sacræ Mitræ jam aliquoties in hoc Apoſtolico Regno Te ambirent, & non Tu illas; imò ad majora faſtigia honorum videris deſtinatus, ſed parco modeſtiæ, & ſubmiſſioni Tuæ: Virtutum Tuarum catalogum non texo. Liber hic Hiſtoricus agit de Virtutibus, rebuſque geſtis præclaris ab vtriuſque ſexus Sacri Ordinis Noſtri Religioſis, & ideò Tibi Virtutum ſpeculo vel maximè debebatur; horis enim ſecretioribus admittendo eum, magna animi voluptate agnoſces perfectionem, & Sanctitatem, ad quàm quotidie magnis paſſibus, & conatibus aſpiras, & contendis; ideam Tui contemplaberis, qui Divinis ac Cæleſtibus animum exerces, & accendis, atque hinc habebis ceu ſpeculum, quo Te ipſum intuearis. Hanc igitur effigiem Virtutum Reve-

rend.

rend. ac Illuſtriſſ. Dominationi Tuæ offero, dicoque; vt Liber in Sacræ Cæſ. Majeſt. tanquàm Regij Supremique brachij ſæcularis, & ſimul in Ampliſſimi Pontificij brachij ſpiritualis tutela, tanquàm à duobus Cherubinis terreſtribus, felicibus Auſpicijs protectus, tantò inveniat ferventiores Lectores, quantò potentiores & illuſtriores amore Virtutum, ac perfectionis ardentiores habuerit Patronos. Hoc etiam modo, animi mei inſtitutum, & hujus humillimæ Inſcriptioois intentum, vt rurſus in Sacro iſto Regno Sacer Noſter Ordo Prædicatorius introducatur, aſſecuturum omninò confido: injunctam mihi Obedientiam pro viribus exequi, diu noctuque meditor; ab vna parte, Charitate vrgente, & altera, Sacra Obedientia mandante, duplicis valoris meritum explere intendo: non mea, ſed quæ Ordinis ſunt, ſpecto, qui olim primò in Tua Epiſcopali Reſidentia initia cæpit, vbi prima fundamenta hujus Hiſtoriæ, Sanctitatis, & Virtutum jacta ſunt, vnde poſt tot vberes fructus in toto iſto Regno pullularunt. Tuo auxilio, Tuis auſpicijs fretus, ô Reverendiſſime Præſul, idem omnino in eadem Diœceſi Tua futurum confido: ſic opto, oro & voveo, ô Votum fiat fatum. Interim Deum Opt. Max. quod meum eſt, vt omnia Vota Tua & mea ſecundet, fortunetque, precatus, Sacrumq; Ord. Noſt. Reverend. ac Illuſtriſſ. Tuæ Dominationi ſubmiſſiſſimè commendo. Vien. idibus Decemb. Anno 1637.

Reverend. ac Illuſt. D. T.

Obſequentiſsimus Cliens,

F. Sigiſmundus Ferrarius.

I.

FACVLTAS REVERENDISSIMI Magistri Ordinis.

Fr. NICOLAVS RODVLFIVS, totius Ordinis Prædicatorum Gen. Mag.

REv. adm. P. Magistro Fr. Sigismundo Ferrario Viglevanensi, in nostro Viennensi Conventu Studiorum Regenti, facultatem facimus, quantùm in nobis est, imò & in Sanctæ obedientiæ meritum mandamus, vt Historiam de rebus Hungaricis nostri Ordinis, quam conscripsit, & in magnam populi Christiani ædificationem cessuram intelligimus, quamprimùm excudi curet, & in lucem prodire: servatis servandis, juxta præscriptum S. Concilij Tridentini, Indicis regulas, nostriqúe Ordinis leges. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, die 24. Martij, 1635.

Fr. Nicolaus Magister Ordinis, manu prop.
Locus Sigilli.

Reg. folio 329.
F. Adrianus de Genua, Mag. & Socius.

II.

APPROBATIONES.

COmmentarios de rebus Hungariæ Ordinis Prædicatorum, ab admodum Reverendo & Eximio Patre Fr. Sigismundo Ferrario ejusdem Ordinis S. Theologiæ Magistro, in Facultate Theologica Vniversitatis Viennensis Sacræ scripturæ primario Professore, & Seniore, Studij Generalis Viennensis ejusdem Ordinis quondam Regente, nunc

autem

autem Hungaricæ ejusdem Ordinis Missionis Commissario, & Procuratore generali, elaboratos, ego infrascriptus cum magna animi voluptate perlegi; & in eis nil fidei, aut bonis moribus contrarium; quinimò mirificos fructus in Hungaria ab Ordine Prædicatorum olim partos, plura memoratu digna in manuscriptis hactenus chartulis delitescentia, ab eodem, ne oblivione perirent, eruta, & vt vno verbo dicam, rarum & singularem pro reparanda Hungarica Provincia dicti Patris Magistri Commissarij zelum ex eis collegi; vt proinde eos juremerito lucem aspicere posse existimem. Actum Viennæ in Conventu nostro S. Mariæ ad Rotundam, 23. Novembris, 1637.

Fr. Iacobus Plenck, Ord. Præd. S. Theolog. Professor, & Studij Viennensis dicti Ordinis Regens.

III.

NOn ferrum, aut plumbum, sed aurum & argentum, gemmasq; pretiosas Ferrarius noster *exhibet, gloriosa nimirùm Martyrum trophæa, fulgentes Confessorum ac Doctorum gemmas, lectissimas Sacrarum Virginum margaritas. In his proinde* Rerum Hungaricarum Ord. Præd. Commentarijs, Adm. Rev. ac Eximio P. Fr. Sigismundo Ferrario Ord. ejusdem S S. Theol. Magistro &c. Descriptore, *cùm accuratè, & qua potui diligentiâ, eos perlegissem, nihil inveni, quod doctrinæ Sanctæ Matris Ecclesiæ, bonisque moribus adversetur; quin immò omnia concinna, pia, & ad salutem animarum plurimùm conducentia in eis deprehendi. Opus proinde dignissimum judico, quod pro communi vtilitate, nostriq; Ordinis splendore, publicam lucem aspiciat. Actum die 23. Novembris, anno* 1637.

Ita testor

Ego Fr. Antoninus Saur, Ord. Præd. in Conventu Viennensi S S. Theol. Lector.

IV.

Historiam Illustrium vtriusq; sexus Personarum sacri Ordinis Praedicatorum, quæ in florentissimo quondam Hungariæ Regno, vitæ sanctitate, zelo Apostolico, verbi & doctrinæ gloriâ, martyrio, miraculis, dignitatibus Ecclesiasticis &c. claruerunt, ab Adm. Rev. & Exmio Patre Fr. Sigismundo Ferrario, ejusdem Ordinis SS. Theologiæ Magistro, & in almâ Vniversitate Viennensi Professore Primario, præfatiq; sacri Ordinis per Hungariam Commissario Generali, conscriptum, legendo percurri: in eaq; nihil reperi, quod sacræ Fidei nostræ, probatisq; moribus contrarium jure censeri possit; sed potiùs, cùm & mira lectionis, gestorum, exemplorumq; varietate delectet, & plurimùm insuper conducere possit, tam ad excitandum Spiritum Patrum nostrorum in filijs & posteris, quàm ad restaurandum affectum pristinum Inclytæ Nationis Hungaricæ, erga sacram Beatissimi Patris nostri Dominici Religionem, per quam Deus Opt. Max. tanta olim magnalia, in omnibus Amplissimi hujus Regni Provincijs ac ditionibus operari dignatus est, magno cum fructu, publicis typis mandari posse, & debere judico. In quorum fidem, præsentes manupropria scriptas dedi. In arce Rohoncensi Illust. Comitis Adami de Batthyan, Quarto Calendas Julij, Anno, à Virginis partu, Millesimo sexcentesimo trigesimoseptimo.

Fr. Paulus Tannaman, Ord. Præd.
SS. Theol. Præsentatus.

Imprimantur.

Authoritate, & licentia Georgij VVeinzerle Doctoris, & p. t. Vniversitatis Rectoris.

21. *Novembris* 636.

INDEX OPERIS TOTIVS.

PRÆFATIO.

Prima Pars, Liber vnicus.

De Initio, & Propagatione Ordinis Prædicatorum in Hungaria.

Cap. I. De Regionis Hungaricæ præstantia.

Cap. II. Quo anno, & sub quo Rege, Ordo Prædicatorum cœperit in Hungaria.

Cap. III. Per quos Religiosos viros Ordo Prædicatorum in Hungaria fundatus fuerit.

Cap. IV. De Profectu Fratrum in Hungaria, infidelium q, Cumanorum potissimùm, conversione.

Cap. V. De felici transitu B. Pauli cum alijs nonaginta Fratribus in Cœlum per palmam Martyrij.

Cap. VI. De alia Cumanorum profugorum in Hungariam per Fratres Ordinis conversione, Beatiq, Pauli sobole plurima in eadem Hungaria Martyrio coronata.

Cap. VII. De Viro Principe in sæculo, Martyre clarissimo, à Tartaris in eadem vastatione trucidato, hactenus ano-

nymo, nunc verò, Autoris sententia, Buz ad Banffio nuncupato.

Cap. IIX. De Martyrum magno numero brevissimo temporum spatio, & Martyrij primatu, quo Hungariæ Provincia, præcæteris Ordinis Prædicatorum Provincijs, gaudet.

Cap. IX. De alijs pluribus ex Hungariæ Provincia per eadem tempora Martyrio Candidatis.

Cap. X. De felici B. Sadochi, B. Pauli Coapostoli, Sociorumq; ejus quadraginta octo agone.

Cap. XI. Miracula S. P. Dominici, quibus eisdem temporibus Ordo Prædicatorum in Hungaria est propagatus, in suscitationibus mortuorum.

Cap. XII. Alia miracula, circa eadem tempora per S. P. Dominicum patrata.

Cap. XIII. Refutatio oppositionis hæreticorum contra prænarrata miracula: ratio amoris B. P. Dominici in Hungaricam nationem, vicissimq; hujus in illum devotio.

PARS SECVNDA, LIBER Primus.

DE VIRIS SANCTITATE citrà Martyrium eximiis.

De Beato Ioanne Teutonico, Provinciali Hungariæ, & Episcopo Bossinensi.

Cap. I. Patria, profectus, status Religiosus.

Cap. II. Prædicationis ejus fructus, & miracula.

Cap. III. Zelus, & Caſtitas.
Cap. IV. Prælecturæ illius Eccleſiaſticæ.
Cap. V. Geſta ſub ejus ſupremo totius Ordinis Magiſtratu.
Cap. VI. Miracula, & mors.
Cap. VII. Regum Hungariæ, Belæ IV. & Mariæ ejus Conjugis, pro Beato Ioanne, literæ.

De Fr. Gerardo, F. Marcello, alijſque duobus Fratribus Cumano, & Hungaro, innominatis.

Cap. VIII. F. Gerardus Hungarus.
Cap. IX. F. Marcellus Hungarus.
Cap. X. Fr. N. Cumanus.
Cap. XI. Fr. N. Hungarus.

De Beato Auguſtino Hungaro, Epiſcopo Zagrabienſe, & demum Lucerino.

Cap. XII. Profeſſio in Ord. Præd. Studia, Epiſcopatus.
Cap. XIII. Miracula ejus coram S. Pont. geſta & alia.
Cap. XIV. Multa & inſignia ejus miracula poſt mortem.
Cap. XV. Miracula ævo noſtro patrata.
Cap. XVI. Devotio populorum ad B. Auguſtinum, ejuſq; ſepulchrum, atq; reliquias.
Cap. XVII. Quid de illius patria ſentiant autores.
Cap. XIIX. Officium, in feſto B. Auguſtini, 3. ſc. Auguſti, Luceriæ à Fratribus Prædicatoribus recitari, & decantari, Ioannis 22. Sum. Pont. indulto, ſolitum.

De Beato Mauritio Hungaro.

Cap. XIX. Beati Mauritij Regium genus : ortusq; ejus à B. Virg. Deipara prænunciatus.
Cap XX. Indoles, studia, Prædicatoriæ Religionis amplexus.
Cap. XXI. Virtutes illius, & exercitia.
Cap. XXII. Miracula, quibus illum Deus viventem decoravit.
Cap. XXIII. Pretiosa mors B. Mauritij, prodigijs, visionibus, miraculisq; illustrata.
Cap. XXIV. Annotationes ad vitam B. Mauritij.
Cap. XXV. De Fratre Charo, sive Carolo Hungaro, B. Mauritij germano.

De Beato Ioanne Dominici, Florentino, Archiepiscopo Ragusino, & S. R. E. Cardinali, qui Legatus de Latere in Hungariam, Budæ mortuus, ac sepultus, miraculis ibi clarvit.

Cap. XXVI. Ortus, & educatio B. Ioannis Dominici.
Cap. XXVII. Studia illius, & exercitia.
Cap. XXVIII. Ingressus in Ordinem Prædicatorum.
Cap. XXIX. Profectus in relgiosis moribus, vitaq; austeritate.
Cap. XXX. Profectus in studijs.
Cap. XXXI. Concionandi præstantia, & humilitas.
Cap. XXXII. Qualis in Præfecturis Ordinis, ad quas invitus promotus.
Cap. XXXIII. Quòd Magisterium, sive Doctoratum recusaverit : quantæ etiam virtutis sermo ejus, & pradicatio.
Cap. XXXIV. Primus in Italia religiosæ observantiæ instaurator.

Cap. XXXV. Commendatio S. Vincentij Ferrarij de B. Joannis præstantia: libri ab eo editi, vis prædicationis.
Cap. XXXVI. Ad dignitates Ecclesiasticas pro Ecclesiæ necessitatibus promotio,
Cap. XXXVII. Ad res Ecclesiæ componendas seriò agit cum Gregorio XII. vt Pontificatui resignet.
Cap. XXXIIX. Legatus iterum pergit ad Sigismundum, Regem Romanorum, & Hungarorum.
Cap. XXXIX. Cardinalis Ragusinus, cum Carolo Malatesta ad Concilium Constantiense accedit.
Cap. XL. Quid egerit Joannes pro Schismate tollendo, in Concilio.
Cap. XLI. Quanta autoritate apud Regem Romanorum.
Cap. XLII. Sigismundus, Joannem à Martino Pontifice Legatum postulat in Hungariam, contra hæreses recèns exortas.
Cap. XLIII. Legatus, remedio frustra tentato in hæreticos, Budam se confert, vbi infirmatur, moritur q.
Cap. XLIV. Funus, & miracula ejus post mortem.
Cap. XLV. Encomia nonnulla, quibus B. Joannes Dominici à Sancto Antonino, aliisq. celebratus est.

LIBER SECVNDVS.

De Sanctimonialibus, quæ mira Sanctitate fulserunt.

De Beata Helena Hungara, Virgine.

Cap. I. Vita B. Helenæ prorsus admiranda.

Cap. II. *Quòd B. Helena, Magistra fuerit Sanctissimæ Virginis Regiæ Margaritæ.*
Cap. III. *Monumenta, & autores, quibus B. Helenæ stigmata comprobantur.*

De Beata Margarita, Belæ IV. Regis Hungariæ filia, Virgine Sanctissima.

Cap. IV. *Ortus Sanctissimæ Virginis Margaritæ.*
Cap. V. *Educatio, pietas, ac Prophetia in tenella ætatula.*
Cap. VI. *Quadrimula Sac. Ordinem Præd. ingressa, Virtutibus fulget.*
Cap. VII. *In novum Monasterium à Patre extructum inducitur.*
Cap. VIII. *Professa, quàm egregiè Virtutibus claruerit.*
Cap. IX. *Lecti, vestiumq; asperitas, cilicij, & disciplinarum usus.*
Cap. X. *Virginalis puritatis cultrix insignis.*
Cap. XI. *Paupertate, & obedientia præstans.*
Cap. XII. *Mira ejus humilitas, & mansuetudo.*
Cap. XIII. *Charitas ad Proximos.*
Cap. XIV. *Cultus, & devotio in Sanctos.*
Cap. XV. *Studium orandi perpetuum.*
Cap. XVI. *Devotio ejus ad divinissimam Eucharistiam, & præparatio.*
Cap. XVII. *Proficiendi desiderium, & documenta.*
Cap. XIIX. *Peccatis, & ærumnis humanis, vehementer discruciabatur.*
Cap. XIX. *Martyrij desiderium.*
Cap. XX. *Donum Prophetiæ.*

Cap. XXI. *Vltima ægritudo, & Mors B. Margaritæ.*
Cap. XXII. *Gloria ejus varijs de Cœlo teſtimonijs oſtenſa.*
Cap. XXIII. *Funus, & Corporis Virginei fragrantia.*
Cap. XXIV. *Miracula Sanctæ Margaritæ.*
Cap. XXV. *Miracula facta in Vita.*
Parag. I. *Circa Lucem, & Corpora Cœleſtia. III.*
Parag. II. *Circa Ignem, Aerem, & Aquam. V.*
Parag. III. *Circa Res artefactas. II.*
Parag. IV. *Circa ægritudines V.*
Parag. V. *Ob confidentiam ad B. V. Marg. adhuc viventem, quidam à varijs periculis liberatus.*
Cap. XXVI. *Miracula poſt mortem ejus patrata.*
Parag. I. *Febre laborantes, curati. VIII.*
Parag. II. *Contracti. III.*
Parag. III. *Aridis membris. I.*
Parag. IV. *Immobiles. I.*
Parag. V. *Leproſi. II.*
Parag. VI. *Podagrici. II.*
Parag. VII. *Epileptici. II.*
Parag. VIII. *Inſani. III.*
Parag. IX. *Cæci, viſuq; laborantes. V.*
Parag. X. *Qui loquendi uſum amiſerant. I.*
Parag. XI. *Dentium dolore laborantes I.*
Parag. XII. *Diſſenteria, & Cephalalgia vexati. I.*
Parag. XIII. *Languidi. I.*
Parag. XIV. *Dæmoniaci. I.*
Parag. XV. *Carcere detenti. I.*
Parag. XVI. *Ad mortem infirmi, & agonizantes. IV.*
Parag. XVII. *Mortui ſuſcitati. II.*

Parag. XIIX. *Puellaris ſexus in virilem permutatus I.*
Hoc quidem nobis exciderat, dum miracula deſcriberentur: factum tamen S. V. Marg. precibus, ex Reſp. IIX. officij ejuſdem Virg. manifeſtum eſt, quo ſic dicitur, O ſpectanda ſæculo novo res miraculo, geſtu ſingularis, votum
pag. 349. mater aſtruit, viri ſexum induit forma puellaris.
Cap. XXVII. *De tractatu Canonizationis B. Virg. Margaritæ.*
Cap. XXVIII. *Indiculus eorum, qui pro ferendo teſtimonio de B. V. Margaritæ ſanctitate, & ſignis, examinati à Commiſſarijs S. Pontificis, vel aliàs eadem per ſe atteſtati ſunt.*
Parag. I. *Nomina Sororum.*
Parag. II. *Nomina Venerandorum Patrum, Virorum Illuſtrium, & ex vulgo hominum, qui ſuper Sanctitate B. V. Marg. teſtimonia dederunt.*
Cap. XXIX. *De Corpore, Reliquijſq; S. Virg. Margaritæ.*
Cap. XXX. *Laudes, & præconia, quibus S. Virgo Margarita à Scriptoribus celebratur.*
Cap. XXXI. *Indulgentiæ, conceſſæ viſitantibus Corpus B. Virginis Margaritæ.*
Cap. XXXII. *Officium in Feſto B. Margaritæ, die 18. Januarij decantari ſolitum ab Ordine Prædicatorum in Hungaria.*
Cap. XXXIII. *Carmina de Sancta Margarita, à Domino Franciſco Szegedi, alijſq; decantata.*
Cap. XXXIV. *Matthiæ Corvini, Regis Hungariæ, ad Papam Pium II. & Collegium Cardinalium pro Canonizatione B. Margaritæ, Literæ.*

Cap. XXXV. De Sorore Eliſabetha, Filia Stephan V. Regis Hungariæ.
Cap. XXXVI. De Sorore Eliſabetha, Filia Andreæ III. Regis Vngariæ.
Cap. XXXVII. Gradus Conſanguinitatis inter recenſitas Regias Virgines, aliaſq; Sanctitate per eadem tempora ex ipſamet Regia Vngarica ſtirpe inſignes perſonas.

Pars Tertia,

LIBER PRIMVS.

De viris Eccleſiaſtica Dignitate præclaris.

Cap. I. Quantæ excellentiæ Paſtores, & Rectores Eccleſiæ, quantumq; ex eis, Religioſis Ordinibus ornamenti accedat.
Cap. II. Supremarum Eccleſiaſticarum dignitatum diſtinctio.
Cap. III. Cardinales.
Cap. IV. Archiepiſcopi.
Cap. V. Epiſcopi.
Cap. VI. Epiſcopi, Nuncij, & Inquiſitores Pontificij, Regumq; Legati.

Liber Secundus.

De Sancti Officij contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus in Hungaria.

Cap. I. Quid Sanctum Inquisitionis Officium: à quo institutum: quis Primus omnium Inquisitor: quantùm in eo laboraverit Ordo Prædicatorum: quantopere hæreticis hominibus invisum.

Cap. II. Quo tempore S. Inquisitionis Officium inductum in Hungariam, quique primi inibi Inquisitores extiterint.

Cap. III. Egregia quædam ab Inquisitoribus in Hungaria Regno patrata.

Cap. IV. Missos in Hungariam aliquando speciales Inquisitores ab Apostolica sede.

Cap. V. Quousque Sanctæ Inquisitionis Officium perduraverit in Hungaria.

Cap. VI. Rebus Hungariæ deploratis, Fr. Antoninus à Grosupto, S. Th. Doctor, pro illa, aliisque plagis, S. Officij Commissarius Apostolicus designatur.

Cap. VII. Extare adhuc in Regnis Dalmatiæ, & Illyrici, quæ olim sub Hungariæ Provinciæ ambitu continebantur, Sacrosanctæ Inquisitionis Officium.

Liber Tertius.

De Doctoribus, atque Scriptoribus.

Cap. I. Doctorum, Scriptorumque nobilitas, & præstantia.

Cap. II. Plurimos viros eruditissimos, etiam Doctoratus insignibus condecoratos, extitisse in Provincia Hungariæ, qui libros non ediderint.

Cap. III. Scriptores singuli describuntur.

Liber Quartus.

De Muneribus, pro Ecclesia, Regnique Vngarici bono à Fratribus Prædicatoribus susceptis. Ea per annorum seriem, quantùm Authoris diligentiæ licuit, describuntur.

PARS QVARTA.

Liber Vnicus.

Cap. I. Provinciæ Vngaricæ initium, primus Provincialis, locus.

Cap. II. Conventus Provinciæ Hungaricæ.

Cap. III. Collegia, Studia generalia, sive Vniversitaies.

Cap. IV. Loca, sive Vicariatus.

Cap. V. Sanctimonialium Monasteria.

Cap. VI. De Generalibus Capitulis habitis in Provincia Vngariæ.

Cap. VII, De B. Virginis Deiparæ Rosarij Sacratißimi in Hungaria instituto

Cap. VIII. De Peregrinantium Societate.

Cap. IX. De Provinciæ Vngaricæ reformatione.

Cap. X. De Inclinatione, reparatione, & eversione ejusdem Provinciæ.

Cap. XI. Acta, vt Ordo Prædicatorum iterum restitueretur in Hungaria.

APPENDIX.

Vita B. Auguſtini Epiſcopi Zagrabienſis, & Lucerini, à Dn. Epiſcopo Joanne Tomco conſcripta, & à F. Sigiſmundo Ferrario recognita, & publicata.

Propugnatio Martyrij Fratrum Predicatorum, qui à Tartaris ab anno Chriſti 1241. in Cumania, & Vngaria peremptifuere.

Nonnulla ad Commentarios de Rebus Vngarica Provincia Ord. Prad. annotationes.

PRÆFATIO.

Optime Lector. Magnam semper extitisse ad sobriè, justè, & piè vivendum in hoc seculo, historiæ de rebus à viris sapientia, prudentia, & sanctitate præclaris optimè gestis conscriptæ vtilitatem, vt merito sanè eam magistram vitæ dicere possimus, nullus æquus æstimator ignorat. Hinc insignis ille Mathathias hostium intolerabilem arrogantiam, impendentes calamitates, & bella sæva perpendens, filios suos Principes populi, ad fortitudinem, innocentiã, obedientiam, fidem, Zelum, pietatem, omnemq; virtutem pro victoria, dignitate, gloria, fœlicitateq; consequenda, morti occurrens, ex sacris annalibus depromptis exemplis, sic hortabatur: *Nunc ergo, ò filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum vestrorum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis nomen magnum, & nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad justitiam? Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus Ægypti. Phinees Pater noster, Zelando Zelum Dei, accepit testamentum Sacerdotij æterni. Iesus, dum* 1. Macha. 2.

impleuit verbum, factus eſt Dux in Iſrael. Caleb, dum teſtificatur in Eccleſia, accepit hæreditatem. David in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſecula. Elias dum Zelat Zelum legis, receptus eſt in cœlum. Ananias, & Azarias, & Miſael credentes liberati ſunt de flamma. Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonis. & ita cogitate per generationem, & generationem, quia omnes, qui ſperant in eum, non infirmantur. & qui pro Mathathia ſurrexit filius eius Iudas Machabæus, belli, militiæq; Princeps, paternæ virtutis, & ſpiritus hæres, ad eorundem Patrum geſta pro ſpe liberationis, & victoriæ de adverſarijs certiſſimè conſequendæ ſuos provocabat: *Mementote qualiter ſalui facti ſunt Patres noſtri in mari rubro, cum ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo: & nunc clamemus in cœlum, & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti Patrum noſtrorum, & conteret exercitum iſtum anteſaciem noſtram hodie.* David etiam Vates Regius, rerum à Deo hebræaquè gente patratarum compendium carmine exequens, magnifico illo vſus exordio, *Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio, quanta audiuimus, & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis, non ſunt occultata*, vel vt Cajetanus, Pagninus, Vatablus, Arias, Muyſius, & alij verterunt, *non negabimus, occultabimus, celabimus, abſcondemus à filijs eorum, vt cognoſcat generatio altera*, poſteritas; *filij* etiam, *qui naſcentur, & exurgent, narrabunt*, narrent *filijs ſuis*: cauſſam totius narrationis, ſcriptioniſq;, eam eſſe ſubjecit, vt opera illa præ oculis ſemper habentes, non malos, atq; perverſos, ſed juſtos quoſq; & optimos æmularentur, ſpem, fiduciamq; omnem in ſolo vero Deo

1. Mac. c. 4.

Pſ. 77.

ro Deo collocarent, legem ejus atq; præcepta ſincero corde ſeruantes quàm ſanctiſſimè vitam inſtituerent. *Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata ejus exquirant: ne fiant ſicut Patres eorum generatio praua, & exaſperans.* Ionathas ſummus Sacerdos, adverſus anguſtias, & prælia, ſe, ſuoſq; aſſidua ſacrarum hiſtoriarum lectione conſolari ſolitos fuiſſe teſtatur, ajens, *Nos habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris.* ne enim ſolatio deſtituerentur, è manibus non dimittebant. Magna etenim ſpei, ſolatijq; acceſſio de divinæ clementiæ ope fieri ſolet qualibuſcumq; calamitoſæ vitæ hujus ærumnis afflictis hominibus, dum ex certiſſimis monumentis intelligunt, Deum, à malo recedentes, & bona facientes, ſeq; timentes ſemper protexiſſe, liberaſſe, glorificaſſe. Ob hanc cauſſam, Moyſen Dei Prophetam Hebræis ab Ægyptia tyrannide oppreſſis, S. Iobi vitam, & exaraſſe, & ſcripto à ſe traditam vſquè legendam præbuiſſe, ex antiqua traditione refert Origenes, cujus verba digna planè ſunt, quæ hic attexantur. *Inuenimus,* inquit, *in antiquorum dictis, quòd, cum Magnus ille Moyſes à Deo in Ægyptum fuiſſet miſſus, & vehementem afflictionem filiorum Iſrael videret, & conſolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis, qua illos Ægyptij affligebant, minime valeret, & vehementes illos, atq; terribiles Iob dolores pro conſolatione illis enarrauit, nec non & in ſcriptura eos ponens, ad huc cum eſſent recentiores, illi populo dederit, vt per cognationes, & tribus ſuas hæc legentes, & vehementes, atq; terribiles illos beati illius viri dolores audirent, ſicq; ſe inuicem conſolarentur, & cum patientia atq; gratiarum actio-*

p. Maca. c. 12.

Orig. l. p. in c. p. Iob

nibus, mala, quæ eos circumdederant, ſufferrent, & vt bonam remunerationem Domini, quam Iob poſt tolerantiam largitus eſt, audientes, etiam ipſi liberationem ſperarent, & beneficia beatæ mercedis laborum ſuorum expectarent. Blandè enim & benignè ad eos loquens dicebat. Conſtantes eſtote filij Iſrael, animæquiores eſtote poſteritas Abrahæ, ſuſtinete dolores, ſufferte hæc mala, quia & olim erat quidam homo in terra Hus, cui nomen erat Iob, qui cum eſſet juſtus, & verax, & ſine querela, ingentes ſuſtinuit dolores, amara ſupportauit tormenta propter nequiſſimi diaboli inuidiam. Ita & vos modo à Pharaone vexamini, ab Ægyptijs oppreſſionem patimini, cum omnino non comprobemini peccatores; ſed hæc patientes in juſtè, ne deficeritis, neq; ſuccubueritis, ſed ſufferte conſtanter, atq; viriliter; erit namq; & vobis liberatio, quemadmodum & illi. Reddetur etiam & vobis retributio hujus tribulationis ſicut & illi reddita eſt. Si vos, quos honorabiles, atq; diuites eſſe oportebat propter Patrum bonitatem, atq; diuitias, inhonorabiles, atq; egeni effecti eſtis, nolite expaueſcere, quia etiam præfatus hic vir Iob de ſede regali, & glorioſa ad ſterquilinium deuolutus eſt cum ignominia, ex immenſis diuitijs, atq; opulentia ad miſerabilem paupertatem immutatus eſt. Si Ægyptij, quos amicos eſſe oportuerat propter gratiam Ioſeph, atq; ſinceritatem Iſrael, ad inimicorum nequitiam immutati ſunt, nec vobis ſit mirum, quia & Iob boni illi ſodales, qui ei deuoti, atq; integri amici eſſe debuerant, ad inimicitiam conuerſi ſunt. Idipſum ſequutus Paulus Doctor gentium, vt fideles ad fratrum infirmitates æquo animo tolerandas, & contra calumnias, opprobria, & adverſa quæq; confirmet, oſtendatq; vnde in anguſtijs conſolari, ſpemq; erigere poſſint, altiori

eos consilio ad Christi Domini passiones ex Sanctis scripturis perpendendas amandat. *Debemus*, ait, *nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisq; vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptũ est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quæcumq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Ad Rom. c. 15. Nec sacri, & Canonici dumtaxat, sed & Ecclesiasticæ historiæ libri, piorum hominum vitas, seriemq; gestorum continentes, ad omnem vitæ rectitudinem, sanctitatemq; informant, & movent. Nam S. Augustinum Ecclesiæ lumen, ex audita Magni Antonij vita, quæ apud Treveros in Gallijs reperta fuerat, ex Manichæorum hæresi, & voluptatum illecebris, ad fidem Catholicam, vitæq; sanctimoniam inflammatum fuisse, constat ex ijs, quæ tunc ipse se dixisse, ac fecisse memorat. *Quid*, inquiebat, *patimur? Quid est hoc, quod audisti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cũ doctrinis nostris ecce vbi volutamur in carne, & sanguine. An quia præcesserunt, pudet sequi, & non pudet nec saltem sequi?* lib. 8. confess. c. 8. Cumq; post ingentes lacrymas, atq; suspiria vocem cum cantu divinitus audisset, *Tolle lege, Tolle lege*: intelligens sibi juberi, vt ad exemplum Antonij, (qui ex evangelica lectione illa, cui forte supervenerat, *Vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me*, quasi illa sibi dicta essent, per omnia obtemperans, vniversis bonis in pauperes erogatis, vt vni Deo vacaret, in solitudinem se recepit) aperiret codicem apostolicum, & quod primùm oc- Ibid. c. 12. Mat. c. 9.

curre-

curreret, legeret, & sibi dictum acciperet, arripuit, aperuit, legit : *Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in concupiscentijs.* & statim cum fine hujusmodi sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi ejus, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt: relictaq; spe, & cura hujus seculi, ad Deum conversus est. Et ne plura de alijs exempla congeram, quæ sunt innumera, Beatum Mauritium Hungarum, è Regio stemmate nobilissimum, virumq; ex N. Ordine sanctissimum, ad monasticam vitam capessendam ex narratione vitæ Sancti Alexij Romani incitatum fuisse tradunt gestorum ejus scriptores, è quibus Leander sic ait : *Venit aliquando in oppidum Vgnedeum vir quidam ex Diui Dominici Prædicatoribus, vita, & religione conspicuus. Hoc vbi Mauritius cognouit, continuò sese ad eum contulit, & flexis genibus aliquādiù coram eo mansit, petens suppliciter, vt suis precibus apud Omnipotentem Deum se adjuvaret, & viri alicujus sancti vitam sibi narraret, quòd audire talia libentissimè soleret. exosculatus ille ingenium & tantam in puero probitatem, morem ei continuò gessit, & Diui Alexij vitam recensuit, quam puer antea numquàm audierat. Cumq; attentè nimium narrantem audiret, adeo illi cor emollitum est incredibili dulcedine tacto eorum, quæ recensebantur, vt lacrymas tenere non posset. Quare tunc primùm, sicut ex eo postea multi audierunt, decreuit opportuno tempore monasticam vitam inire.* S. Vincentius Ferrarius, vt sibi ad omnem virtutem, & perfectionem viam pararet, ab initio sui in ordine tyrocinij Sanctissimi Patriarchæ

Ad Rom. 13.

L. Alb li. 5. de vir. ill. Ord. Prad.

Domi-

Dominici vitam legendam proposuit, tantumq; profecit, vt dignus tanto Parente Filius, & vir planè apostolici pectoris, & Spiritus, potens in opere, & sermone, summisq; Ecclesiæ Pristinæ viris compar evaserit. Quò alluſit author Ecclesiasticorum hymnorum, qui pro ejus solemnitate decantantur.

Flore primæuo nitidæ iuuentæ
Eligens puræ documenta vitæ,
Ordinis magnum imitans parentem
Prædicatorum. *In Breuiar. Prædicator.*

Et: *Signa, quæ magnis patuere terris,*
Te probant amplis meritis refertum,
Ac viris celsis fore comparandum
Temporis acti.

Sanctissima Virgo Margarita, Belæ Quarti Hungariæ Regis Filia, Virginum, Princípumq; Decus, Sanctorum vitarum lectione mirum in modum delectata, ad omnes virtutum gradus gloriosè conscendit, martyrij desiderio flagravit, alijs ad perfectionem comparandam eandem lectionem persuasit. Quòd si Aloysius Luisinus, inter medicos haud ignobilis, ad mores animi componendos, jubebat juvenes accuratè legere vitas Philosophorum, quos à D. O. M. mundo in eum finē datos esse diceret, proindeq; gratias habendas esse Diogeni Laertio, qui eas scriptis memoriæ mādavit: multo certè potiori ratione cunctorū animi ad Sanctorum gesta legenda pro moribus efformandis, vitæq; ratione perficienda excitandi sunt, quanto ad hæc præstantior, & efficaciór vera virtus est, quàm vmbra duntaxat quædam ipsius, qualis illa Philo- *De comp. animi affect. li. 2. c. 15.*

sophi-

ſophica, cum abſquè Charitate, neque etiam habitus moralium virtutum acquiſitarum veram virtutis rationem obtineant, vt probatioribus Theologis eſt exploratum. 22. q. 23. art. 7. Porrò rationem exhujuſcemodi lectione proficiendi, perfectioniſq; acquirendæ, Magnus Baſilius, non minus eleganter, quàm eruditè perſtrinxit, cum ad Theologum ſcriberet illis verbis. *Quemadmodum pictores quando imaginem ex propoſita imagine pingunt, crebrò ad exemplar reſpicientes, figuram illius ad artis ſuæ induſtriam transferre ſatagunt: ita oportet eum, qui omnium virtutum partibus abſolutum ſeſe præſtare conatur, ad vitas Sanctorum, tamquàm ad vivas quaſdam, & agiles ſtatuas aſpicere, & quod illi benè geſſerunt, peculiare ſibi per imitationem facere.* Baſil. ep. p. ad Theol. Hanc rationem inivit S. Antonius, de quo ſcribit Athanaſius, tanto virtutum ſtudio in cenſum fuiſſe, vt quemcumq; videret, legeret, audiret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari ſtuderet. Quo factum eſt, vt nihil eo continentius, nihil vigilantius eſſet. Patientia, manſuetudine, miſericordia, humilitate, labore, ac ſtudio divinarum ſcripturarum omnes ſuperaret. Athanaſ. in vita Ant. Idem factitavit S. Hyacinthus Polonorum Taumaturgus, qui, vt ait Clemens octavus, Papa, vivendi rationem, quam à Sanctiſſimo Patre Dominico, tanquam è puriſſimo fonte hauſerat, ad extremum vſq; diem ſanctiſſimè ſervavit. Nihil igitur eo demiſſius, nihil modeſtius, nihil purius, nihil candidius fuit, vt qui Virginitatis pulcherrimum florem in cœlum reportarit. Charitate erga proximos ardenti flagrabat. ſeſe ſingulis noctibus vſq; ad ſangninis effuſionem affligebat. mira invictu continentia, omnes ſextas ferias, vigi- Clem. 8 in bulla Canoniz. eius.

lias etiam B. Mariæ, & Apostolorum solo pane, & aqua jejunabat. Totas noctes in templo fundendis ad Deum precibus insomnis propè consumebat. Et si quandò inedia, ac sopore fessis membris somnum capere cogebatur, aut stans lapidi tantùm altaris innixus, aut humi prostratus quiescebat. Quicquid verò temporis vacuum illi ab oratione supererat, id omne partim colendis sacris studijs, partim habendis sacris concionibus, vel confessionibus audiendis, aut alijs pietatis operibus impendebat. Hæc omnia ex archetypo illo vitæ Sanctissimi Patris Dominici in se ipsum vir ille divinus ita derivavit, vt simillimam per omnia parenti prolem exprimeret; tantùm valet hæc imitatio. Ista me permoverunt, (Lector optime) vt quæcumq; ex varia lectione, & sedula animadversione de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum ad Provinciam Hungariæ spectantia, ijs cum primis, qui in signi quadam sanctitatis, dignitatis, eruditionis, ac Zeli orthodoxæ fidei laude floruerunt, (quoad per varias occupationes licuit) collegissem, ea vno complexa commentario in lucem emitterem, sperans vel meo experimẽto aliquibus placitura. Possum enim verè affirmare, me, quoties ardentem illam sitim, ac Zelum salutis animarum Beati Pauli Hungari, Sanctissimi Patris Dominici discipuli, & martyris inclyti, sociorumq; ejus considero, totum ad eandẽ in maxima messe hungarica procurandã inardescere: in vitæ laboribus, & exitu me illis similem fieri maximè cupere, illudq; ingeminare, *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Quin etiam, quoties aliorum, tàm virorum, quàm mulierum, potissi- num. 23.

mùm Sanctiſſimæ Virginis Margaritæ præclaras actiones percurro, non ſine lacrymis, ad Dei, religioſæq; perfectionis amorem ignes mihi maximos excitari. Accedit, quòd cum peculiari quadam propenſione Hungaricam nationem ſemper dilexerim, adeoq; juvenes Hungaros Viennæ habitum Sanctæ Religionis noſtræ flagitantes, ſemper, quantũ in me fuit, apud ſuperiores promoverim, ea ſpe, vt aliquandò veræ pietatis, & ſolidæ eruditionis armis inſtructi, per patriam excurrentes, contra infidelitatis, vitiorumq; monſtra pro Deo militare, & Ordinem ſacrum in eundem finem promovere poſſent, (vt interim omittam demandatã comiſſamq; mihi (licèt indigno) à Reverendiſſ. Patre Magiſtro Generali totius Ordinis N. Fr. Nicolao Rodulfio, viro planè Apoſtolico, & veterum illorum S. P. Dominici ſucceſſorum ſimillimo, pro eodem Ordine in Hungaria excitando provinciã) æquum eſſe videbatur, vt aliquot eis domeſtica exemplaria, quibus magis accenderentur ad imitandum proponerem: præcipuè, cùm de omnibus cæteris ferè Provincijs peculiaribus editis voluminibus, eo ſolatio Hungaricam deſtitutam viderem.

Quòd ſi cupido lectori non adeò fortè ſatisfecero, vt optaret, veniam mihi tamen ab eo benevolè condonandam haudquamq; diffido; qui prudenter advertat, non omnia, quæcumq; præſtantiſſimè geſta ſunt, ad poſteritatem deveniſſe. Nam cùm in illo ferventiſſimo ſpiritus Ordinis Prædicatorum ardore, antiquitas virisomni ſanctitate, & doctrina clariſſimis abundarit, quæ contingebant egregia, quaſi quotidiano vſu comunia, poſteris ſuis mandare neglexit. Notavit hoc ipſum ſcitè Ioannes Antonius

Apud Leand.

tonius Flaminius, qui, cùm de B. Alberti Magni gestis historiam contexeret, & insignibus miraculis, testimonio Thomæ Cantipratani, Episcopi, claruisse diceret, èquibus pleraq; fuissent silentio prætermissa, caussam subijciens, ajebat: *Nec talia curabant ejus ætatis Patres, cum plurimi essent, qui miraculis clari haberentur: Nec in tanto Sanctorum hominum numero magni tunc res erat.* Neq; ea sola est caussa, sed & alia, quam Eminentiss. S. R. E. Cardinalis Pazman sapienter expressit. Quia nimirum *inter acerbissimas Hungarici Regni Clades, quibus supra integrum seculũ illius incolæ conflictantur, non postrema censenda sit archiuorum jactura. Cum enim immanis Solymanni Turcarum Imperatoris potentia, torrentis instar, vno quasi impetu, eoq; inopinato Regem Ludovicum secundum vnà cum flore Ecclesiastici, at secularis Ordinis obruisset, totamq; vastitate complexset Hungariam, quisq; salutis suæ, quàm scripturarum potiorèm curam gerens, fuga sibi consulendo, curas chartarum insuper habuit. Exusta igitur, disiecta, discerpta, quæ thesauri instar seruata oportebat.* Porrò opus hoc in quatuor partes distinximus, in prima de initio Ordinis Prædicatorum in Hungaria, adeoq; de viris Martyrij laurea insignibus. In secunda de viris alijs, mulieribusq; sanctitate præclaris. In Tertia de viris in Dignitate Ecclesiastica constitutis, Sancti officij Inquisitoribus, Magistris, Doctoribus, grauioribusq; functionibus pro Ecclesia susceptis. In Quarta de monasterijs virorum, ac mulierum, Capitulis generalibus, Societate ad infidelium partes peregrinantium, Reformationibus, alijsq; id genus tractabitur. Boni consule Pie, & Opt. Lector: ac si quid prætermissum, aut etiam

l. 3. f. III.

App. I ad Syn. Strig.

præpoſterè poſitum offenderis, communica, & emenda; precibuſq; tuis me miſerrimum peccatorem, Deo Vni, ac Trino, atquè totius ejuſdem adorandiſſimæ Triados auguſtiſſimo Triclinio, Beatiſſimæ Virgini Matri, Hungariæ, & noſtri Ordinis Patronæ, pro quorum honore, & gloria hæc qnaliacumq; elaborare conati ſumus, parem vicem habiturus, benè commenda. Vale.



DE REBVS HVNGARICÆ PROVINCIÆ SACRI ORDINIS PRÆDICATORVM.

Pars Prima, Liber Vnicus.

CAPVT PRIMVM.

De Regionis Hungaricæ præstantia.

HVngariam Europæ Septentrionalis Regionem clarissimam, cum ea orbis Provincia, quæ olim Pannonia dicta est, non ex toto prorsus conuenire, melior, communiorq; sententia tenet. Ea namque quamuis citrà Danubium porrigatur, Austriam tamen, & Styriam, quæ olim ad inferiorem Pannoniã spectabant, excludit, & vltra Danubium transgressa, in Poloniam vsq; protenditur, habetq; terminos ab ortu Alutam flumen, ab occasu Austriam, & Styriam, à meridie Savm, ab aquilone Carpathios montes, à Polonia, & Moldavia eam disterminantes. Dividitur in citeriorem, quæ citrà, & vlterio-

rem,

rem, quæ vltrà Danubium continetur. Pannoniam à *Pannone* Noetico nepote, qui primus in ea regnaverit, non nulli dictam existimant; alij à *pane*, quo vescuntur homines, ob soli fœcunditatem; alij à *Pane*, quem vetustas finxit Deum esse pastorum, ob eandem causam: alij quòd Pannones Pæones Græcis dicerentur, nuncupationem derivant. Hungariam verò ab Hunnis, (qui ex Scytharum genere defluxerunt) varijs temporibus Pannoniam invadentibus, ac denique Attyla Duce, suo illam imperio subigentibus, appellatam scribunt, êquibus Geysa, primus Princeps orthodoxa fide illustris, Sanctum Stephanum filium suum, qui primus Rex Hungariæ fuit, successorem reliquit. Porrò Hungaricæ gentis Imperium, multò latius, quàm ipsa Hungaria protedebatur; etiam Mœsiam, Dardaniam, Dalmatiam, Illyricum, Rassiam, & vtramq; Bulgariam complectens. Longitudo, atq; latitudo terrarum, quas Matthias Hungariæ Rex possidebat, tanta, erat Petro Ranzano teste, vt quaquaversùm tenderes, non minus octingentis millibus romanorum passuũ iter conficeres. Hungaria ambitus magnitudine, situs elegantia, copia rerum omnium florentissima est. Agrorum enim vbertas tanta, vt cumulis, & acervis vix campi ipsi sufficiant. Quium, boum, omnisq; generis pecorum ea multitudo, quæ alienas Provincias, Boemiam, Germaniam, Italiamq; singulis annis plurimis armentorum millibus reficiat, & tamen integros campi, & pastores greges in abundantissimã carnium copiam habeant. Feris, & avibus sic affluit, vt rusticis venatione, vel aucupio interdicere insolens sit: nec ferè plebeij homines, mi-

nusquam

nuſquàm nobiles leporibus, damis, cervis, apris, turdis, perdicibus, phaſianis, alijſq; hujusmodi delicijs veſcantur. Sinuoſis, profundis, latis, rapidis, piſcoſiſſimiſq; fluvijs, Tibiſco, Danubio, Savo, Dravo hinc inde cingitur, ex quibus Tibiſcum tertia ſui parte varijs piſcium generibus decurrere, vt ferè quàm minimò veneant, ac propemodùm gratis dentur, fide digni ſcriptores affirmant. Lacus duos habet nobiliſſimos, Balatonem, tredecim milliariorum longitudinis, & Fertoum, non æquæ longitudinis, ſed majoris latitudinis. Vini feraciſſima, quod claritate, fragrantia, ſvavitate cum cretico poſſit decertare. Magnæ, multæq; ibi ferri, æris, chalybis, cupri, argenti, auri, puritate, ſplendoreq; inſignis fodinæ. In aliquibus fluminibus auri puri ramenta inveniuntur; &, quod mirabile eſt, in vineis, (ait Ranzanus) in aurifero loco ſatis, aureæ virgunculæ, & ad digiti, & ad ſemipedis longitudinem quandoq; leguntur: cujus generis complures idem author ſe vidiſſe teſtatur. Qui etiam refert haud procùl ab vrbe Caſſovia rivum eſſe, in quem immiſſum ferrum mutetur in cuprum: & ad aliquot millia paſſuum ſupra eandem vrbem gigni cryſtallum, genuſq; illud lapillorum, qui vocantur Topatij. Optimum quoq; metallicum ſalem, qui in morem lapidis in varia fruſtra diſſectus, ad diverſas partes deuehitur, tellus progignit. Thermis ſalubberrimis prædita eſt, præcipuè apud Budam, quæ Hungariæ Regia fuit, & vix vlli Europæ totius Vrbi cæſſerit, vel amœnitate ſitus, vel cœli ſalubritate, vel fœcunditate ſoli, vel aliarum quarumlibet rerum vitæ degendæ condicibilium, aut etiam ad ſplendorem, & luxum pertinen-

tium

tium vbertate. Hæc, & alia complura Ranzanus, Surius, Oratores ad Regem Poloniæ Sigismundum, alijq; de Inclyta regione tradiderunt. Vt proindè haud immeritò Sigismundus Hungariæ, & Romanorum Rex, ac deniq; Cæsar Augustus ad Ioannem 23. scribens, illam sic commendauerit: *Peculiare Regnum nostrum, gloriosa videlicet Hungaria, locorum amœnitate conspicua, situum habitudine speciosa, exuberanti rerum affluentia copiosè pollens, delectabilem indigenis, & aduenis sub diuersitate linguarum, & nationum exhibet incolatum: in quo jucunditatem, & exultationem thesaurizando omnium diuitiarum temporalium, nulli in orbe terrarum secundus, suauiter deduci, delectabiliter viuere, & fœciter regnase possemus.* Viros Clarissimos, qui etiam Romani Imperij gubernacula tenuerunt, non parcè dedit. Decius namq; nobilissimis Parentibus, Iouinianus Varroniano, Valentinianus, & Valens Gratiano Patre orti, Pannones fuerunt. Gens Hungarica bello semper inclyta, vtqua nulla alia Christiani nominis natio Turcarum arma magis exercuerit, nulla rursus magis ab his exercita sit, quæ ad octingentos annos pro sua & communi Christianorum quiete, continentèr eorum fines non sine cruentissimo certamine propugnauit. Præstantibus doctrina, & ingenio viris abundauit, hodièq; abundat; mirumq; est, quanto conatu, nec minore profectu, in Academijs, dies, noctesq; ad studia omnium disciplinarum incumbant. Norunt, qui Romæ, Græcij, Viennæ, Tirnaviæ, (Transdanubianæ Hungariæ Vrbis, in qua omniũ bonarum artium & scientiarum Vniversitas, Eminentiss. Cardinalis Petri Pazmanni, Archiepiscopi Strigoniensis

Pet. Ranz. Epit. de reb. Hung. Surius de reb. in orbe gestis. a. 1541. p. 170. & seq

extat. Epist. apud Bzouium tomo 15 a. 1414 n. 6.

Ioan. Bapti. Aegn. de vitis Imperat.

muni-

munificentia, nuper anno Dom. 1635. in Collegio Patrum Societatis Iesu erecta est) alibiq; rem propiùs aspexerunt. Hinc ad Ecclesiæ gubernacula, ad Cæsaris consilia, aliaq; ardua, Hungarici cùm primis Regni, negotia pertractanda quàm honorificè assumuntur. Ac, (quod omnium caput est) viros habuit per omnem ætatem sanctitate insignes, è quibus cùm primis effulgent: Sanctus Pollio Martyr, de quo in Rom. Martyrol. 4. cal. Maij sic scribitur: *In Pannonia Sancti Pollionis Martyris, qui sub Diocletiano Imperatore illustre martyrium peregit.* Et in Martyrologio Petri Galesinij, ita: *In Pannonia Sancti Pollionis Martyris, qui Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, in Christi stadio luctatus, grauibus certaminibus præclarè obeundis, egregium fidei testimonium profuso sanguine dedit.* S. Martinus Sabariensis, Turonensis Episcopus, celeberrimæ sanctitatis fulgore, non provinciam, aut regnum, sed Ecclesiam totam, vniversumq; terrarũ orbem illustrans. Is *Prophetis compar, Apostolis consors, Præsulum gemma, fide, & meritis egregius, pietate mirabilis, charitate ineffabilis*, succurrit omnibus illum invocantibus. Pièq; creditur, ejus factum esse meritis, atq; virtute, vt cum omnes Hungarorũ Civitates, oppida, & loca lues hæretica ab vno infœlicissimo seculo, & ampliùs, sensim infecerit, vnica Sabaria illæsa penitus in fide Catholica semper fuerit custoditа. S. Laurianus, Hispalensis Archiepiscopus, qui ex nobilibus Parentibus Pannonibus, paganis tamen, in Pannonia natus, puer Mediolanum appulsus, ibidem suscepto baptismatè educatus, sacris litteris imbutus, & Diaconatu initiatus est: inde Hispalim Hispaniæ Vrbem illustrissi-

Mart. Rom.

Mart. Galesi.

Eccle-sia in off. S. Mart.

ſtriſſimam ſecedens, Maximo ejuſdem Vrbis Epiſcopo ſucceſſit. Cumq; ſingulari doctrina, & vita, & ſanctitate Catholicam fidem adverſus Arianos ſtrenuè propugnaret, à Totila Gothorum Rege, Ariano, perſecutionem paſſus, tandem poſt peregrinationes ad Vrbem, aliaſq; regiones Angeli monitu ſuſceptas, per ſicarios ab eodem Totila ſubmiſſos obtruncatus eſt; multiſq; & inſignibus, vivens, ac mortuus miraculis coruſcavit. Paſſum ferunt ad annum Chriſti 944. ejus meminit Rom. Martyrol. quarta Iulij, vbi Baronius; & poſt alios Petrus Ribadeneyra Societatis Ieſu, ejus vitam conſcripſit.

Bar. in not. Rib. p. 2. fl. SS 4. Iul.

S. Stephanus Hungarus, primus Hungarorum Rex, & Apoſtolus appellatus, qui tanta erga Rom. Eccleſiam extitit pietate, vt ei Hungaricum Regnum peculiaris clientelæ, vel etiam donationis jure collatum addixerit; propterea q; Regni coronam jam Polonorum Principi præparatam, meruerit à Sylveſtro ſecundo ſum. Pont. monente Angelo, miſſam accipere. Hinc præclarus ille *Apoſtolici* titulus, quo etiam nûm inſigniuntur, in Hungariæ Reges derivatus. Ab hoc Sancto Rege in Beatiſſimam Virginem Deiparam devotiſſimo, adeò celebris ejuſdem Magnæ Matris apud Hungaros honor, & gloria promanauit, vt *Regni Hungarici Patrona, ac Domina* peculiari elogio vocitetur. Quare feſtum etiam Aſſumptionis eius, tacito nomine proprio, *Diem Dominæ*, Hungari ſoliti ſunt nuncupare. Mortuus eſt anno Chriſti 1038. S. Emericus, S. Stephani ex Giſela Pij Imperatoris ſorore filius, ab ineunte ætate, vigilijs, divinis laudibus, pijſq; exercitijs deditus: in ipſo adoleſcentiæ flore, divino miraculo præmonitus, Virgini-

legeBa. ron. a. 1000. n. 12. & 19. ac 20.

Chart. in vita S. Ste. apud Baron. a. 1002 n. 11.

ex lib. eſſ. pr.

tatis

tatis pudorem perpetuò colendum ſuſcepit, & ad mortem vſq; illibatum ſeruauit, regiæ Virginis integritate, quam volente Patre deſponſauerat, intacta. Ob cujus virtutis cuſtodiam cœlitus aſſecutus eſt, vt ſecreta caſtitatis aliorum perurideret. Patre, (qui illum Regem deſignare cupiebat) in viuis relicto, migrauit in cœlum. multiſq; miraculis coruſcans, vnà cum patre Stephano à Benedicto octauo albo ſanctorum inſcriptus eſt. Sanctus Ladislaus, primus ejus nominis Hungariæ Rex, Bela Primo ex filia Regis Poloniæ progenitus, humilitate, rerum diuinarum contemplatione, cunctiſq; virtutibus inſignis; viuens, & mortuus miraculis clarus, quiquè Dalmatiã, & Croatiam Regno Hungariæ adjunxit: à Cœleſtino Tertio in ſanctorum numerũ relatus, mortuus eſt an. 1095. S. Eliſabetha, Andreæ ſecundi Regis Hungariæ Filia, quæ à teneris annis ſanctè, & religiosè vixit. Nupta deinde Ludouico, Landgrauio Turingiæ, viro nobiliſſimo, tam ſanctè, & piè Deum colebat, vt ſuo exemplo maritum ad ſanctitatem, & vitæ perfectionem induxerit. orationi aſſiduè vacabat, viduis, pupillis, ægrotis, carcere detentis, pauperibus benignè ſubveniebat. mortuo marito, proprijs ſumptibus Xenodochium maximum conſtruxit ad pauperes ægrotantes alendos, eis non ſolum neceſſaria ſubminiſtrans, ſed ipſamet ſanioſis aliquorum vlceribus admouens medicamenta. Patrimonio, partim hiſce vſibus inſumpto, partim à conſanguineis demortui mariti ſubſtracto, in pauperiem redacta, lanam, & linum operando, manibus, quod egenis tribueret, quærebat. Atq; ita vita Sanctiſſimè tranſacta, plurimis, maximiſq; miraculis illuſtris evolauit

SS. Regni Hung.

V. Bar. a. 1030 a. 1031

ex cod. libell. offic.

S. Anton. 3. p. tit. 19. c. 11. Bz. a. 1235. Breu. Dominic.

mùm Sanctiſſimæ Virginis Margaritæ præclaras actiones percurro, non ſine lacrymis, ad Dei, religioſæq; perfectionis amorem ignes mihi maximos excitari. Accedit, quòd cum peculiari quadam propenſione Hungaricam nationem ſemper dilexerim, adeoq; juvenes Hungaros Viennæ habitum Sanctæ Religionis noſtræ flagitantes, ſemper, quantũ in me fuit, apud ſuperiores promoverim, ea ſpe, vt aliquandò veræ pietatis, & ſolidæ eruditionis armis inſtructi, per patriam excurrentes, contra infidelitatis, vitiorumq; monſtra pro Deo militare, & Ordinem ſacrum in eundem finem promovere poſſent, (vt interim omittam demandatã comiſſamq; mihi (licèt indigno) à Reverendiſſ. Patre Magiſtro Generali totius Ordinis N. Fr. Nicolao Rodulfio, viro planè Apoſtolico, & veterum illorum S. P. Dominici ſucceſſorum ſimillimo, pro eodem Ordine in Hungaria excitando provinciã) æquum eſſe videbatur, vt aliquot eis domeſtica exemplaria, quibus magis accenderentur ad imitandum proponerem: præcipuè, cùm de omnibus cæteris ferè Provincijs peculiaribus editis voluminibus, eo ſolatio Hungaricam deſtitutam viderem.

Quòd ſi cupido lectori non adeò fortè ſatisfecero, vt optaret, veniam mihi tamen ab eo benevolè condonandam haud quamq; diffido; qui prudentèr advertat, non omnia, quæcumq; præſtantiſſimè geſta ſunt, ad poſteritatem deveniſſe. Nam cùm in illo ferventiſſimo ſpiritus Ordinis Prædicatorum ardore, antiquitas viris omni ſanctitate, & doctrina clariſſimis abundarit, quæ contingebant egregia, quaſi quotidiano vſu comunia, poſteris ſuis mandare neglexit. Notavit hoc ipſum ſcitè Ioannes Antonius

Apud Leand.

tonius Flaminius, qui, cum de B. Alberti Magni gestis historiam contexeret, & insignibus miraculis, testimonio Thomæ Cantipratani, Episcopi, claruisse diceret, è quibus pleraq; fuissent silentio prætermissa, caussam subijciens, ajebat: *Nec talia curabant ejus ætatis Patres, cum plurimi essent, qui miraculis clari haberentur: Nec in tanto Sanctorum hominum numero magni tunc res erat.* Neq; ea sola est caussa, sed & alia, quam Eminentiss. S. R. E. Cardinalis Pazman sapienter expressit. Quia nimirum *inter acerbissimas Hungarici Regni Clades, quibus supra integrum seculũ illius incolæ conflictantur, non postrema censenda sit archiuorum jactura. Cum enim immanis Solymanni Turtarum Imperatoris potentia, torrentis instar, vno quasi impetu, eoq; inopinato Regem Ludovicum secundum vnà cum flore Ecclesiastici, at secularis Ordinis obruisset, totamq; vastitate complesset Hungariam, quisq; salutis suæ, quàm scripturarum potiorem curam gerens, fuga sibi consulendo, curas chartarum insuper habuit. Exusta igitur, dissecta, discerpta, quæ thesauri instar seruata oportebat.* Porrò opus hoc in quatuor partes distinximus, in prima de initio Ordinis Prædicatorum in Hungaria, adeoq; de viris Martyrij laurea insignibus. In secunda de viris alijs, mulieribusq; sanctitate præclaris. In Tertia de viris in Dignitate Ecclesiastica constitutis, Sancti officij Inquisitoribus, Magistris, Doctoribus, grauioribusq; functionibus pro Ecclesia susceptis. In Quarta de monasterijs virorum, ac mulierum, Capitulis generalibus, Societate ad infidelium partes peregrinantium, Reformationibus, alijsq; id genus tractabitur. Boni consule Pie, & Opt. Lector: ac si quid prætermissum, aut etiam

l. 3. f. 111.

App. 1. ad Syn. Strig.

præpostere positum offenderis, communica, & emenda; precibusq; tuis me miserrimum peccatorem, Deo Vni, ac Trino, atquè totius ejusdem adorandissimæ Triados augustissimo Triclinio, Beatissimæ Virgini Matri, Hungariæ, & nostri Ordinis Patronæ, pro quorum honore, & gloria hæc qualiacumq; elaborare conati sumus, parem vicem habiturus, benè commenda. Vale.

DE REBVS HVNGARICÆ PROVINCIÆ SACRI ORDINIS PRÆDICATORVM.

Pars Prima, Liber Vnicus.

CAPVT PRIMVM.

De Regionis Hungaricæ præstantia.

HVngariam Europæ Septentrionalis Regionem clarissimam, cum ea orbis Provincia, quæ olim Pannonia dicta est, non ex toto prorsus conuenire, melior, communiorq; sententia tenet. Ea namque quamuis citrà Danubium porrigatur, Austriam tamen, & Styriam, quæ olim ad inferiorem Pannoniã spectabant, excludit, & vltra Danubium transgressa, in Poloniam vsq; protenditur, habetq; terminos ab ortu Alutam flumen, ab occasu Austriam, & Styriam, à meridie Savm, ab aquilone Carpathios montes, à Polonia, & Moldavia eam disterminantes. Dividitur in citeriorem, quæ citrà, & vlterio-

rem,

rem, quæ vltrà Danubium continetur. Pannoniam à *Pannone* Noetico nepote, qui primus in ea regnaverit, non nulli dictam existimant; alij à *pane*, quo vescuntur homines, ob soli fœcunditatem; alij à *Pane*, quem vetustas finxit Deum esse pastorum, ob eandem causam: alij quòd Pannones Pæones Græcis dicerentur, nuncupationem derivant. Hungariam verò ab Hunnis, (qui ex Scytharum genere defluxerunt) varijs temporibus Pannoniam invadentibus, ac denique Attyla Duce, suo illam imperio subigentibus, appellatam scribunt, ê quibus Geysa, primus Princeps orthodoxa fide illustris, Sanctum Stephanum filium suum, qui primus Rex Hungariæ fuit, successorem reliquit. Porrò Hungaricæ gentis Imperium, multò latius, quàm ipsa Hungaria protedebatur; etiam Mœsiam, Dardaniam, Dalmatiam, Illyricum, Rassiam, & vtramq; Bulgariam complectens. Longitudo, atq; latitudo terrarum, quas Matthias Hungariæ Rex possidebat, tanta, erat Petro Ranzano teste, vt quaquaversùm tenderes, non minus octingentis millibus romanorum passuũ iter conficeres. Hungaria ambitus magnitudine, situs elegantia, copia rerum omnium florentissima est. Agrorum enim vbertas tanta, vt cumulis, & acervis vix campi ipsi sufficiant. Ouium, boum, omnisq; generis pecorum ea multitudo, quæ alienas Provincias, Boemiam, Germaniam, Italiamq; singulis annis plurimis armentorum millibus reficiat, & tamen integros campi, & pastores greges in abundantissimã carnium copiam habeant. Feris, & avibus sic affluit, vt rusticis venatione, vel aucupio interdicere insolens sit: nec ferè plebeij homines, mi-

nuſquàm nobiles leporibus, damis, cervis, apris, turdis, perdicibus, phaſianis, alijſq; hujusmodi delicijs veſcantur. Sinuoſis, profundis, latis, rapidis, piſcoſiſſimiſq; fluvijs, Tibiſco, Danubio, Savo, Dravo hinc inde cingitur, ex quibus Tibiſcum tertia ſui parte varijs piſcium generibus decurrere, vt ferè quàm minimò veneant, ac propemodùm gratis dentur, fide digni ſcriptores affirmant. Lacus duos habet nobiliſſimos, Balatonem, tredecim milliariorum longitudinis, & Fertoum, non æquæ longitudinis, ſed majoris latitudinis. Vini feraciſſima, quod claritate, fragrantia, ſvavitate cum cretico poſſit decertare. Magnæ, multæq; ibi ferri, æris, chalybis, cupri, argenti, auri, puritate, ſplendoreq; inſignis fodinæ. In aliquibus fluminibus auri puri ramenta inveniuntur; &, quod mirabile eſt, in vineis, (ait Ranzanus) in aurifero loco ſatis, aureæ virgunculæ, & ad digiti, & ad ſemipedis longitudinem quandoq; leguntur: cujus generis complures idem author ſe vidiſſe teſtatur. Qui etiam refert haud procùl ab vrbe Caſſovia rivum eſſe, in quem immiſſum ferrum muteturin cuprum: & ad aliquot millia paſſuum ſupra eandem vrbem gignicryſtallum, genuſq; illud lapillorum, qui vocantur Topatij. Optimum quoq; metallicum ſalem, qui in morem lapidis in varia fruſtra diſſectus, ad diverſas partes deuehitur, tellus progignit. Thermis ſalubberrimis prædita eſt, præcipuè apud Budam, quæ Hungariæ Regia fuit, & vix vlli Europæ totius Vrbi cæſſerit, vel amœnitate ſitus, vel cœli ſalubritate, vel fœcunditate ſoli, vel aliarum quarumlibet rerum vitæ degendæ condicibilium, aut etiam ad ſplendorem, & luxum pertinen-

tium

Pet. Ranz. Epit. de reb. Hung. Surius de reb. in orbe gestis. a. 1541. p. 170. & seq

tium vbertate. Hæc, & alia complura Ranzanus, Surius, Oratores ad Regem Poloniæ Sigismundum, alijq; de Inclyta regione tradiderunt. Vt proindè haud immeritò Sigismundus Hungariæ, & Romanorum Rex, ac deniq; Cæsar Augustus ad Ioannem 23. scribens, illam sic commendauerit: *Peculiare Regnum nostrum, glorioſa videlicet Hungaria, locorum amœnitate conſpicua, ſituum habitudine ſpecioſa, exuberanti rerum affluentia copioſè pollens, delectabilem indigenis, & aduenis ſub diuerſitate linguarum, & nationum exhibet incolatum: in quo jucunditatem, & exultationem theſaurizando omnium diuitiarum temporalium, nulli in orbe terrarum ſecundus, ſuauiter deduci, delectabiliter viuere, & fœciter regnase poſſemus.* Viros Clariſſimos, qui etiam Romani Imperij gubernacula tenuerunt, non parcè dedit. Decius namq; nobiliſſimis Parentibus, Iovinianus Varroniano, Valentinianus, & Valens Gratiano Patre orti, Pannones fuerunt. Gens Hungarica bello ſemper inclyta, vtqua nulla alia Chriſtiani nominis natio Turcarum arma magis exercuerit, nulla rurſus magis ab his exercita ſit, quæ ad octingentos annos pro ſua & communi Chriſtianorum quiete, continentèr eorum fines non ſine cruentiſſimo certamine propugnauit. Præſtantibus doctrina, & ingenio viris abundauit, hodièq; abundat; mirumq; eſt, quanto conatu, nec minore profectu, in Academijs, dies, nocteſq; ad ſtudia omnium diſciplinarum incumbant. Norunt, qui Romæ, Græcij, Viennæ, Tirnaviæ, (Transdanubianæ Hungariæ Vrbis, in qua omniũ bonarum artium & ſcientiarum Vniverſitas, Eminentiſſ. Cardinalis Petri Pazmanni, Archiepiſcopi Strigonienſis

extat. Epiſt. apud Bzouium tomo 15 a. 1414 n. 6.

Ioan. Bapti. Aegn. de vitis Imperat.

muni-

munificentia, nuper anno Dom. 1635. in Collegio Patrum Societatis Iesu erecta est) alibiq; rem propiùs aspexerunt. Hinc ad Ecclesiæ gubernacula, ad Cæsaris consilia, aliaq; ardua, Hungarici cùm primis Regni, negotia pertractanda quàm honorificè assumuntur. Ac, (quod omnium caput est) viros habuit per omnem ætatem sanctitate insignes, è quibus cùm primis effulgent: Sanctus Pollio Martyr, de quo in Rom. Martyrol. 4. cal. Maij sic scribitur: *In Pannonia Sancti Pollionis Martyris, qui sub Diocletiano Imperatore illustre martyrium peregit.* Et in Martyrologio Petri Galesinij, ita: *In Pannonia Sancti Pollionis Martyris, qui Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, in Christi stadio luctatus, grauibus certaminibus præclarè obeundis, egregium fidei testimonium profuso sanguine dedit.* S. Martinus Sabariensis, Turonensis Episcopus, celeberrimæ sanctitatis fulgore, non provinciam, aut regnum, sed Ecclesiam totam, vniversumq; terrarũ orbem illustrans. Is *Prophetis compar, Apostolis consors, Præsulum gemma, fide, & meritis egregius, pietate mirabilis, charitate ineffabilis*, succurrit omnibus illum invocantibus. Pièq; creditur, ejus factum esse meritis, atq; virtute, vt cum omnes Hungarorũ Civitates, oppida, & loca lues hæretica ab vno infœlicissimo seculo, & ampliùs, sensim infecerit, vnica Sabaria illæsa penitus in fide Catholica semper fuerit custostodita. S. Laurianus, Hispalensis Archiepiscopus, qui ex nobilibus Parentibus Pannonibus, paganis tamen, in Pannonia natus, puer Mediolanum appulsus, ibidem suscepto baptismatè educatus, sacris litteris imbutus, & Diaconatu initiatus est: inde Hispalim Hispaniæ Vrbem illustrissi-

Mart. Rom.

Mart. Gales.

Eccles. in off. S. Mart.

strissimam secedens, Maximo ejusdem Vrbis Episcopo successit. Cumq; singulari doctrina, & vita, & sanctitate Catholicam fidem adversus Arianos strenuè propugnaret, à Totila Gothorum Rege, Ariano, persecutionem passus, tandem post peregrinationes ad Vrbem, aliasq; regiones Angeli monitu susceptas, per sicarios ab eodem Totila submissos obtruncatus est; multisq; & insignibus, vivens, ac mortuus miraculis coruscavit. Passum ferunt ad annum Christi 944. ejus meminit Rom. Martyrol. quarta Iulij, vbi Baronius; & post alios Petrus Ribadeneyra Societatis Iesu, ejus vitam conscripsit.

Bar. in not. Rib. p. 2. fl. SS 4. Iul.

S. Stephanus Hungarus, primus Hungarorum Rex, & Apostolus appellatus, qui tanta erga Rom. Ecclesiam extitit pietate, vt ei Hungaricum Regnum peculiaris clientelæ, vel etiam donationis jure collatum addixerit; propterea q; Regni coronam jam Polonorum Principi præparatam, meruerit à Sylvestro secundo sum. Pont. monente Angelo, missam accipere. Hinc præclarus ille *Apostolici* titulus, quo etiam nûm insigniuntur, in Hungariæ Reges derivatus. Ab hoc Sancto Rege in Beatissimam Virginem Deiparam devotissimo, adeò celebris ejusdem Magnæ Matris apud Hungaros honor, & gloria promanauit, vt *Regni Hungarici Patrona, ac Domina* peculiari elogio vocitetur. Quare festum etiam Assumptionis eius, tacito nomine proprio, *Diem Dominæ*, Hungari soliti sunt nuncupare. Mortuus est anno Christi 1038. S. Emericus, S. Stephani ex Gisela Pij Imperatoris sorore filius, ab ineunte ætate, vigilijs, divinis laudibus, pijsq; exercitijs deditus: in ipso adolescentiæ flore, divino miraculo præmonitus, Virgini-

lege Baron. a. 1000. n. 12. & 19. ac 20.

Chart. in vita S. Ste. apud Baron. a. 1002 n. 11.

ex lib. off. pr.

tatis

tatis pudorem perpetuò colendum ſuſcepit, & ad mortem vſq; illibatum ſeruauit, regiæ Virginis integritate, quam volente Patre deſponſauerat, intacta. Ob cujus virtutis cuſtodiam cœlitus aſſecutus eſt, vt ſecreta caſtitatis aliorum perurideret. Patre, (qui illum Regem deſignare cupiebat) in viuis relicto, migrauit in cœlum multiſq; miraculis coruſcans, vnà cum patre Stephano à Benedicto octauo albo ſanctorum inſcriptus eſt. Sanctus Ladislaus, primus ejus nominis Hungariæ Rex, Bela Primo ex filia Regis Poloniæ progenitus, humilitate, rerum divinarum contemplatione, cunctiſq; virtutibus inſignis; viuens, & mortuus miraculis clarus, quiquè Dalmatiã, & Croatiam Regno Hungariæ adjunxit: à Cœleſtino Tertio in ſanctorum numerũ relatus, mortuus eſt an. 1095. S. Eliſabetha, Andreæ ſecundi Regis Hungariæ Filia, quæ à teneris annis ſanctè, & religiosè vixit. Nupta deinde Ludouico, Landgrauio Turingiæ, viro nobiliſſimo, tam ſanctè, & piè Deum colebat, vt ſuo exemplo maritum ad ſanctitatem, & vitæ perfectionem induxerit. orationi aſſiduè vacabat, viduis, pupillis, ægrotis, carcere detentis, pauperibus benignè ſubveniebat. mortuo marito, proprijs ſumptibus Xenodochium maximum conſtruxit ad pauperes ægrotantes alendos, eis non ſolum neceſſaria ſubminiſtrans, ſed ipſamet ſanioſis aliquorum vlceribus admouens medicamenta. Patrimonio, partim hiſce vſibus inſumpto, partim à conſanguineis demortui mariti ſubſtracto, in pauperiem redacta, lanam, & linum operando, manibus, quod egenis tribueret, quærebat. Atq; ita vita Sanctiſſimè tranſacta, plurimis, maximiſq; miraculis illuſtris evolauit

SS. Regni Hung.

V. Bar. a. 1030 a. 1031

ex eod. libell. offic.

S. Anton. 3. p. tit. 19. c. 11. Bz. a. 1235. Breu. Dominic.

in cœlum anno Sal. 1235. fuit, ait S. Ant. *vitiorum extirpatrix, virtutum plantatrix, schola morum, exemplum patientiæ, speculum innocentiæ.* quam Greg. nonus S. Catalogo accensuit anno 1235. Mitto S. Adalbertum, Pragensem, S. Gerardum, Chanadiensem, Episcopos, alios q; plurimos omnibus notos, quos Hungariæ Regnum (quòd strenuè pro fide Catholica, & cultu Dei propagando in eo laborauerint) veneratur, & colit. Non silendus tamen vir non adeò cognitus, at Sanctitate eximius, Matthæus Escandelius, Buda Hungariæ Vrbe oriundus, qui, postquàm ad annos aliquot juxta Hierosolymam in monte Sion anachoretam egisset, ad Indos emigrans, inde per Regnum Sinarum ad Chinæ regionem quandam penetrauit, vbi quinque hominibus à morte revocatis, alijsq; patratis miraculis, Sinarum multos Christo peperit: tandem verò à Bonzijs, ob fidem, quam prædicabat, neci datus, illustre martyrium consummauit. Ita scribit Petrus Iarricus Soc. Iesu, ex narratione Chinensium, qui ab ijs, qui ipsius Matthæi opera Christi fidem edocti fuerant, ducere se origine asserebant, idq; ex libro, 240. ab hinc circitèr annis excuso, eius rei testimonium perhibente, Lusitanis quibusdam ad oculum demonstrabant. Nec desunt hoc tempore, (vt mittam interim Seraph. Patris S. Francisci, S. Pauli primi Eremitæ, Sanctiq; Ignatij religiosos, alios q; Ecclesiasticos, strenuos operarios) cùm Ecclesiastici, tùm secularis Ordinis viri magnates, tantorum sanctorum Pontificum, & Principum virtutes eximiè imitantes. Cernit enim nostra ætas Eminentiss. Cardinalem Petrum Pazmany, Archiepiscopum Strigoniensem, Primatem

V. libel offic. prop. Hung.

Petrus Iar. li. 2. thes. rer. indic. pag. mihi 672.

Hunga-

Hungariæ, Legatum natum, pietate, zelo, prudentia, eruditione, integritate, munificentia incomparabilem. Illustrissimos ac Rever. D. D. Ioannem Telegdi, Archiepiscopum Colocensem, Georgium Lippay, Regni Hungariæ Cancellarium, Vesprimiensem, Georgium Draskovitz, Iaurinensem, Emericum Losy, Agriensem, Franciscum Erghelium, Zagrabiensem, Gregorium Nagifalui, Electum Vaciensem, alioſq; plures Hungaricarum Ecclesiarum, (quos, ne longior sim, præterire cogor) Episcopos, qui in partem sollicitudinis assumpti, formaq; facti gregis, exemplo cunctarum virtutum, & excellenti doctrina pascunt sibi subjectos, obeuntq; summa cum laude provincias sibi commissas. Videt Excellentissimum, & Illustriss. D. D. Nicolaum Esterhasy, de Galantha, Comitem ac Principem Palatinum, virum prudentiss. ac pientissimũ, Fidei Orthodoxæ strenuum assertorem, & promotorem insignem, dequè Ecclesia Catholica optimè meritùm heroem; in cujus proinde etiam temporalia bona, quasi in hortos irriguos, ac perpetuo virentes copiosa de cœlo semper benedictio descendit. Illustrissimos & Magnificos D. D. Comites, ac Barones, de Homonnai, Erdeõdios, Bamfios, Serinios, Bathianos, Palfios, Forgacios, Drascovitios, & cæt. Magnificos D. D. Barones Chakios, Palfios, Esterhasios, Señieyos, Gegleuitios, alioſq; complures. Generosos Dominos innumeros. Quorum omnium pietate, ardore fidei, fortitudine, magnanimitate, Hungaria hæresum monstris defœdata, bellorumq; cladibus oppressa, ad auitum fidei Catholicæ splendorem, decoremq; reflorescit, & ad pristinam Regni dignitatem

recupe-

recuperandam assurgit. Deuotio Regni totius in Beatissimam Virginem Dei parentem Mariam, spem nostram, peruiam Cœlorum viam, portamq; felicem, tanta, vt non solùm peculiari elogio, *Hungariæ Patrona, & Domina*, vti prædiximus, nuncupetur, illoq; imago ejus circumdata vniversis ejusmet Regni pecunijs apprimatur; sed etiam pro tantæ Matris honore, legem illam tulerit: HÆRETICI, TANQVAM HOSTES BEATÆ VIRGINIS, COMBVRANTVR. Porrò gentis ejusdem etiam in alienigenas ea est hospitalitas, vt vix fortasse nationem reperias, quam illi præponas. Ecclesiarum, & piorum locorum fundationes à Sanctis Regibus, alijsq; factæ, extitere penè innumerabiles, & incredibiles. Nam tempore Ludouici I. Regis, (teste Bonf.) *vsq; adeò Religio propagata in Hungaria; vt plus tertia regni parte, in diuinum vsum posideret.* *Archiepiscopatus* inquit Eminen. Pazmany, *amplißimi, Episcopatus Principatibus pares; Capitula, doctißimorum simul ac sanctißimorum virorum seminaria; Cœnobia, sanctitate, ac doctrina florentißimorum Ordinum, velut castrorum acies ordinatæ, veluti excubantium pro domo Dei militum statiua, denso plena robore, totum regni Hungarici sinum compleuerant: & ita quidem, vt quoquò obtutum verteres, ædes Deo sacræ, Clausira religiosa, Deo dicatarum Virginum Monasteria, Præsulum, ac Pastorum Ecclesiasticorum domicilia occurrerent. Quamus nunc (proh dolor) inter fidei rixas, & Othomanicæ tyrannidis gurgites vix vestigia auitæ religionis supersint.* Quod si Strigoniensis Archiepiscopatus diœcesis amplitudinem, & antiquorum omnium ordinum in Hungaria loca, & domicilia catalo-

dec. 2. l. 10.

Appē. 1.

gis

gis comprehensa videre desideras, habes appendices duas summa diligentia ab eodem Eminentiss. Cardinali conscriptas. In primis verò sacra Beatissimi P. Dominici Fratrum Prædicatorum Religio in eodem Regno emicuit, cui, vt idem Eminent. familiari colloquio testabatur, maximo fuit cùm adjumento, tùm ornamento. Hungarica enim Provincia, Hungariam, Regnumq; ejus totum non complexa tantùm, sed etiam transgressa, ingentem fideliũ messem in horrea Domini congregavit, pluraq; alia miranda, de quibus suo loco patebit, ad majorẽ Dei gloriam effecit. De qua tametsi, injuria temporum, non nisi sanctimonialis vna, quæ fuit olim in Ordine Prioriſſa, apud Clarissas Posonienses, jam, cùm ista edimus, anno scil. 1636. sit superstes, commentarium hunc, & in ejusdem Regni commendationem, & ob rationes superius commemoratas, spe stationis pristinæ, Deo, & Dominis Hungaris bene fauentibus, pro salute animarum, quæ est nostri scopus instituti, aliquandò repetendæ, conscribimus.

Ad Syn. Strig. a. 1629

CAPVT SECVNDVM.

Quo anno, & sub quo Rege Ordo Prædicatorum cœperit in Hungaria.

PRovinciam Hungariæ Ordinis Prædicatorum B. P. N. Dominici, anno Christi 1221. Pontificatus Honorij tertij summi Pont. V. Friderici II. Imperat. II. in Capit. Generali Bononiæ secundo, & postremo sub eodem S. Patriarcha celebrato, initia sumpsisse, ex

anti-

antiquis scriptoribus, Humberto, Quinto Ordinis ejusdem Generali Magistro, Theodorico Appoldiano, Episcopo, S. Antonino Archiepiscopo, aliisq; grauibus authoribus, eruditissimus æque ac accuratissimus scriptor Thomas Malurenda, in suis annalibus perspicuè ostendit. Cum enim jam Prædicatorum ordo per varias regiones latè diffusus sexaginta Conuentus diuersis locis eo tempore erectos possideret, in octo Prouincias tunc primùm, Hispaniam, Franciam, Lombardiam, Romanam, Prouinciam Prouinciæ, Teutoniam, Hungariam, Angliam, sic est distinctus, vt omnes Conventus vniuscujusq; istarum Prouinciarum, præter singulos cujusq; Monasterij Priores, vnum Priorem Prouincialem haberent, qui, vt Priores singulis Conventibus, ita ipse omnibus cœnobijs totius Prouinciæ, tamquàm legitimus, & ordinarius Prælatus præsideret, cuiq; Priores omnes Conventuales illius Prouinciæ essent subjecti. Nec tamen sic hæ omnes octo Prouinciæ institutæ fuerunt, quasi singulis fundata tunc monasteria designarentur; nam etsi in cœteris erant, in Hungaria tamen, & Anglia tempore illo necdum extabant. Verùm post absolutum Generale Capitulum, in Hungariam, & Angliam primùm à S. Patre Dominico fratres missi fuere, qui ordinem inferendo, & cœnobia construendo designatas jam Prouincias erigerent. Ipso itaq; anno 1221. quo Capitulum Generale ad festa Pentecostes celebratum fuit, Fratrem Paulum Hungarum, qui juris Canonici Doctor Clarissimus, publicum, stipendiatum, solemnemq; in antiquissima illa toto terrarum orbe celeberrima Bononiensi Academia Professorem

Humb. l. 4. de vit. fr. c. 7. Theod. in vit. S. P. Domi. l. 2. c. 7 S. Anton. 3. p. hist. tit. 23. c. 4. §. 13. Thom. Malu. in an. Ord. Pred. a. 1221 c. 7.

agens

agens, ad Prædicatorum Ordinem eodem se anno contulerat, cum alijs Fratribus, è quibus Frater Sadoch, vir magnæ sanctitatis, in Hungariam destinauit. Testatur id Theodoricus vetustus, & diligentissimus rerum à S. P. Dominico gestarum descriptor. *eodem tempore, nempe anno 1221.* inquit, *Magister Paulus Hungarus, Iuris Canonici publicus Professor, ad Prædicatorum Sodalitatem se contulit. Misit etiam B. Dominicus Paulum, quem diximus, in Pannoniam secundam, quam Hungariam vocant, cum Socijs, è quibus vnus fuit F. Sadoch, vir magnæ perfectionis.* & alio loco: *Anno salutis 1221. Cùm Magister Paulus, qui tunc Publicus erat Bononiæ Professor, ad S. Dominici sodalitatem se contulisset, eodem anno ab eodem S. Patre cum alijs quatuor Fratribus missus est in Hungariam.* Theodorico, Bernardus Guido, S. Antoninus, Leander Albertus, Antonius Senensis, Ioannes Antonius Flaminius, Ferdinandus Castillo, Ioannes Michael Plodius, Thomasq; Maluenda consentiunt. Quarè mendum (ex impressoris haud dubiè errore) in secundam ad Synodum diœcesanam Strigonienſem an. 1629. de Religiosis Hungariæ appendicem irrepsit, cùm sub titulo, *Conventus Dominicanorum*, scriptum reperimus, *Dominicani sub annum 1230. venere in Hungariam*, cùm ante annos novem jam illam penetrassent. Quod adhuc inde ostenditur, quòd Conventus Prædicatorum Viennensis in Austria à Fratribus ex Provincia Hungariæ assumptis inhabitari cœpit anno quinto à transitu B. Patris Dominici, adeoq; anno Christi Domini 1226. circitèr: obijt enim S. Pater anno 1221. octavo idus Augusti, vt testantur scriptores vniversi. Quare opus sanè fuit jam

Theod. l. 4. c. 7

l. 8. c. 1

Bern. Guido l. de rebus Ordin. S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 4. §. 13. Leand. l. 2. fol. 58. Anto. Sen. in Chr. pa. 35. Ioan. Ant. flam. in vita S. P. D. Castil. cent. p.

l. 1. Plod. deprog. S. Domin. l. 2. c. 63. Malu. a. 1221 c. 7.

ipſo anno 1226. Hungariæ Provinciam amplè ſatis propagatam fuiſſe, quæ Fratres ad Conventus extrà ſuos etiã limites, (ſi Conventus Viennenſis ſub Hungariæ Provincia non comprehendebatur) aſſumendos, & incolendos ſufficientes haberet, atq; adeò multopriùs ſuas în Hungaria radices fixiſſe. & quoniam res hæc, præter veritatis robur, multum etiam ſplendoris addit Hungaricæ Provinciæ, quæ Dominicanæ familiæ in Auſtria fundandæ, propagandæq; initia, & auxilia miniſtraverit, placet, quod in

M. S. Mart. Conv. Vienn. Oud. Prad.

vetuſtiſſimo pergameneo Conventus ejuſdem Viennen. martyrologio ſcriptum reperitur, eiſdem verbis, quibuſdam minimè neceſſarijs omiſſis, ſubjungere. Ait ergo: *Anno Domini 1221. obijt B. P. N. Dominicus, poſt cujus mortem anno Dom. 1226. glorioſus Princeps Leopoldus Auſtriæ Dux, ordini hunc Conventum tradidit.* & poſt nonnulla: *Fratres ordinis noſtri circa quintum annum a tranſitu B. Dominici incœperunt hunc Conventum inhabitare: Anno verò à confirmatione ordinis decimo, quia ordo fuit confirmatus anno 1216. ab Honorio.* ET PRIMI FRATRES PRÆSENTIS CONVENTVS ASSVMPTI FVERVNT DE PROVINCIA HVNGARIÆ, *ſicut in antiquiſſima quadam hiſtoria invenitur. in qua etiam continetur, quòd anno Domini 1225. completo, ſit nobis datus præſens Conventus Vienn. & iſte Leopoldus fuit penultimus Dux Auſtriæ de ſemine Sancti Leopoldi. Qui Conventum Fratribus noſtris in Chrempſa dedit ex iſto Conventu Viennenſi aſſumptis. Hujuſq; oſſa ex monte Caſſino* (ibi enim objerat occaſione profectionis ad liberationem terræ ſanctæ) *ad monaſterium Campililiorum, quod ipſe fundauerat, deferuntur.* Vnde

colligere

colligere licet, cùm primus Conventus in Auſtria fuerit Vienn. ex quo Chrempſenſis, & exinde cæteri ſunt propagati, Conventuum Auſtriacorum inſtitutionem, & propagationem in Hungaricam Provinciam, tanquam in fontem primigenium, reduci debere: quod ſanè etiam ad vtriuſq; nationis hominum animos magis ac magis mutuò devinciendos, (præter charitatem, qua tanquam vinculo perfectionis omnes nos Deus colligauit in vnum) plurimum valere poteſt, & porrò debet. Ad idem confirmandum facit, quod Plodius ſcribit, noſtri ordinis Conventus Iaurienſem, & Veſprimienſem ipſo anno 1222. vel circitèr fundatos fuiſſe. Quo verò tempore diximus noſtri ord. Fratres in Hungariam ingreſſos, Regni habenas moderabatur *Andreas ſecundus*; eas enim tenuit ab anno 1200. vſq; ad 1235. Illum (Bonfinio teſte) ad imperandum natura genuiſſe videbatur, cui nec animi magnitudo, nec religio, & conſilium, neq; juſtitia deeſſet. ex Gertrude, nobili Alamannorum gente nata, vxore, filios ſuſcepit, Belam, (qui Patris ſucceſſor, Bela IV. eſt dictus) Colomannum, Andream, ſanctamq; Eliſabetham. Hieroſolymitani cognomentum indeptus eſt, quòd, cùm ad aliorum Chriſtianorum Principum exemplum, tùm, vt Belæ Patris obligationem, qui ſe voto obſtrinxerat, ſolveret, in terram ſanctam cum ingentibus copijs expeditione ſuſcepta, totius Chriſtiani exercitus Imperator declaratus, ad Damiatam, quæ aliàs Heliopolis, à ſole nomine indito, vrbem Ægypti Nilo contiguam antiquiſſimam, atq; fortiſſimam, (qua capta facilius Cayrum, & Babylonem proximam poſſet occupare,) caſtra mouens, eamq;

Ioan. Mich. Plod. 2. p. vir il. Ord. Prad. l. p. col. 12.

Bonfin. d. 2. l. 7 à fol. 277.

obſidens, deniq; poſt multos magnoſq; labores, duodeviceſimo obſidionis menſe fœlicitèr obtinuerit. Quam ex peſtilentibus cadaveribus repurgatam ouans ingreſſus, debitis Deo victoriarum largitori gratijs peractis, Baſilicam Maumecho ingenti ſumptu ædificatam, magnæ matri Mariæ Virgini dedicauit, opulentiſſimæ, ampliſſimæq; vrbis prædam ingentem militi pro meritis partim diſtribuit, partim in divinum cultum, & donativum erogavit; eidemq; vrbi Epiſcopo deſignato, ſuper re agraria decretum tulit. Verùm cùm habita conſultatione, cunctis Principibus placuiſſet, vt in Cayrum, & Babylonem caſtra moverentur, hoſtis autem licèt ſæpè provocatus in certamen deſcendere non auderet, ex Nili invndatione, quàm ruptis aggeribus hoſtis in noſtros derivavit, adeò intolerabile nocumentũ illatũ eſt, tamq; corruptis cibarijs, grauis vniuerſos inceſſit inedia, vt mortem præſentiſſimam, niſi initis cùm hoſte condicionibus evitare eſſet impoſſibile. eæ fuerunt, vt noſtri Damiatam cum rebus in ea repertis Soldano reſtituerent; ille è contra Crucis partem Andreæ redderet, liberarentur vtrinq; captiui, Chriſtiani Tyrum, & Adonem redirent. Quare Syriæ rebus ita compoſitis, Rex Andreas varia fortuna vſus, cum alijs Chriſtianis Principibus redijt in Europam ipſo anno 1221. Scio alitèr rem geſtam ab alijs deſcribi; ſed juvat ab Antonio Bonfinio, alijsq; rerum Hungaricarum nobilibus Scriptoribus non diſſentire. Cùm redux per Italiam iter faceret, ab Eſtenſi Marchione regali cultu exceptus, ejus filiam, forma, & ætatis flore præſtantem, ſecundo ſibi matrimonio copulauit, ex qua Stephanum ſuſcepit, Patrem

lege D. Ant. 3. p. hiſto. tit. 19. c. 4 §. 1.

Andreæ

Andreæ Veneti, qui postea Rex acclamatus est, genuitq; Elisabetham, ordinis nostri illustrem sanctitate monialem, vt suo loco dicetur. In Patriam, D. Stephani Protomartyris, D. Margaritæ caput, SS. Thomæ, & Bartholomæi Apostolorum dexteras, partem virgæ Aaronicæ, atq; vnam ex hidrijs, in quibus Salvator aquam in vinum permutavit, multas etiam alias sanctorum reliquias Rex Andreas ex Oriente asportauit. Ipso igitur tempore, quo Rex pientissimus, ac fortissimus, plurimis maximisq; pro gloria Dei, & ejus Ecclesia, in Terra sancta, in qua Filius Dei salutem operatus crucifixus est, exantlatis laboribus, in patriam tot sanctorum trophæis, Apostolorum cumprimis comitatus redijt, Fratres Prædicatores divino Spiritu, & fauore ad apostolicum munus intenti, sanguineq; suo fidei doctrinam ad Regni, & Ecclesiæ stabilimentum consignaturi, Hungariam intrarunt. Haud dubium, quin à Rege tanto, & verè Apostolico, omnium fauorum, & beneficiorum genere clementissimè sint excepti viri Apostolici, qui non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis prædicabant Christum, & hunc Crucifixum.

CAPVT TERTIVM.

Per quos Religiosos viros Ordo Prædicatorum in Hungaria fundatus fuerit.

NOn defuere scriptores, è quibus Severin⁹ Cracouiensis, qui S. Hyacinthum Odrovansiũ Polonum huiusce Provinciæ Hung. prima fundamenta je- *M. F. Sever. Crac. l.*

cisse

1. vita S. Hyac. c. 6.

ciſſe putarint, propterea quòd Ord. Prædic. primus in ſeptentrione Fundator nuncupetur, & fuerit. Verùm ea ratio, quod intendit, nequaquá evincit. Aliud enim eſt, primum fuiſſe Fundatorem Ord. in ſeptentrione: aliud, primum fuiſſe Fundatorem peculiaris alicujus Provinciæ in ſeptentrione exiſtentis. Ad illud enim ſufficit, in ſeptentrionem ante quemcumq; alium, in quacumque id factum fuerit parte, ordinem invexiſſe: ad hoc autem neceſſe fuerit, vt in ea peculiari provincia, cujus quis dicitur Fundator, in eaque regione ex qua Ordinis illa Provincia denominatur, religionem erexerit. Sanctiſsimus ſanè Hyacinthus primùm Friſaci in Carinthia nobiliſsimum monaſterium extruxit anno Chriſti 1218. vnde primus in Prædicatorum Ordine Germanorum Apoſtolus à Maluenda infracitando meritò dictus eſt; & inde digreſſus Cracoviam, inibi etiam eodem anno monaſterium aliud fundavit: alijs etiam ſubindè Conventibus extructis, vt epiſtola B. Patris Dominici ad Fratres, & Priores Poloniæ data anno 1221. (quam habes apud Abrahamum Bzovium, Thomam Maluendam, Michaelem Plodium, alioſque ſcriptores) apertè manifeſtat, Monaſterium Pragæ in Boemia per Fratrem Ceslaum Germanum vterinum, nomine Sancti Clementis erexit anno 1222. vt ex Maluendæ annalibus eſt videre. Sed nuſquam legitur eum primò monaſteria in Hungariæ regione extruxiſſe. Accedit, quòd hujuſce rei Hiſtoriæ noſtri Ord. de S. Hyacintho non ſiluiſſent, cum tamen ipſo Severino teſte, nullam omninò mentionem faciant. *Provincia verò* inquit, *Hungaria, quæ eſt Regno Poloniæ pro-*

Bzo. in hiſt. Prou. Pol. O. P. Malu. an. 1221. c. 8 Plod. l. 2. prog. S. Dom. c. 61. Malu. a. 1221. c. 12.

pinquiſsima

pinquiſsima, & convicina, licèt per B. Hyacinthum creata fuiſſe credatur, non tamen hiſtoriæ veritas de ipſa mentionem facit. Primus itaq; Ordinis Prædicatorum in Hungaria Fundator, fuit Beatus Paulus, natione Hungarus, quamquàm peculiarem ejus patriam ſcire hactenus non licuerit. Id tradunt Theodoricus, S. Antoninus, alijq; antiqui rerũ noſtrarum ſcriptores, & ex eis Bzovius Eccleſiaſticorum poſt Baronium annalium conditor, Caſtillus, Plodius, Maluenda, cæterique recentiores. Is cum egregius, celeberrimique nominis in Jure Canonico apud Bononienſium antiquiſsimam, & toto orbe Illuſtriſsimam Academiam Doctor, & Profeſſor exiſteret, fama, ac virtute ſanctitatis, prædicationis, miraculorumque Sanctiſſimi Patris Dominici, noviquè Ordinis Prædicatorum permotus, caducis vaniſq; commodis, oblectamentis, honoribuſq; valedicens, Sanctæ Religionis habitum inſtantiſſimis precibus efflagitatum ipſo anno 1221. B. Patris manibus induit: ab eodemq; de tota vitæ regularis perfectione, tanquàm à vivo quodam exemplari, verbis, factiſq; optimè informatus, eodem anno cum quatuor Socijs, (inter quos fuit etiam Frater Sadochus, magna vir perfectione, & ſanctitate) ad prædicandum Evangelium, & docendum Hungaros, aliaſq; circumquaq; nationes, Ordinemq; inſtituendum, poſt Generale Capitulum, de quo prædiximus, miſſus fuit. Perrexit itaq; quaſi Paulus alter, Hungaricæ gentis Primus ex Prædicatorum Ordine Apoſtolus deſtinatus, Zelo feruens, eruditione clarus, facundia, & eloquentia inſignis, quem propterea ſcriptores DVCEM

Theod. l. 4. c. 7. & l. 8. c 1. D. Anto. 3. p. tit. 23. c. 4. §. 13. in princ. Bzou. a. 1221 n. 16. Caſtill. p. 1. cent. l. 1. Plod. l. 2. prog. c. 63. Malu. a. 1221 c. 6. f. 332. co. 2. ad fi.

VERBI vocitant; quo pridem titulo S. etiam Paulus Apostolus propter Prædicandi excellentissimam facundiam à D. Luca in actibus Apostolicis est insignitus. Pergebant ipse, & Socij pedites, qui scirent, supra modum *speciosos esse pedes evangelizantium bona, annunciantium pacem*, Divinæ Majestatis oculis, etsi animalibus hominibus contemptibiles. Ibant *ad gentes conuulsas, & dilaceratas Angeli veloces*, vel juxta 70. Int. *leves*, & expediti, non aurum, vel argentū, aut quamcumq; pecuniā ferentes invia, nec subsidij sæcularis adjumēta requirentes, *qui fide tuti, putarent, quominùs hæc requirerent, magis posse suppetere.* In ipso porrò itinere prædicandi initium fecit, priusquam enim Hungariam attigissent, in vrbe quadam, in qua necdùm Ordo locum habebat, cœpit vir sanctus populo prædicare tanto cum fructu, vt tres etiam adolescentes bonarum litterarum scholas frequentantes, in Ordinem Prædicatorū illicò nomina dederint. De hac re agens Theodoricus, cum dixisset anno 1221. B. Paulum cùm alijs quatuor Fratribus missum fuisse à S. Patre Dominico, ita subnectit: *Qui, cum in Ciuitatem Laurientem venissent, ad eorum concionem multa hominum frequentia, tanquam ad nouum quoddam, & inauditum spectaculum confluebat. In ipsa verò concione tres pueri Scholastici Sancti Dominici institutum amplexi sunt. Sed cum nec dum illic locum haberent, inde egressi, in Pannoniam profecti sunt.* Quænam fuerit hæc Laurientis Ciuitas, de qua hîc mentio fit à Theodorico, dubium est inter scriptores. In Italia enim fuisse, Castillus, & Plodius vno loco, censent. Idem tamen Plodius alio quodam loco, ait fuisse Iaurinum Vrbem Hungariæ celebrem.

Act. c. 14.

Isa. c. 52. & ad Ro. 10.

Isa. c. 18

Amb. l. 6. in Luc. c. 9.

Theod. l. 8. c. 1

lebrem. Maluenda ex Apollonio lib. 4. Argonauticorum, ajente, *Laurium esse locum ad ostia Istri fluminis*, relinquit rem incertam, num fuerit in Italia, vel in Hungaria; sic colligens. *Si Apollonius intelligat de Istro flumine Histriæ, quæ est extrema pars Italiæ versus Dalmatiam, certum erit, Laurium in Histria fuisse vltima Italiæ parte, & è Bononia Hungariam Fratribus istis proficiscentibus, Histria Prouincia recto itinere erat pertranseunda. Quòd si loquatur Apollonius de Istro flumine, qui dicitur inferior pars Danubij, dicendum erit, Laurium in Hungaria fuisse. Conuentum quidem Laurienſem in Hungaria esse Ordinis Prædicatorum, in rebus gestis S. Margaritæ Filiæ Regis Hungariæ habetur.* Ita Maluenda. Sed (vt mittam, ab vno, vel altero ex nostris tantùm laurinum, sive ex litterulæ mutatione, sive ex vocum affinitate, sive alia de causſa, Laurinum, indequè Laurienſe cœnobium dici) si Theodorici verba præcitata attendantur, nullum dubitandi locum relinquunt, quin laurinum, aut quæcumq; Vrbs Hungariæ non fuerit. Ait enim: *Inde* (ex civitate Laurienſe) *egreſsi, in Pannoniam profecti sunt.* Non igitur vrbs illa fuit laurinum, quod est in Pannonia; vti neq; alia quæcumq; Pannoniæ Civitas. Improprijſſimè enim, immò falsò intra Hungariam existentes, dicerentur in Hungariam profecti. Solus enim is dicitur proficiſci in Hungariam, qui extra illam est, & ad eam nondum pervenit. Quare crediderim eam fuiſſe Hiſtriæ confinis Dalmatiæ Civitatem, quam recta pertranſire poterant Bononiâ venientes, vti Maluenda dicebat. Nec verò obstat, quòd Theodorici contextus indicet, eam Civitatem proximam fuiſſe Hungariæ: ſed potius id, quod diximus, confirmat;

Castil. p. 1. l. 1 c. 55. Plod. in prog. l. 2. c. 63. Plod. p. 1. l. 2. de viris ill. col. 330 & 331.

Malu. in ann. a. 1221. c. 8.

nam cum Dalmatia ſub corona Hungariæ comprehenderetur, communi, latoq; vocabulo Dalmatia Italiæ contermina, Hungaria dici poterat, à Rege, vel præcipua Regni parte alias denominando, ſicut hodièq; militantes ſub Rege Hiſpaniarum, etiamſi Itali ſint, vel Germani, Hiſpani nominantur. Nunc ad hiſtoriæ ſeriẽ redeamus. Cùm itaq; trium adoleſcentum auctione facta B. Paulus cum Socijs in Regnum Hungariæ tranſijſſet, ipſa nocte Fratri Sadoch vigilanti, & pro fœlici ſucceſſu, & Ord. propagatione deprecanti magna Dœmonum turba apparuit, animarum ſalutem, ſuiq; expulſionem, quam ſibi ex Fratribus metuebant, magno clamore, & ejulatu hiſce vocibus conqueſta. *Væ nobis, quoniã nos jure noſtro exuere, iſtiſq; ſedibus deturbare veniſtis. heu, quoniã vel per hujuſcemodi paruulos,* (nouitios nuper ſacrũ ordinem ingreſſos indigitabant) *nos dedecore, pudoreq; ſuffuſos extruditis.* Rem poſtea totam perſolutis precibus matutinis Fr. Sadoch Socijs indicauit, qui inde ad Apoſtolici muneris opus multò etiam feruentius, & alacrius exequendũ ſunt animati. Solebant Sancti illi viri, B. P. Dominici diſcipuli in itinere, & peregrinationibus, etiã extra domos ſuas, & conventus conſtituti, media nocte cũ Regio vate, Paulo & Sila conſurgere ad confitendum Deo, ejuſq; laudes decantandas, ipſum S. Patrem imitati, quem etiam Angelis ſæpè cum lumine, & honore præeuntibus, ad Eccleſiam januis obſeratis ea hora deductum, introductumq; fuiſſe legimus, quod & cum B. Mauritio Hungaro factitatum parte ſequenti conſtabit. Nec mirum, ægre tuliſſe dœmones Fr. Præd. in Hungariam adventum, quibus etiam maximè doluerat ante menſes aliquot prænuntiata

Pſ. 118 Act. c. 16.

iſthæc

isthæc futura profectio. cernebant enim timorē illum ingentem, quem sibi timebant, jam advenire. Narrat rem scitu dignissimā Humbertus vir Sanctissimus, opere, quod de vitis Fratrum conscripsit his verbis. *Antequàm F.F. Prad. essent in Prouincijs pluribus, in quibus nunc per gratiam Dei sunt, & fructum faciunt, qui non perit, contigit duos Fratres venire Bononiam, quibus occurrit diabolus, vt cursor, succinctus ad iter: & adjungens se dictis Fratribus, quæsuit, quò irent. Qui responderunt, quòd Bononiam ad Capitulum Generale.* Illud sc. quod diximus anno 1221. celebratum. *Quæsuit iterum quid debebat ibi ordinari. Qui dixerunt, quòd Fratres Prædicarent per partes mundi. Quæsuit iterum, an aliqui in Hungariam, vel Graciā irent. responderunt: Ibunt, Deo dante, quamplures. Tunc cursor ille dedit saltum in aera, exclamans terribili voce: Ordo vester, confusio nostra, & statim evanuit quasi fumus. Venientes autem Fratres Bononiam, narrauerunt omnia Sancto Dominico, & Fratribus ad Capitulum in nomine Domini congregatis.* Quis ambigat, quam seriò B. P. Dominicus, cœteriq; PP. agerent, vt viros potentes opere, & sermone ad Sathanā colligandum, vniversa arma ejus, in quibus confidebat, auferenda, & spolia ejus distribuenda illò destinarent? Da, bone Iesu, nomini tuo gloriam. Mitte, Domine, etiamnum operarios, Filios servi tui Dominici, in vineam, & messem tuam. Rogamus, quia nos rogare jussisti. *messis enim* tua *multa* in Hungaria, *operarij autem pauci.* Da *verbum evangelizantibus virtute multa*, qua non *reuertatur ad te vacuum, sed prosperetur, & faciat omnia ad quæcumq; miseris illud. latentur coram te.* qui nunc deplorant die ac nocte exterminationem vineæ tuæ, *qua*

Humb. l. 4. de vit. Frat. c. 15.

Luc. 10. Ps. 67. Is. c. 55

Ps. 79.

exterminauit eam aper de Sylua, agreſtis & Sævus Turca, Solymanus; *& ſingularis ferus*, Martinus Lutherus, vnde omnium hæreſum colluvies in eam defluxit, *depaſtus eſt illam*: lætentur, inquam, ſicut vindemiatores celeuſma cantantes; *ſicut, qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.*

Iſa. c. 9

CAPVT QVARTVM.

De Profectu Fratrum in Hungaria, infideliumq; Cumanorum potiſsimùm, conuerſione.

IGitur Beatus Paulus cum ſeptem alijs Fratribus in Hungariam ingreſſus eſt, quatuor nimirùm Socijs, quos à S. P. Dominico acceperat, tribuſq; novitijs, quos ad Italiæ finem habitu ſacri ordinis induerat: vt quemadmodum Patriarcha Noe cum ſeptem alijs animabus vniverſum orbem ſervavit, & propagavit; ſic Paulus noſter patriam ſuam, aliaſq; circum adjacentes regiones pari Sociorum numero in verâ ſalutem aſſereret, & ſacrum ordinem longè, latèq; diffunderet. Ibi pro Dei gloria, animarumq; ſalute, quæ vnicum ſibi ſcopum, in quem vniverſa collimaret, præfixerat, magnis ingentibuſq; laboribus, pro illius Regni, cujus confinia prauis hominibus, hæreticis, ſchiſmaticis, gentilibuſq; referta erant, beneficio, ſe vnà cum ſuis expoſuit. Per jejunia, lacrymas, preces, vigilias, humilitatem, mendicitatem, flagella, non abſq; graui vitæ periculo, hominum malorum, & dœmonum contradictione, prædicans verbum, inſtans opportunè, importunè, arguens,

Gen. c. 8. & 9.

obſecrans,

obſecrans, increpans in omni patientia, & doctrina, fidei, virtutum, & probitatis ſeminibus, populorum illorum, ac gentium cordibus inſerendis initia conſecrauit. Dura, & adverſa quæcumq; non exhorreſcebat, qui gladium, & mortem quamlibet acerbiſſimam, dum animas Chriſto lucrifaceret, ſummæ aſcriberet gloriæ, & fœlicitati. Nec deerat Deus ſuis ope, & ſolatio de cœlo, ſignis clariſſimis, quàm gratum ſibi eorum miniſterium eſſet, oſtendens. Interquæ inſigne valde eſt, quod Theodoricus agens de initio Ordinis in Hungaria ita narrat. *Ea tempeſtate duo Fratres in eadem Prouincia* (Hungariæ) *ad pagum quendam ea venerunt hora, qua ſolet populus Chriſtianus ad audiendam miſſam conuenire. Ea celebrata, cunctis ad ſua recedentibus, & cuſtode Eccleſiam occludente, ſoli Fratres in atrio remanſere, nec erat, qui humanitatis officio proſequi eos vellet. Vidit autem eos quidam piſcator pauper, & licèt miſericordia moueretur erga illos, non tamen auſus fuit eos ad ſuas inuitare ædes, quòd non haberet vnde eos reficeret. Sed nihilominus domum properè abiens, indicat vxori propenſum animum ſuum, dicitq; Non mediocriter torquent animum meum duo peregrini Fratres, qui ſtant in atrio templi, & à nemine inuitantur. Reſpondit mulier. Non habeo, niſi parum milij. Iußit autem vir ejus, vt marſupium excuteret, in quo, præter ſpem omnem, duos nummos reperit. Itaq; mirificè exhilaratus homo, ito, inquit, celeriter, & altero nummo panem, altero vinum eme: deinde milium, & piſces coquito. fecit mulier, vt juſſa erat. Vir autem ejus abijt ad templum, & eodem, quo reliquerat Fratres loco, ſtantes inuenit, ſecumq; latus ad ſuas duxit ædes. Qui, poſtquàm in menſa paupere charitatis fercula ſumpſere, gratias*

Theod. l. 8. c. 1.

agentes

agentes abiere, hospiti suo, vt Dominus retribueret, deprecantes. Itaq; reddidit illi Dominus mercedem pro humanitate, quam ijs impenderat, itaut ab illo die non defuerint ex crumena ejus nummi duo, quibus emeret necessaria domui suæ. Nam simul atq; duos expendisset nummos, mox alios duos sibi comperit redditos. locupletatus igitur est agris, ædibus; habuitq; oues, & boues, & alia multa. Accepit etiam à Domino hæredem. Postquàm autem in tantum ejus excreuerunt opes, vt etiam pro illius statu sufficerent, gratia subtracta est illi. Porrò deinceps & amauit Fratres, & libenter hospitio excepit. Ita Theodoricus, & post illum Bzovius, Maluenda, Choquetius, & alij. Tantum porrò B Paulus effecit, vt breuissimo tempore Iaurini primùm, deinde Vesprimij, alibiq; compluribus Monasterijs erectis, & ordinem mirificè propagaret, & vbiq; Evangelium Christi repleret. Subinde rebus ordinis in Hungaria stabilitis, aliquot ex suis ad ejus confinia, regionem cum primis, quam Theod. *Furiensem*, alij *Structium* vocant, in qua plurimi cùm hæretici, tùm schismatici morabantur, pro illorum conversione destinauit, qui licèt ingentes primùm difficultates experti, tandem plurimos ipsorum, auxiliante Dei gratia, ad Ecclesiæ Catholicæ fidem, & obedientiam perduxere. De hoc agens Leander Alb. ita scribit. *Porrò Fratrum ibi aucto numero, Paulus ex eis aliquot selegit, & præmisit in quendam locum, vulgò Structium dictum, quem incolebant Hæretici, atq; Schismatici, vt verbis suis ad sanam mentem eos redire cogerent. Vnde post ingentes angustias, post plurimos labores, tandem constantia sua, id, quod volebant, effecere.* Alios deinde præstanti virtute homines Cumanis gentilibus, quibus

Bzou. ad an. 1221. n. 16. Malu. a. 1221 c. 8. Coqu. nat. viscera

Loand. Alb. l. 2. fol. 58.

nunquàm

nunquàm Christi Evangelium annunciatum fuerat, indomitis barbarisq; populis allegauit, non ignarus, quantoperè illorum conversio, salusq; Beatissimo Patri Dominico cordi extitisset. Cumani, qui fuerint, non vna sententia est. Non mihi displicet, quod apud Maginum à nonnullis est annotatum, Tartarorum Præcoperitum tractum inter Boristhenem, & Tanaim circa Pontum Euxinum, & meotidem paludem Cumaniam appellatã, cum Theodoricus asserat, Cumaniæ flumen conterminum fuisse Neper, (quem latinè scimus dici Boristhenem) ad quem deniquè venerint Fratres in Cumaniam proficiscentes, vt postea referemus. In Hungariam porrò multi ex eis convenientes, in ea tandem regione consederunt, quæ vltra Temesvarum, & Tibiscum hodie Cumania vocatur; vigintiquinq; hung. milliaria in longum, & quindecim in latus amplectens. Proinde de Comanis extant articuli nonnulli in Tripartito Decretorum Hungarici Regni, illorumq; Iudex, in articulis Palatinatus sub Matthia Rege anno 1485. Palatinus, est declaratus. Ad hos optaverat B. Pater Dominicus verbi Dei annunciandi caussã proficisci, vt propterea barbam sibi aliquando succrescere permisisse memoriæ prodant historiæ. Frater etiam Paulus Venetus testis juratus in processu Canonizationis, ita adhanc rem de illo testabatur. *Erat præterea salutis animarum tàm fidelium, quàm infidelium cupidissimus: propter quod mihi sæpe dixit: Vbi nostrum Ordinem benè composuerimus, & stabiliuerimus, ad Cumanos ibimus, & prædicationibus nostris Deo acquiremus.* Hoc igitur desiderium, S. Patris, qui sexta Augusti, 1221. in cœlum perpetuùm re-

V. Malu. an. 1222. c. 22. in fi.

Trip. Hung. Art. 11.

apud Flã. in vita S. Dom. & Malu. an. 1221. c. 27.

gnaturus

gnaturus evolauerat, non degeneres filij implere ſtuduerunt, eodem Patre gaudente, & benè juvante de cœlo, qui moriens, cauſarum ipſorum perpetuum patronum apud curiam ſummi Regis ſe futurum receperat. Cum eò veniſſent, miris modis, & ſupra quam credi poſſit, ab ea gente afflicti, atq; etiam repulſi, ſine fructu coacti ſunt ad ſuos remeare. Attamen ſancto eos inflammante ſpiritu, & animarum Zelo impellente, denuò ad illos profecti, per multa itinerum diſcrimina, ad flumen ejus regionis, quod Neper, latinè Boriſthenem vocant, pervenere. Sed rurſus crebrò fame, ſiti, multis varijſq; perſecutionibus divexati ſunt; alij abducti in captiuitatem, duo interfecti; qui verò ſuperfuere, illi incolumes in cœpto concionandi ſtudio conſtanter perſeverarunt. Reſpexitq; tandem pijſſimus Deus labores eorum, atq; conſtantiam, præſtititq;, vt barbari homines illos audirent, & fidem amplecterentur. Baptizatus eſt ante omnes Dux eorum, Theodorico *Brutus* nomine, alijs *Bauchus*, alijs *Bruchus*, cum quibuſdam è ſua familia. Qui poſt aliquot annos in veræ fidei confeſſione perſeverans peccatorum ſuorũ exomologeſi Catholico ritu peracta, & ſacra Euchariſtia à Fratribus perceptа in Domino obdormiuit, atq; in Beatiſſimæ Virginis Deiparæ Oratorio, quod Fratres illic degentes extruxerant, ſepultus eſt. Deinde verò nobiliorem Ducem, *Bemborch* Theodorico, alijs *Brebroth*, *Bibrech*, cum mille ferè ex ejus familia converterunt, quem Hungariæ Rex Andreas ſecundus è ſacro Baptiſmatis fonte cum ingenti gaudio ſuſcepit, vt Maluenda poſt antiquiores ſcribit. Is extremo vitæ ſuæ tempore, conſanguineis, affini-

Theod. l. 8. c. 1

V. Malu. in palm. fidei pag. 7, Malu. in annal. a. 1222. n. 23.

bus,

bus, aulicisq; astantibus, ad Fratres, qui ad mortem sanctè obeundam illi operam præstabant, exclamauit: Hinc mihi Cumani à fide alieni facessant, quos omnes teterrimorum dæmonum multitudine maxima circumfusos aspicio. Soli mecum Fratres, Cumaniq; Sacro Regenerationis lauacro lustrati emaneant. en hîc astant Fratres, quos pridem martyrio affectos in cœlum transmisimus: ij me præstolantur, vt ad ea, quæ nobis prædicabant, cœlestis vitæ gaudia illicò perducant. sic effatus, cum summa lætitia Christo Redemptori spiritum reddidit: ejusq; corpus ad præmemoratam Deip. V. ædiculam conditum est. Hæ fuere ex Paganis, gentilibusq; Cumanis, Duce B. Paulo Hungaro, primitiæ, quem simpliciter, & absq; vlla adjectione Cumanorum Apostolum Plodius meritò nominauit; neq; enim illi prius aliquam Christi notitiam, vel prædicationem vllo vnquam tempore exceperant. Maxima deinde ex ipsis ad Catholicam fidem accessio facta est: vt ea de causa Bernardus Guido sinceræ fidei scriptor, numerum eorum, qui convertebantur, iniri non posse testetur. *Post multos autem*, ait, *labores Fratrum, cœpit, Deo cooperante, ibi esse Conuentus, & cœperunt inter eos prædicare confidenter. Numerum autem eorum, qui ad fidem Domini Iesu Christi de die in diem conuertebantur, Dei solius est computare.* sic Guido. Hinc B. Paulus gaudio inenarrabili exultare, majores pro auxiliaribus copijs supplicare. Hi verò haudquaquam surda aure postulata percipere, nihil eorum omittere, quibus res tanta posset magis magisq; promoueri, viros idoneos ex omni parte destinare. Quam verò grati, acceptiq; sibi, ac Deip. Virgini, pro illarum gen-

Plod. l. 2. de preg. c. 63.

Bern. Guido in Chron.

tium conuersione Fratrum labores existerent, pulcherrima reuelatione cuidam S. Eremicolæ Deus clementissimus est dignatus ostendere, vt ex sequenti Humberti Gen. Mag. V. narratione, quam ipsiusmet verbis damus, est intueri. *Cuidam Fratri circa principium Ordinis injunctum fuit, quòd iret ad Cumanos causa conuersionis eorum. Qui ex hac obedientia grauiter perturbatus, quendam heremitam sibi familiarem, & virum Dei amicum rogauit, vt Dominum pro se deprecaretnr, quia vix credebat dictam obedientiam vtilem sibi fore. Ille autem, vt erat homo pius, & sanctus, sequenti nocte orauit pro ipso affectuosissimè Dominum, qui consolatus est eum hujusmodi visione. Videbatur enim sibi videre quendam fluuium magnum, & pontem desuper, & homines diuersarum religionum per ipsum pontem latanter, sed singulariter transeuntes: Fratres autem Prædicatores, non per pontem, sed per ipsum fluuium natantes transire, quorum quilibet currum hominibus plenum trahebat. Cum autem quidam eorum præ nimio labore in trahendo deficerent, videbat B. Mariam assistentem deficientibus, & benigna manu subleuantem eosdem, & sic ejus adjutorio pertransibant. Post transitum autem fluminis ducebat eos cum eis, quos secum traxerant, in locis amœnissimis ineffabili gaudio exultantes. Quam visionem cum Fratri retulisset, ex hoc roboratus Frater, quam primùm injunctam sibi obedientiam deuotè compleuit: manifestè cognoscens, Fratribus pro salute hominum, grauiores alijs religiosis, qui se singulariter saluant, instare labores, sed fructuosiores, sed gaudio plenos ineffabili, & in his Beatam Virginem adjutricem.*

Humbertus l. 1. de vitis Fratr. c. 6. §. 1.

CAPVT QVINTVM.

De fœlici transitu B. Pauli cum alijs nonaginta Fratribus ex hoc mundo in Cœlum per palmam martyrij.

QVm B. Paulus bonum certamen certasset, cursum consummasset, fidem seruasset, per martyrij palmam ad regna siderea justitiæ coronam percepturus ad Deum migrauit. Vt enim Apostoli Ecclesiæ Principes suo sanguine illam consecrarunt, sic etiam vir ille Apostolicus cum Socijs suis nonaginta, qui apud Cumanos orationi, & ministerio verbi instãtes erant, munus apostolicũ, & ecclesiasticam disciplinã in eadem regione suo sanguine sanxit. In qua sanè re astruẽda, vt nullus est inter omnes rerum nostri Ordinis scriptores, qui non consentiat, sic de tempore, quo martyrium obierint, non est vna sententia. Id enim contigisse anno 1222. aliqui haud ignobiles, eorum Sufatus, Leander, Castillus, Plodius scriptis prodiderunt. Quæ tamẽ sententia, si rem penitiùs perscrutemur, vix subsistere posse videtur. Primò, quia, cùm anno 1221. post Capitulum Generale, ad Pentecosten (juxta ordinationem factam in Capitulo præcedenti anni 1220.) celebratum, missus fuerit B. Paulus in Hungariam, si anno 1222. mortuus fuisset, ad sesquiannum circiter in partibus Hungariæ, & Cumaniæ duntaxat laborasset; quod tamen vix, ac ne vix quidèm credi potest: cùm ipse monasteria aliquot, cum primis Iaurinense, & Vesprimiense in Hungaria fundauerit, Prouinciamq; stabilierit, priusquàm ad Cumanos proficisceretur,

Suf. in Chron. Leand. l. 2. f. 58. Castill. p. 1. l. 2. Plod p. 1. l. 2 colum. 330. & 331. & de S. Dom. prog. l. 2. c. 63.

Plod. locis cit.

teſte Plodio. In ipſa etiam Cumania Conventus fundavit eodem authore, quod & ratio ſuadet; nàm nonaginta illos Fratres cum ipſo coronatos, locum, vel loca aliqua religioſa, in quæ ſe reciperent, & ſua præſtarent, habere oportuit. tot verò homines, ſive partim in Cumania ad ordinem recepti fuerint, ſive omnes aliundè venerint, maiori temporis ſpatio eguerunt, vt in eum numerum poſſent coaleſcere; præcipuè cùm primùm ingreſſi, repulſi fuerint, & ſecundò reuerſi vix aliquid effecerint Fratres, niſi poſt ingentes labores, & ærumnas, vt ſcribit Theodoricus, cũ aliquandò deniquè etiã Principes ipſorũ divina ope, & quidem ſucceſſivè, ad fidem perduxerunt. Quis porrò æſtimet hæc omnia anno & dimidio à novis, & ignotis hominibus effici potuiſſe? Secundò, quia ex memoratis duobus Principibus, quos ad fidem B. Paulus cum Socijs convertit, Prior annos aliquot à baptiſmate ſupervixit. *Baptizatus eſt* (inquit Theodoricus) *ante omnes Brutus, Dux eorum, cum quibuſdam de familia ſua. Qui poſt aliquot annos in vera fidei confeſſione perſeuerans obdormiuit in Domino.* Bibrechum autem, qui poſterius converſus eſt, ad huc Bruto ſuperſtitem fuiſſe idem Theodoricus inſinuat. atqui Principes iſti ante Fratrum occiſionem mortem oppetiuere, *Brutus enim mortuus eſt*, ait Theodoricus, *cum prius confeſſus eſſet peccata ſua, & more Chriſtiano percepiſſet communionem à Fratribus.* de Bibrecho verò ſubdit, *Cum poſtea ſupremum traheret Spiritum, dixit ad Fratres, qui illi morienti aderãt* & cæt. non itaq; an. 1222. mortui ſunt Fratres; neque enim ſupervixiſſent illis Principibus, qui aliquot annis à baptiſmo deceſſerunt, eſto etiam ipſo an-

Theod. l. 8. c. 1

no 1221. quo Fratres venerunt in Hungariam, ad fidem converſi illũ ſuſcepiſſent, quod tamẽ nullo modo mihi fit credibile. Nec dici poteſt, hæc pertinere ad alia tempora poſt Tartarorum incurſionem, quando iterum Fratres ad Cumanos redierunt, cum vniverſi ſcriptores referant hæc ad primitias illius gentis converſionis. Tertiò, quoniam irruptionem Tartarorum in Cumaniam, Poloniam, Hungariã, vaſtationẽq; ferè Polonici, & Hungarici añales, quibus hac in parte major fides habẽda eſt, referunt in annum 1240. vſq; ad 1244. Denique, mors Principum Cumanorum ad fidem converſorum, præceſſit Tartarorum incurſionem, cum præceſſerit mortem Fratrum à Tartaris occiſorum: cum igitur mors illorum Principum anno 1222. contingere non potuerit, vt probavimus, multo minus eo tempore extitit ea Tartarorum excurſio, qua B. Paulus, & Socij apud Cumanos fuerint interempti. Qua re ſatius æſtimo cum Bzovio, & Fernandio (in quod etiam magis propendet Maluenda) dicendum, B. Paulũ cum Socijs ſuis circa annũ Domini 1240. vel 1241. nece à Tartaris illata, regna cæleſtia petiuiſſe. Sic enim vndeviginti, vel viginti años à miſſione ſua ſuperſtes, plurima ad religionis conſtitutionem, & propagationem in patria, Cumania, alijſq; circumjacentibus Regionibus præſtare potuit multiplici, vberrimoq; fructu. ſolet enim tales Deus inſtitutores, & promotores, vt plurimùm, pro communi bono diutius reſeruare. Dolendum ſanè, præclara, heroicaq; tanti viri geſta majori ex parte temporum injuria, obliterata. Prætioſa tamen illius, confratrumq; Sanctorum mors nulla vnquam potuit, aut poterit obli-

Turoc. de irrup. Tart. Bonfin. dec. 2. l. 8. à princ.

Bzov. a. 1222 n. 9. Fern. eod. an. n. 1. Malu. eodem anno c. 31.

vione

vione deleri, sed virenti semper memoria floruit, in ævũq; floresceet. De ea agens Bernardus Guido, vetustus rerum nostrarum scriptor, ait. *Cum in dictorum Paganorum* (de Cumanis loquitur) *conuersione Fratrum Zelantium animas feruor magis, ac magis augeretur, superuenit occulto Dei judicio Tartarorum persecutio, quæ non solum dictam prædicationem Fratrum nostrorum impediuit, sed multos ad regnum cœlorum festinanter ire compulit; vt circiter nonaginta Fratres nostri Ordinis, alij gladio, alij sagittis, alij lanceis interfecti, alij ignibus concremati ad regnum cœlorum transierint.* Ita Gvido. Simul verò cum istis, B. Paulum, qui erat *Dux Verbi*, & omnium antesignanus interfectum fuisse, à Senensi, Castillo, Plodio, Maluenda, Bzovio, Fernandez, Malpæo litteris est consignatum. Hic igitur exitus B. Pauli Hungari, B. P. Dominici discipuli, viri eruditissimi, & sanctissimi, primi Hungaricæ Provinciæ Fundatoris, ac Provincialis, primiq; omninò Cumanorum gentilium Apostoli, viri potentis in opere & sermone, coràm Deo, & omni populo, martyris inclyti, martyrumq; Ducis illustrissimi, qui doctoratus, & martyrij, (ac fortasse etiam virginitatis) laureis benè fulgidis ditatus, tot candidatos, & rutilantes martyres in cœlos secum deduxit, & Deo vni ac Trino, B.ma Virgine Deipara, S. Patre Dominico, totaq; cælesti aula complaudentib⁹, præsentauit. Cæterum, quod Cumanorum prædicationem attinet, etsi aliquanto tempore, occisis prædicatoribus, intermissa est, tamen in ipsa Hungaria, ad quam Cumani ob Tartarorum vastationem confugerant, Fratres pro eorum conversione laborantes, Regem ipsorum Cutenem, alioſq; plurimos

Bern. Guido in Chr.

Sen. in Chron. Castill. p. 2. l. 1 c. 50. Plod. de vir. illust. p. 1. l. 2 cal. 330-333. de prog. l. 2. c. 63. Malu. a. 1222 c. 22. Bzou. eod. an. n. 9. Fernã. in Concert Pran. eodẽ, n. 1. Malp.

sacro baptismo regeneratos cœtui catholicorum adjunxerunt, vt insequenti capite referemus. Quin etiam postquàm Tartari ad patrios lares concessere, Fratres Ordinis ad Cumanos reversi, strenuam operam nauarunt, maximoq; profectus fecerunt. Nam *Innocentius Quartus* anno 1253. vniversis & singulis Fratribus Prædicatoribus apud Cumanos verbum Dei prædicantibus, vt 30. vel 40. dierum indulgentiam his, qui concionibus eorũ interessent, elargiri possent, indulsit epistola 416. Perusij 14. cal. Februarij apud Bzovium eodem anno; is vero erat nonus, vel decimus annus à Tartarorũ recessu. & eodem anno idem Pontifex multa Prædicatoribus Cumanorum, & aliorum infidelium, privilegia concessit alijs litteris, quarum initium: *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Fratribus de Ordine Prædicatorum in terris Saracenorum, Paganorum. Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicicorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mostelitarum, Tartarorum, Hungarorum majoris Hungariæ, Christianorum captiuatorum apud Tartaros, aliarumq; infidelium nationum orientis, seu quarumcumq; aliarum partium proficiscentibus, salutem, & Apostolicam benedictionem & cæt.* & ad annum 1254. ita scribit Bzovius. *Ejusdem Innocentij authoritate magnus numerus Prædicatorum ad infidelium conuersionem destinatus, multas barbarorum prouincias peragrauit, in quibus nulla adhuc Christi notitia, nullum lumen erat, idq; eo fructu, vt ita scriptum sit, iniri non posse numerum animarum ad rectam fidem per eos traductarum, præsertim vero in Cumanorum gen-*

in pal. fidei pag. 10

Bzov. a. 1253. n. 5.

Bzov. a. 1254 n. 1.

te. Vnde Benedictus, qui cæteris præerat Fratribus, ad Generalem Magistrum scribens (quæ adhuc extant litteræ) hoc narrat, multa hominum millia, non solum ex plebe, sed etiam ex prima nobilitate, baptismum suscepisse. Idem Hieronymus Platus ex Soc. Iesu, & Nicolaus à Iesu Maria Carmelita Discal. scriptis consignarunt. Sed & sũ. Pontifex *Nicolaus IV.* anno 1288. idem diploma, quod Innocentius, dedit Fratribus Prædicatoribus. Ac deniq; Bernardus Gvido Inquisitor, posteaq; Episcopus Lemouicensis, qui circa annum Christi 1300. teste Alphonso Fernandez, Chronicon Ordinis conscripsit, loquens de Fratribus ad Cumanos, ipso, quo scribebat tempore, prædicantibus, ait. *Qui vsq; hodie cum eisdem die, noctuq; in officio prædicationis permanentes, baptizauerunt ex eis multa millia: & de die in diem cum Dei adjutorio per Fratrum sollicitudinem, & laborem ad fidei vnitatem conueniunt baptizandi.* Ad idé respicit, quod Bonfinius de Ludovico I. Rege Hungariæ, qui ab an. 1342. ad octuagesimũ secundũ vsq; regnauit, scriptum reliquit. *Cumanos*, inquit, *tartarica feritate, ac ritibus infectos ad veram fidem impensissimè reuocare studuit, & spem suam nequaquam frustratus, reuocatos, immissis eò sacris declamatoribus, Religionis magistris, quantum in se fuit, diligentissimè informauit.* Meritò itaq; dixit Nicolaus à Iesu Maria Ordinem Prædicatorum in Cumanorum conversione maximè effulsisse. Sed vniversa secundùm Deum, Deiparamq; Virg. Ordinis nostri patronam singularissimam, Beato Paulo accepta referri debent, quo duce, & antesignano peracta.

Hier. Platus de bono st. religi. l. 2 c. 29. & 30. Nicol. à I. M. in Apol. perfec. propos. 59. Bern. Gvido. Alph. Fern. in concert. pred. pag. 341. col. 1. Bonf. dec. 2. l. 10. pagina 350. Nicol. à I. M. loco s.

CAPVT SEXTVM.

De alia Cumanorum profugorum in Hungaria per Fratres Ordinis Conversione, Beatiq; Pauli sobole plurima in Hungaria Martyrio coronata.

ANno 1241. cum Bela Quartus à morte Patris Andreæ jam quinto anno peracto, regno potiretur, innumera Scytharum sive Tartarorum agmina, ceu densissimum quoddam locustarum examen ex meotica palude in regna Hungariæ, & Poloniæ proxima, ac deniq; in has ipsas Provincias se infuderunt, vniversa miserè, fœdèq; depopulantes. Prius itaq; Cumanos sibi propinquiores grauissimè infestare, capere, cœdere, absumere. Sic Beatus Paulus cum Socijs, vti narrauimus, perempti. Interim Cutenis, (quem Bonfinius Principem, Rogerius Regem Cumanorum vocat) legati ad Belam venientes deferunt, Cutenem bellum cum Tartaris gessisse, & eorum irruptionem fuisse remoratum, bis cum indomita, immaniq; gente instructa acie dimicasse, & fugasse hostem, tertiò, cùm imparatum offendissent, cum magna tandem suorum strage cessisse. Cumaniam Tartaris inundatam, ac obrutam esse, proinde impensissimè supplicare, vt extorrem, profugamq; gentem æquo animo excipiat, pro Hungaris tractet: quod si impetrare liceat, polliceri, gentem suam, non modo agros, & pecuaria curaturam, verum etiam Christianam fidem vltro subituram. Rex Bela, his auditis, duplici gaudio affectus, quòd Princeps Cumanorum, paulò sibi inferior,

Bonfin. & Rogerius loc. inf. citandis.

ferior, in deditionem ſponte veniat, & quòd in acceſſionem fidei tot hominum millia ex inſperato aſſerat, non modò poſtulatis annuit: ſed hortatur, vt in Hungariam confugiant, velut in antiquum hoſpitium, & Chriſti fidem libentiſſimè ſubeant, cujus gratia omnem Cumanæ gentis jacturam ſe reſarcirurum pollicetur. Ad hæc legatos aureis veſtibus & equis donatos cum viatico, Fratribus etiam Prædicatoribus comitibus, qui Cumanos publicis concionibus hortarentur, diſponerentq; adjunctis, ocyus dimiſit. Cuten tandē cum vniverſa gente ſua in Hungariā emigrans, à Bela ei obviā progreſſo honorificentiſſimè exceptus eſt, ac poſtmodùm Fratrū opera cum ſuis ſacra fide initiatus. Hæc carptim ex Bonfinio, qui licet Religioſos Cumanis pro eorum converſione à Rege deſtinatos, cujus fuerint Ordinis, non expreſſerit, non tacuit tamen Rogerius, qui vixit tempore illius Tartaricæ vaſtationis, & plura paſſus, librum conſcripſit, cui titulus. De deſtructione Hungariæ per Tartaros, capite enim ſecundo illius operis de re iſta agens, aperte ſcribit, Belam cum ſuis nuncijs miſiſſe *Fratres Prædicatores* ad Cutenem pro converſione Cumanorum. Huc porrò ſpectat, quod Bernardus Gvido, poſt verba capite ſuperiore à nobis recitata, ſubnectit:

Bonfin. dec. 2. l. 8. ab initio Roger. c. 2.

Bern. Gvido.

Tunc interminſa eſt dictorum Paganorum prædicatio, donec ipſi Cumani poſt prædictam Tartarorum perſecutionem de diverſis Græciæ, Bulgariæ, & Seruiæ, & aliorum vicinorum regnorum partibus, in quibus erant diſperſi, in Regna Hungariæ ad Dominum Regem pro majori parte conuenerunt, & Fratres ſalutis eorum Zelatores, decem Fratres, de communi conſilio, procurantibus Domino Rege, & Regina, qui erant Zelatores fidei, quia

ſine eorum adjutorio inter eos ſtare non poterant, eis ordinauerunt. Sic ille. Pientiſſimi ſanè Reges ac principes, qui de hoſpitũ, quos humaniſſimè exceperant, ſalute ſolliciti, etiã ſumptus pro rebus neceſſarijs, Fratribus ipſorũ Magiſtris, & Prædicatoribus cũm eis commorantibus miniſtrabant. Vix Cumani in Hungaria annum, Bonfinio teſte, exegerant, cum rumor advenit, Tartaros ad illam appropinquare. Cumania enim, Ruſſia, alijſq; pluribus Sarmatiæ regionibus vaſtatis, Poloniam, & Hungariam adorti ſunt. In Poloniã ſanè cùm ſeſe magnis agminibus infudiſſent, & fere neminem, vel pauciſſimos ſibi obſiſtentes reperiſſent, nemini barbari pepercerunt: ſed in conſpectu parentum, & conjugum, liberos, & vxores eorum omni contumeliæ genere affecerunt, ac dein vel miſerabiliter trucidarunt, vel in fœdam ſervitutem abduxerunt, villas, atq; penates incenderunt, Religioſos ſanctiſſimos, atq; templa Deo dicata ſanguine Sacerdotum, & libidinibus promiſcuis cum his, qui ad ea, tamquam ad certiſſima aſyla confugerant, polluerunt. Chriſti Ieſu Dei & hominis corpus cœlitibus venerandum, impuriſſimis pedibus conculcarunt, nec non Divorum reliquias igni exuſſerunt, & Sacras Icones, vel mutilarunt, vel fregerunt, vel quàm indigniſſimè habuerunt. Monaſteria plurima virorum atq; Virginum diripuerunt, & in eis magnam agreſtium, & nobilium multitudinem refugientium vnà cum monachis, & ſanctimonialibus trepidantibus violarunt, vel occiderunt. Populata Polonia, Vratislaviam Sileſiæ Metropolim aggrediuntur. Sed eam B. Ceslaus Odrovanſius Ord. Præd. D. Hyacinthi Frater, ad D. Adalberti

Bzov. ad an. 1241. n. 1.

Prior, miraculo defendit. Eo enim jugibus precibus, & lacrymis Dei misericordiam, & præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna cœlitus apparuit, & statiua Tartarorum vrbem obsidentium, omneq; territorium ingenti, atq; terribili fulgore colluſtrauit. Hoc miraculo Barbari perterrefacti nihil cunctati obsidionem solverunt, præsertim, cum alij (qui postea ad fidem conversi habitum Ordinis Prædicatorum susceperunt, vt diserte testabantur) super caput Ceslai, super murum orantis, globum luminis cœlitus descendentem aspexissent: alij globos igneos in castra Tartarorum ab ejus orantis manu miraculosè jaculatos, castra incendere & vidissent, & probassent. Nec minora præstiterat S. Hyacinthus, cum in Russiæ vrbe Kyovia agens, eas regiones Tartari Dei permissione popularentur. Vbi enim post fusas preces Kyoviam diripiendam esse cognovit, Tartarosq; adventantes audiuit, in Ecclesiam sui Ordinis, quam ante aliquot annos condiderat, ingressus, & oraculo D. V. Mariæ, cujus imago ex alabastro candido efficta, in altari perstabat, tertiò admonitus, ne illam, & sacra filij sacramenta barbarorum ludibrio exposita relinqueret, sed secum auferret, sacerdotalibus vestibus indutus, manu dextra sacram hostiam, sinistra autem prægrandem Deiparentis ex alabastro sculptam imaginem accepit, & septentrionem versus, adversum Boristhenis ripam obambulans, versusq; Sevarienſem tractum traijcere disponens, neq; navigium inveniens, Boristheni se commisit, siccoq; vestigio ingentis ponderis icona onustus, flumen profundissimum trajecit. Dum sic Tartari Poloniam, Silesiam, ac deniq; Moraviam

infestarent,

infestarent, Bathus omnium eorum Princeps multa millia in Hungariam invexit, eamq; non minus cœde, flammisq; vastabat. Nam quamuis Hungaros non omninò imparatos esset adortus, barbarica tamen immanitate, & numerosa multitudine facile eos prostrauit. Rogerius, Principes Tartarorum, & milites qui in Hungariam irruerunt recensens, ita scribit: *Rex Regum, & Dominus Tartarorum, qui Hungariam intrauerunt, Bathus suo nomine vocabatur. Rector vero sub ipso in malitia potentior, Bochetor appellatus. Cadan in probitate melior dicebatur. Coacton, Feycan, Peta, Hermeus, Cheb, Ocadar, majores Reges inter Tartaros censebantur, quamquam essent inter eos alij reges, quamplurimi principes & potentes: qui cum quinquies centenis millibus armatorum, regnum Hungariæ inuaserunt.* Vaciâ à Bathi copijs obsessa, Rex Bela, qui ibi erat cum exercitu, fugam cum suis capessere coactus est. Sed Tartarus cum primo impetu basilicam arce munitam, in quam Sacerdotes, cives, & ingens ex proximis pagis numerus cum liberis, & vxoribus confugerat, expugnasset, thesauro, aureis vasis, sacris vestibus, & suppellectili direptis, captam multitudinem impositam igni vniversam absumpsit. Cum Cumanis etiam propter Cutenem Regem suum ab Hungaris occisum sævientibus, icto fœdere Tartari, Iaurienses, & superiorem Pannoniam igni, ferroq; vastarunt, Sabariam diruerunt D. Martini patriam, vicum nullum intactum dimisere: Agriam incenderunt, cuncta longè, latèq; vastantes. Pesto capto, oppidanos cum liberis, & vxoribus, partim igni, ferroq; perdidere, partim fuga agitatos Danubio demersere. exercitus quoq; à Rege Bela, & Co-

Magister Roger. lib. de destr. Hung. per Tartaros c. 19.

lomanno Fratre, cœteriſq; deſertus, à fera gente adeò cœſus eſt, vt cœſorum numerus fidem exuperet, cùm per duorum dierum iter proſtrata corpora, & cruore imbuti campi viſerentur. Varadini matronas, puellas, & imbellem multitudinem, quæ in baſilicam confugerat, iniecto igne confecerunt. Nobilitatem, plebem, equeſtrem Ordinem cum collegio Sacerdotum ad vnum omnes pro mœnibus jugularunt. Violata Divorum monumenta, confracta ſimulacra, ſanctæq; reliquiæ conculcatæ omnes & peſſundatæ. Inaudita in templis comiſſa piacula, ſacræ veſtes direptæ, aurea, argenteaq; comminuta: viri cum mulieribus, poſtquam ſatis ludibrio fuere, in baſilicam introducti necabantur. Deniq; tam inaudita immanitatis genera in Hungaria vlteriore, citerioreq; patrata, vt quæcumq; crudelitatis facinora eis collata, ne minima quidem ex parte poſſent æquare. Totum triennium Tartari Hungariam inſederunt, & vix quidquam aliud, præter Strigonienſem arcem, Albam regalem, Sammartinum ipſorum manus effugit. Rex cum Regina, Prole, Proceribus, & gaza in Dalmatiam ſe proripuerat, vnde poſtea recedentibus Tartaris, Rhodiorum, (nunc Melitenſium,) militum, & Frangipanum Regulorum opera, & auxilio in Hungariam reſtitutus eſt. Petrus Matthæi author prænobilis, in geſtis S. Ludovici refert, Innocentium Quartum Sum. Pontificem, Fratres Dominicanos ad Bathum in Hungariam legaſſe de illius Religione, & belli cauſſa ſciſcitaturos: quibus Bathus reſponderit, ſe Chriſtianum eſſe, ac ni crederent, monerent ſummum Pontificem accedere, qui rem comprobaret. Fratribus verò vrgentibus,

Gaſpar Ens de rebus Hung. l. 2. in Bela 4. & Author li. Reip. & ſtatus Regni Hung. editi a. 1634. Petrus Mat. l. 1. vitæ S. Lud. Regis Franc.

cur

cur præter modum, & immanitèr adeò in Christicolas desæviret, cùm mansuetudinem, & amorem in proximos, præcipuum mandatum Christus commendarit, reposuisse. *Progenitoribus suis, sibiq; ipsi, vt de sceleroſis hominibus, cujuscumq; demum secta, aut religionis existerent, vindictam sumerent, à Deo præceptum fuisse.* Cum plurimi in ea devastatione ex omni Ordine Religiosorum, alijsq; statibus pro Christo sanguinem fudisse memorentur, ex nostro, diversis in locis, *centum circiter nonaginta*, authore Plodio, lanceis, gladijs, sagittis, igneq; consumptos, læta, & ovans cœlorum patria fulgidissimis sertis redimitos & triumphantes excepit. Nec tamen vniversum tunc B. Dominici semen in Hungaria absumptum, nam præter ea, quæ cap. sequenti dicentur, Vincentius Belvacensis, qui eo tempore vivebat, & post illum S. Antoninus ita narrant. *Anno quoq; Domini 1242. Tartari vastauerunt Poloniam, & Hungariam cum Principe suo nomine Batho.* & post alia: *& siquidem Hungari non fugissent, sed viriliter restitissent, Tartari confusi à finibus eorum exiuissent. Omnes quippe tantum timorem habebant, quod fugere vnanimiter attentabant.* deinde verò: *Porrò Fratres Ordinis Cistercienſis in quodam Monasterio suo Hungaria, cum quibus erant Fratres Prædicatores, Fratresq; Minores, eisdem restiterunt viriliter plusquam per sex menses, nullam impugnationem eorum metuentes. In Tartaris quippè vigor, & fortitudo deficit, cum eis aliquis viriliter resistit.* Veruntamẽ Maluenda divina potius ope, quã humanis viribus servatos fuisse dicit Fratres Prædicatores in Cistercienſi illo monasterio: idem & ego, mi Lector, planè judicaverim.

Plod. l. 2. de Viris Ill. col. 332. & 333.

V. Bel. vac. l. 30. sp. hist. c. 149. S. Ant. 3 p. hist. tit. 19. cap 8. §. 15.

Malu. a. 1242 c. 5.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De Viro Principe in sæculo, Martyre clarißimo, à Tartaris in eadem vastatione trucidato, hactenus anonymo, nunc verò, authoris sententia, Buzad Banfio nuncupato.

CAndidatorum tot Martyrum, quos cap. præcedente recensuimus, anteſignanus fuit, vir ſanguine, ſanctitateq; clariſſimus, cujus, ſuppreſſo nomine, meminerunt omnes ſcriptores poſt Thomam Cantipratanum Epiſcopum; qui, vbi recenſuit pleroſq; Fratres Prædicatores, & Minores, ſequentes illud Salvatoris, *ſi vos perſecuti fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam*; in Hungaricæ, aliarumq; Prouinciarum vaſtationibus, fuga ſibi conſulviſſe, ita proſequitur. *Dux quidam in Hungaria potentißimus, relictis in Principatu Filijs, Ordinem Prædicatorum intrauit. erat autem ſufficienter litteris inſtructus, & factus eſt egregius, ac deuotißimus Prædicator. Irruentibus ergo Tartaris, & Priore domus cum Fratribus fugientibus, petiuit idem Frater, quondam Dux, vt in ſolatium dimitteretur populorum, dicens, ſe confectum ſenio, & etiam ſi non occideretur à Tartaris, in proximo tamen moriturum. Permiſſus ergo remanſit in domo Fratrum, & admonitione dulciſſima, pauperibus, & debilibus, qui fugam inire non poterant, ad patientiam confortatis, ipſe vſq; ad irruptionem Tartarorum pronus in oratione, & lachrymis, in Eccleſia in modum Crucis extenſus, ante altare jacebat, & ſic ab impijs*

Thom. Canti. l. 2. de Ap. 16 vt cap. 44. n. 2. Mat. 10.

eſt occiſus.

est occisus. Recedentibus ergo Tartaris, ad domum Fratres reuersi sunt, & Fratrem quondam Ducem, lanceis terebratis pedibus, & manibus, atq; confossis omnibus membris, & cerebro excusso de capite, coram altari, vt dictum est, inuenerunt. Quo piaculo cum cuncti Fratres nimium ad lachrymas mouerentur, quidam pre cæteris horrens ingemuit, dicens: Tu Domine Deus, quare tantum virum tam iniqua morte, & pessima passus es interire? Cumq; in luctu, lachrymis, & redargutione judiciorum Dei, tribus diebus, & noctibus ferè jejunus, & sine somno penitus permaneret, tandem in excessu mentis raptus vidit occisum, quem fleuerat, dicentem sibi. Numquid non oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriã suã? Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis. *& hæc dicens, disparuit. Fratriq; querulanti diuina judicia, quæ inscrutabilia sunt, verborũ breuitate, & auctoritate satisfecit.* Sic Cantipratanus. Idem omnino etiam Leander, Senensis, Castillo, Plodius, Fernandez, Maluenda, Malpæusq;, è quibus duo postremi meritò in annum Christi 1242. vel 1243. hoc martyrium referunt (ita tamen vt etiam in 1244. meâ sententiâ referri possit) explosis alijs, qui in 1262. retulerunt. Cum Cantipratanus, cæteriq; omnes affirment, nobilissimum illum Fratrem interfectum fuisse in magna illa irruptione Tartarorum, qua Poloniam, & Hungariam vastaverunt: & certum sit ex vniversis Polonicis, & Hungaricis annalibus, & alijs eius ætatis scriptoribus, Tartaros anno 1242. & duobus alijs sequentibus vtramque Provinciam ingentibus cladibus inundasse, per trieunium enim Hungariam insederunt. Mirum autem, nec immeritò, visum est Plodio, cur anti-

Luc. 24 Rom. 8

Leand. l. 2. pagi. 57. Sen. pagi. 117. Castill. p. 1. l. 2. c. 66. Plod. p. 1. l. 2. p. 332. Fernã. conc. a. 1262. Malu. a. 1242 c. 5. Malp. pag. 30. 31. 32.

qui ſcriptores nomen tanti Martyris non prodiderint, cujus, cum eſſet ſanguine, & potentia clariſſimus, celebre dubio procul etiam nomen fuit. Leander etiam queritur nomen ejus non proditum ab authoribus, & quamuis plures codices evoluerit, invenire non potuiſſe. In indiculo tamen poſt noſtri Ordinis Martyrologium ſub Generali Magiſtro Fr. Hieronymo Xavierre, S. R. E. Cardinali editum, illum Paulum vocatum advertimus in hæc verba. *Fr. Paulus, generis nobilitate conſpicuus, in Hungaria à Tartaris ante majus altare confoſſus ſpiculis, & excuſſo cerebro, victor per ſanguinem migrauit ad Dominum.* Indiculum ſequutus recentiſſimus ſcriptor Petrus Malpæus etiam Paulum appellat. Nihilominus Fr. Thomas Maluenda eius Indiculi author, in annalibus, quos poſterius conſcripſit, quibuſq; conficiendis omnem antiquitatem diligentiſſimè rimatus eſt, illum anonymum relinquit, & vocitat, ſicq; laudes eius illo concludit elogio. *ergò clariſſimi Martyris nomen in cœlo conſcriptum maneat: glorioſus verò triumphus ad omnem memoriam ornet noſtros annales.* Ego verò res Hungaricas noſtri Ordinis, quantùm licuit, inveſtigans, in exemplar chirographi cujuſdam incidi, ex quo inclyti viri, & nomen & familiam, hodieq; in Hungaria clariſſimam mihi videor agnoviſſe. Arbitrorq; *Buzad* appellatum, ex *Banſiorum* familia nobiliſſima, qui Banus in Hungaria, quæ eſt poſt Palatinum, ſeu Viceregem poteſtas, & dignitas maxima, jam prouecta ætate ad annum Chriſti 1233. in noſtri Ordinis familiam nomen dedit. Id colligo è litteris, fideliter ex Archiuis Illuſtriſſimi & Magnifici D. Baronis, ac Comitis, Chriſtophori Banſij,

Indiculus poſt mart. Prad.

qui ex eodem Buzad Bano rectâ ducit originem, à R. P. Iacobo Nemethi Soc. Iesu Presbytero, & Theologo transſumptis, mihiq; ab eodem multo charitatis affectu communicatis, inſequentis tenoris. *Vniuerſis præſens ſcriptum inſpecturis, Buzad, quondam Banus, nunc verò Ordinis Prædicatorum Frater minimus, ſalutem in Sion, & gloriam in Hieruſalem. Significamus Vniuerſitati veſtræ, charitatem veſtram ſcire volentes, prædium noſtrum quoddam, quod vulgo Szobor nuncupatur, filio noſtro majori, Buzad nomine, cum omnibus pertinentijs ſuis jam dudum nos tradidiſſe. Vt igitur hæc noſtra donatio firma, & ſtabilis in temporibus futuris, extra omnem portionem, diuiſionemq; omnium hæreditatum noſtrarum, quæ inter jam dictum Buzad, & alios Filios noſtros eſt affutura, permanere valeat, ob teſtimonium ſolemnius, litteras præſentes, Prioris noſtri Sigillo ſtuduimꝰ roborare. Anno gratiæ 1233. Datum apud Peſth 16. Cal. Martij. Sigillum pendebat, in quo erat imago Fratris Ord. Prædic., putem S. P. Dominici cum caputio longo, continentis in dextra longam Crucem.*

Equidem Circumſtantiæ omnes, videlicèt hominis dignitas, filiorum multitudo, hæreditas relicta, ſufficiens litteratura, tempus ipſum, tàm in Cantipratenſis, aliorumq; authorum, quàm in harum litterarum narratione expreſſa, per omnia adeò conſentiunt, & in vnam eandemq; perſonam ita conſpirant, vt nulla alia ratione ad rem hanc confirmandam opus eſſe videatur. De dignitate dubitare non licet, cùm Bani gradus omni tempore, & illo præcipuè, quo res Hungarici regni maximè florebant, fuerit præclarus, vt potè Palatino, ſive totius Regni Viceregi immediatè proximus, ac propterea in vita

S. Margaritæ, quam ex vetuſto exemplari hungarico latinè vertendam curavi, Bani paſſim Duces, & Principes vocitantur. Relictæ hæreditates, & filiorum multitudo, in hiſce litteris clarè exprimuntur. Sufficientem eruditionem earundem litterarum dictatura ſatis inſinuat. Tempus deniq; mirificè conſonat, nam litteræ indicant, virum illum ad annum Domini 1233. ordinis habitum ſuſcepiſſe: irruptio autem Tartarorum in Hungariam contigit anno 1242. duravitq; vaſtatio vſq; ad 1244. cùm Bonfinius apertè ſcribat, expleto anno 1241. quo Cumani commorati ſunt apud Hungaros, Tartaros Hungariam invaſiſſe, alijq; communiter aſſerant, totum triennium in illa hæſiſſe. Cùm igitur tempore ingreſſus in ordinem provectæ ſatis fuerit ætatis, vt filiorum jam emancipatorum multitudo oſtendit: potuit poſt ſeptem & octo annos (tempore à biennio poſt profeſſionem etiam computato) quibus in prædicationis munere, alijſq; religioſis operibus Deo deſervierit, perceptâ palmâ martyrij ad cœleſtis ſedes commigrare. Quoniam verò vox illa Hungarica *Buzad*, quæ frumentum ſignificat, exteris geſta conſcribentibus, inuſitata, & incognita erat, cauſa fortaſſe fuit, vt tamquàm corrupta, ineptaq; viſa reticeretur.

Bonfin. dec. 2. l. 8. à princ.

Quòd autẽ indiculo Paulus dicatur, id fortè authoritate Pontificia, qua etiam Sanctorum ignotorum reliquiæ notorum Sanctorum nominibus baptizantur, factum fuerit. Neq; enim putem dici poſſe, Buzad in ſæculo, Paulum in Ordine appellatum, quia litterarum ſupra inductarum titulus, hanc conciliationem non admittit: non enim, *Buzad, quondam Banus, nunc verò Ordinis Prædicatarum*

Fra-

Frater minimus; sed, *Paulus, quondam Buzad Banus*, & cœt. scribendum fuisset. Tantum habeto, Lector optime, pro hactenus anonymo, & ignoto, nunc autem (meâ sententiâ) cognito, & nominato, Inclyto & Clarissimo Martyre Buzad Banfio, cujus florentem memoriam festivis, & lætis semper laudibus posteritas celebrabit. Tu verò, si secus rem habere compereris, communicare, vel corrigere, rem mihi gratissimam facturus, nequaquam omittas.

CAPVT OCTAVVM.

De Martyrum numero breuissimo temporum spatio, & Martyrij primatu, quo Hungariæ Prouincia, præ cæteris Ordinis Prædicatorum Prouincijs, gaudet.

DVabus inter alias Prærogativis gaudet Hungarica, præ cæteris Ordinis Prædicatorum Provincijs, nimirum Martyrum multitudine, & Martyrij Primatu. Quæ enim Provincia alia (nihil modo contendo de Æthiopiæ Conventibus, de Blurimanos, in quo novem millia, & de Alleluja, in quo septem millia Fratrũ comorari dicuntur, de quorũ Martyribus numerum innumerum, qui trecenta & eò amplius millia facilè transcendat, colligit Frater Ludovicus Vreta in historia de rebus Æthiopicis) adeò fœlix fuit, & fœcunda, vt viginti trium annorum spatio ad trecentos Martyres, velut botros pretiosissimos, ex vineis Engaddi decerptos, in superna Cœlorum cellaria transmiserit, quemadmodum Hungariæ

Ludov. Vreta, de reb. Aeth. pro his vide etiam

Malp. l. c. à pag. 76 vsq; ad 94.

Provincia, quæ ab anno 1221. quo cœpit institui, vsq; ad 1244. primùm duos Fratres à Cumanis interfectos, deinde nonaginta cum B. Paulo Duce apud Cumanos à Tartaris trucidatos: accedeniq; centum nonaginta alios cum B. Buzad Banfio in Hungaria per Tartaros martyrio consummatos destinauit? De Primatu porrò Martyrij posset alicui forsasse difficultas suboriri, nùm is Hungaricæ Prouinciæ sit concedendus, quòd primum Ordinis Martyrem Beatum Fratrem Conradum Marpurgensem, ex Prouincia Teutoniæ, extitisse aliqui censeant. In Indiculo enim

Indic. post privil.

post Priuilegia Ordinis à Magistro Generali Fr. Stephano Vsusmaris edita, Tit. Martyres, sic legitur. *Fr. Conradus Teutonicus, Primus Inquisitor in Germania, anno 1228. ab hæreticis, dum concionaretur, occisus, martyrij coronam retulit primus ex Ordine Pradicatorum.* Idem scribit Leander.

Leand. lib. 2.

Primus, inquit, *fuit ex Ordine Prædicatorum, qui martyrij palmam reportaret.* Idem alij. Attamen Primatum hunc Prouinciæ Hungariæ multi concedunt. & verè, saltem quoad illos duos Fratres, qui à Cumanis, cum secundò ad eos regressi sunt, mactati fuere, concedendus est. Neq; enim ego putaverim Fratrum ad Cumanos profectionem ante annum 1230. non incœpisse, neq; vllum scriptorem vidi, qui etiam priorem non faciat: cum itaq; sub initium illius duo martyrio affecti fuerint, vt ex superius relatis colliqueſcit, efficitur, hos ipsos duos, ante B. Conradum Marpurgensem, cujus mortem incidisse in annum, non 1228. sed 1233. solidè, & lucidè Maluenda in annalibus manifestat, ex hac mortalitate sublatos fuisse. Hanc sententiam, tamquam verisimiliorem, sequutus est noviſſi-

Malu. a. 1233. c. 17.

mè post

mè poſt alios authores Petrus Malpæus Belga, qui proinde ab his duobus anonymis Martyribus à Cumanis interemptis ſuæ Palmæ fidei de Sanctis N. Ordinis exordium ducit. Quòd verò aliqui Conradum vocent primum Ordinis Martyrem, intelligunt, ait Maluenda, vel fuiſſe primum Inquiſitorem Martyrem, vel primum, qui expreſſo nomine prodatur Martyrio in Ordine coronatus; nam illi primi martyres, anonymi. & certè, ſi quod Leander aſſerit, abſolutè accipiat, ſibi ipſi non conſtat, qui Conradum dicat anno 1228. obijſſe, & nihilominus ſcribat ante annum 1222. Fratres duos à Cumanis interfectos, & ipſo anno 1222. nonaginta Fratres à Tartaris trucidatos. Sed & alio argumento capite inſequente probabimus in Hungarica Provincia Martyrij Principatum.

Malp. in palma fid. pagi. 3.

CAPVT NONVM.

De alijs pluribus ex Hungariæ Provincia per eadem tempora Martyrio Candidatis.

NOn ſunt omittendi viri alij martyrio illuſtres, qui per eadem tempora, vel non adeò longè poſt eandem Provinciam ornarunt. ex ijs extitit *Fr. Ioannes Hungarus*, de quo ſcriptum reperimus, quòd cum adverſus hæreticam pravitatem ſanctæ Inquiſitionis munus in patria ſtrenuè obijſſet, in eodem Regno ad Epiſcopalem curam promotus, à ſubditis hæreticis, quòd prædicaret, propagaretq; fidem catholicam, lapidibus obrutus ſit, & poſt mortem plurimis vulneribus ſæviſſimè tru-

cidatus.

cidatus. *Fr.* etiam *Nicolaus, natione Hungarus*, qui similiter ex Inquisitore S. officij Episcopus factus, ob fidei defensionem, viuus S. Bartholomæi instar, est excoriatus. De hisce duobus martyribus scriptores omnes consentiunt, nisi quòd excoriationem, sicut & lapidationem alij Nicolao, alij Ioanni asscribunt. De tempore major dissensio, quibusdam vtriusq; ad annum 1230. quibusdam vnius ad 1250. alterius verò mortem ad 1270. referentibus. Videri possunt Plodius, Malpæusque.

Plod. p. 2. in appendice Malp. pag. 33. Malp. p. 34.

Meminit etiam Malpæus ante annum 1250. alterius *Fr. Pauli Hungari*, qui cum esset in Dalmatia Cœnobiarcha, à Paganis catena ad palum alligatus, viuusq; concrematus, martyrij palmam accepit. Refert Antonius Senensis in Chronico, decade ab anno 1240. ad 1250. aliorum triginta duorum nobilem triumphum hisce verbis. *In Hungaria confinio, Bosina, & in Dalmatia, triginta duo Fratres nostri à Turcis illas partes inuadentibus fuerunt pro Christo aquis submersi. Ad quorum gloriam demonstrandam quolibet anno in die passionis eorum, operante Domino, totidem luminaria apparere consueuerant in eodē loco passionis eorum.*

Anto. Senen.

Idem scribit Leander. Aliorum qui in Bossina, & Dalmatia martyrium passi sunt ab hæreticis, narrationem sic texit Leander. *Cum Bosina, & Dalmatia maximis agitaretur erroribus, populos hæreticis seducentibus, à Pontifice Maximo Colocensis Antistes illuc legatus missus est, vt seu suasionibus, seu Crucesignatorum armis ad sanam mentem redire compelleret. Sed cùm nec verbis, nec armis ab erroribus suis auelli possent, rem prorsus desperatam jussu Pontificis Prædicatoriæ familiæ commisit Antistes. Qui Pontificis jussa diligen-*

Leand. lib. 2. pag. 59 loco preci.

ter, & intrepidè perficientes, cœperunt disceptationibus litterarijs, & concionibus hæreseos labe inquinatos tàm acriter vrgere Colomanno Rege assistente, vt plures coegerint à tenebris ad verum fidei lumen redire. Verum initio ex Fratribus plures, dum constantissimè fidem Christi tuerentur, martyrio coronati sunt. Tandem pede firmato, multos erroribus implicitos, & in sua perfidia obstinatos igni tradiderunt. Deinde Fratrum opera, templa destructa, spinis, fruticibus, virgultis oppleta, sunt instaurata. Hæc facta esse ad annum 1222. testantur non solum Leander, sed etiam Maluenda, Bzovius, Fernandez, Malpæus, post priscos authores Bernardum Gvidonem, & Iacobum Susatum, qui etiam scribit duos Conventus Ordinis ab hæreticis igni absumptos fuisse. Quæ vero hæresis fuerit, quæ ad eum modum nobilissimas Illyrici Provincias eo tempore defœdaverit, ex Matthæo Paride in historia Anglicana anni 1223. Bzovius in annalibus Ecclesiasticis prodidit his verbis. *Circa dies istos hæretici Albigenses constituerunt sibi Antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, cujus nomine Bartholomæus quidam Carcassonensis Vicariam sibi potestatem vsurpabat, à quo in illis partibus error iste adeò inualuit, vt etiam Episcopos, & alios multos regionum illarum ad suam allexerit prauitatem. Contra quem Conradus Portuensis Episcopus, & in partibus Galliarum Apostolicæ sedis Legatus, ex Sac. Cisterciensium Ordine assumptus, Rhotomagensi Episcopo scripsit in hæc verba. Venerabilibus Patribus, Dei gratia, Rhotomagensi Episcopo, & ejus Suffraganeis Episcopis, salutem in Domino Iesu Christo. Dum pro sponsa veri Crucifixi vestrum cogimur auxilium implorare, prius compellimur lacerari singultibus, &*

Leand. lo. c. Malua. a. 1222 c. 23. Bzov. eod. an. n. 10. Fernã. eod. an. n. 2. Malp. pag. 11. Bzov. loc. c. n. 11.

plorare. ecce, quod videmus, loquimur, & quod ſcimus, teſtificamur. Ille homo perditus, qui extollitur ſupra omne id, quod colitur, aut dicitur Deus, jam habet perfidiæ ſuæ præambulũ hæreſiarcham, quem hæretici Albigenſes Papam ſuum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt Hæretiti Albigenſes, vt ad eorum conſulta reſpondeat. Etenim de Carcaſſona oriundus, vices illius Antipapæ gerens, Bartholomæus Hæreticorum Epiſcopus, funeſtam ejus exhibendo reuerentiam, ſedem, & locum conceſſit in Villa, quæ Porlos appellatur, & ſeipſum tranſtulit in partes Toloſanas. Iſte Bartholomæus in litterarum ſuarum vndiq; diſcurrentium tenore, ſe in primo ſalutationis alloquio intitulat in hunc modum: Bartholomæus Servus Servorum ſanctæ fidei, tali ſalutem. Ipſe etiam inter alias enormitates creat Epiſcopos, & Eccleſias perfidè ordinare contendit. Rogamus igitur attentiùs, & per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti propenſiùs obſecramus authoritate D. Papæ, qua fungimur in hac parte, diſtrictè præcipientes, quatenus veniatis Senonis in octauis Apoſtolorum Petri, & Pauli proximè futuris, vbi & alij Prælati Franciæ, fauente Domino, congregabuntur, parati conſilium dare in negotio prædicto, & cum alijs, qui ibidem aderunt, providere ſuper negotio Albigenſi, alioquin inobedientiam veſtram D. Papæ curabimus ſignificari. Data Planium 6. non. Julij. Dùm hæc contra Bartholomæum Carcaſſonenſem in Gallijs ageret Legatus, eundem tumultum mors prædicti Antipapæ celeriter terminauit. Hactenus Bzovius. Cæterum recenſiti martyres, quin ad Hungaricam Provinciam pertineant, dubitari non debet: nam etſi Ordo Prædicatorum in Dalmatiam invectus eſt anno Chriſti 1217.

per

per Fratrem Gregorium Dalmatam, Beatiſſ. Patris Dominici Socium, qui primùm Spalati, ſive Salonis eodem anno ſub auſpicijs Vgrini Hungari, Archiepiſcopi Spalatenſis Conventum fundavit, vt ex certis monumentis Maluenda, & Plodius oſtenderunt: tamen ex quo Ordo etiã in Hungaria locum obtinuit, omnes Conventus in Coronæ Hungariæ regnis (quibus Boſſina & Dalmatia inter alia comprehendebantur) exiſtentes, ad vnius Provinciæ Hungaricæ ambitum attinebant ad annum vſq; 1476. quandò ob multitudinem Conventuum, ex Conventibus Regnorum Dalmatiæ ab Hungarica Provincia ſejunctis, nova Dalmatiæ Provincia erecta eſt. Vnde liquidò colligitur etiam ex hoc capite Martyrij primatum eidem Hungaricæ Provinciæ, non verò Teutonicæ, propter B. Conradum Marpurgenſem, quando is etiam anno 1228. ob fidem cæſus fuiſſet (quod non admittimus) concedendum eſſe. En, Lector optime, quanta Martyrum ſeges in hac Provincia, Duce B. Paulo primo ejus Provinciali, & Fundatore, intra breue (pro tanta multitudine) annorum ſpatiũ ſuccreuit. Vt nihil mirum, ſi tantũ eadem Provincia promoverit, vt etiã à Dalmatia ſeparata, ſupra ſeptuaginta monaſteria enumeraret. Sanguine enim ejus domicilia fundata ſunt, ſanguine multiplicata, vt verè in eam maximè conquadret illud ſcripturæ. *Filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis, impleverunt terram.* &: *Quantoq; opprimebat eos, tantò magis multiplicabantur, & creſcebant.* illudq; Tertulliani ad Gentes: *Semen eſt ſanguis Chriſtianorum; abundamus, cum metimur à vobis.* Nec quiſpiam inficiabitur, conſequentibus

Malu. a. 1217 c. 23. Plod. dev. ill. 2. p. in princ. trac. de Prov.

exod. 1.

Tertull. in apol.

etiam annis, seculis nimirum tribus, & supra, quibus Ordo noster viguit in Hungaria, plurimos alios martyrij palma insignitos fuisse, potissimùm, quod sanè quàm multi ex hac Provincia ad partes infidelium, occasione Congregationis peregrinantiũ, quæ Fratribus, immo Conventibus etiam ex ea assumptis constabat, indefessè peragrarent. Certè etiam proximè præterito seculo ejusdem Provinciæ Fratres eodem triumpho illustres fuisse, à fide dignis accepi. Nam in *Beregsaz* complures nostri Ord. Religiosos odio fidei ab hæreticis interfectos ad annum 1566. P. Iacobus Nemethi, vir doctus, & pius ex Soc. Iesu, & in perscrutandis rebus Hungaricis ad Christianam religionem spectantibus, accuratissimus, ex certa relatione mihi narrabat Posonij in Collegio ejusdem Soc. anno 1635. die 7. Septembris.

P. Iacobus Nemethi So. Iesu.

CAPVT DECIMVM.

De fœlici B. Sadochi, B. Pauli Coapostoli, Sociorumq; eius quadraginta octo agone.

NVlla ratione prætereundus nobis hoc loco est Beatus ille Sadochus vitæ religiosæ perfectione, & sanctitate percelebris B. P. N. Dominici discipulus, Beatiq; Pauli Hungari in Hungarica missione Coapostolus, cujus in superioribus non semel meminimus. Is sanè, qui haud improbabilitèr Polonus fuisse à quibusdam asseritur, quamuis antiquiores scriptores ejus Patriam (ni malè recolo) non recensent; vi-

gilijs,

gilijs, precibus, macerationibus, meditatione, jejunijs, concionibus feruentiſſimis, catecheticis inſtructionibus, ſacramentorum miniſterio, alijſq; pijs operibus, & exercitationibus in Hungaricæ vineæ cultura (quippequi à S. P. Dominico ad hoc peculiariter ſelectus miſſuſq; fuerat) magno exemplo, & animarum emolumento per multa tempora ſtrenuè laborauit. Diù verò B. Paulo & Hungaricæ vaſtationi, non, vt martyrij palmam amitteret, ſed, vt majore ſibi eam fœnore redderet pretioſiorem, fuit ſuperſtes. Nam cùm in Poloniam perrexiſſet, & Priorem Sandomiriæ cum quadraginta & octo Fratribus ageret, in alia Tartarica irruptione, quæ ad annum 1260. contigit, nobiliſſimo agone cum ſuis occubuit. Rem planè ſcitu digniſſimam Bzovius ad præcitatum annum refert in hunc modum. *In Polonia hoc anno innumerabilis martyrum numerus in cœlum migrauit à Scythica manu. Eorum enim vis ingens Nogarij, & Celebuga Ducibus in Poloniam ſe infudit, qui longè latèq; graſſantes multos mortalium incautos oppreſſerunt. Zauichoſtenſe Clariſſarum, & Lyſſecenſe Cluniacenſium cœnobia violarunt. Arcem Sandomirienſem per fraudem interceperant, & omnes, quotquot in ea inveniſſent, trucidarunt. Pleraq; enim omnis vicina nobilitas, & oppidani, atq; agreſtes multi cum vxoribus, liberis, & fortunis ſuis eò confugerant, ſed eâ dolo malo occupata, tanta cædes à barbaris, (matronas tantum, & puellas formoſiores, ad contumeliam, & explendam libidinem reſervantibus) facta eſt, vt ſanguis cæſorum ad Viſtulam vſq; difflueret. Sæuierunt etiam in Fratres Prædicatores tunc, ſiue ad D. Iacobi, ſiue ad D. Mariæ Magdalenæ cœnobia degentes. Mirum eſt, quod tunc accidiſſe ferunt.*

Abr. Bzov. a. 1260 n. 3. poſt Cromerum l. 9 Michoviam l. 3. c. 44. Plod. etiam 2. p. l. 1 c. 62. & 63 Fernã. in Concert. a. 1260. n. 1. Malp. pag. 51.

Nocte antecedente eam cladem, B. Sadoch Prior Cœnobÿ, devoto Fratrum grege cinctus, matutino officio intererat. Ibiq; per antiquo Religionis more, Tyro indiculum martyrÿ ad diem sequentem pronunciaturus, ex templò litteris aureis, nouos & insolentes characteres exaratos conspexit eum in modum. Sandomiriæ passio quadraginta novem Martyrum. *legeret, an taceret, animi dubius fuerat. timore tamen abjecto, cygnea licet trepidante voce recitauit aureum edictum:* Sandomiriæ passio quadraginta novem Martyrum. *lectione inaudita, obstupuit Sadochus, atq; cæteri Fratres obriguerunt ad titubantem vocem, interq; fauces hærentem, vtcumq; tamen intellectam pronunciationem Nouitÿ. Diariam illam lectionē postulauit Prior, videre desiderauerunt & reliqui pauore nimio perculsi sodales. Porrexit librum Tyro, aureæ interim litteræ cum notis* Sandomiriæ *inter manus Fratrum legentium euanuere. Diuina hæc est, ait Sadochus, præmonitio, Fratres. Cœlitus exaratæ illæ notæ non frustra innocentis oculis subjectæ sunt. Auctor vitæ, & mortis certo certius nos ad vitam fœliciorem, & immortalitatem perennem inuitat. Eia per gladios etiam ancipites post trahentem indefesso pede curramus. Vitam nobis eripiet Scytha? Quam? fluxam, calamitatibusq; obnoxiam periculis undiq; objectam. mortem inferet diram? at ea est nobis in hujusmodi fluctibus portus, in quem nos plenis velis conuolare decet, ac per eum ad perpetis vitæ gloriam nobis iter apertum conficere licet. Reuocate tantum, oro, in mentem vitæ antecedentis metam, &, si quos animo habetis adhærentes næuos, eos sacra exomologesi expiate. Dulcissimo postea viatico roborate spiritum, mox sidera regna petituri. Sempiternæ laudis proposito ornamento, obnixo in omnes casus pectore, mucronibus jugulos*

vestros præparate. moriendum est, sed alacri animo. Pro his aris sacratis, pro his imaginibus Christi, & sacrosanctæ Dei parentis, pro hoc incruento viuifico sacrificio fortitudo nostra per patientiam exercenda est. Animati Fratres diuino oraculo, quod superfuerat temporis, totum impenderunt præparationi, aduentum Magni Dei ex imo pectore suspirantes. O quando optata illa hora aduenier, quæ nos terris sublatos cælis reddet. fœlices nos: optatos gladios, qui nos beatorum spirituum cœtibus interserent. Suauissime Iesu, sacra spes suspirantium, Mariâ, quando tandem? illuxit tandem illis optatissimus sol, quo terrena compage soluta ex corporeo carcere euolaturi essent. Supervenerunt truculentissimi Scythæ, velut leones sanguinarij, & Pastorem Sadoch cum grege illo Fratrum deuotissimo, in medio Ecclesiæ, velut Cygnos aliquos, extremam illam hymnodiam Salve Regina, Matri misericordiæ suauiter occinentes interemerunt. Frater quidam, qui se in superiori parte Ecclesiæ abdiderat, vt audiuit, illico descendens, sanguinolentis Scytharum gladijs jugulandum objecit, comitemq; se adjunxit Fratribus ad cœlum euntibus, & dulce melos tuum, ò Sanctissima Virgo, personantibus. Matthias Michouius rerum Polonicarum scriptor refert, quòd hoc malum cum Boleslaus Pudicus, & Prandotha, Cracouiensis Ecclesiæ Pontifex, Alexandro Quarto Papæ per nuncios, Decanum, & Canonicum Cracouiensem declarassent, visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Sandomiriensis, ad quam Divorum Martyrum corpora asportata fuerant, parem Indulgentiam concessit Polonus, & Peregrinis, quotannis die 2. Iunij, quam habent S. Mariæ ad Martyres, seu etiam Majoris in Vrbe. In hodiernam sane vsq; diem strages illa, quasi Martyrũ Christi anniuersaria celebritate, postridie Cal. Iunij, Sandomiriæ

miria magni populi concursu recolitur, magna ista Alexandri Quarti Pontificis max. Indulgentiæ cumulata, atq; dedicata. De Beati Sadochi, fecundi à Beato Paulo Hungaricæ Provincia Fabricatoris morralis vitæ fine, glorioſoq; per omnem æternitatem triumpho, ſatis.

CAPVT VNDECIMVM.

Miracula S. P. Dominici quibus eiſdem temporibus Ordo Prædicatorum in Hungariâ eſt propagatus.

NOn ſolum per ſanguinem Martyrum prædicantium vbiq; in Regno Hungariæ, Religionem Prædicatorum ibidem fundatam, firmatam, propagatam, ſed etiam per ingentia plurimaq; miracula, quæ meritis Beatiſſimi Dominici P. N. contactuq; & veneratione quarundam illius reliquiarum, indeq; Populorum totius Hungariæ grandi in illum devotione excitata, Deus O. M. operari dignatus eſt, maxima incrementa ſuſcepiſſe, cui ea, quæ ſubijciemus, legere placuerit, minimè dubitabit. Neque enim plura, aut majora ſigna in alia qualibet Ordinis Provincia (ſi Calabricam tollas, in qua ad imaginem S. Patris cœlitus à Beatiſſ. Virgine Deipara, Divis Magdalena, & Catharina V. & M. comitata, ad Cœnobium de Suriano ante ſeculum delatam, maxima etiamnum quotidie patrantur) per S. Patriarcham facta fuiſſe legi: neq; fortaſſis alius quiſquam cæterorum Ordinũ inſtitutor, aut ſectator, majora, pluraue amoris argumenta benefaciendo de Cœlo, quàm Sanctiſſ. Pater N. in

Hungaros ostendit. Theodoricus Appoldianus, Episcopus, qui gesta B. P. Dominici octo libris complexus est anno Christi 1290. in principio libri octavi (non quidem ejus, quem edidit Surius, is enim mancus videtur, vt etiam Maluenda agnoscit, propterea fortasse, quòd integrum Theodorici opus (vt contingit) non habuit, sed qui in membranis manuscriptus cum reliquis, in Vienn. nostri Ord. bibliotheca asseruatur, quemq; sæpe legi) de hisce miraculis agens, ita scribit. *A solis ortu vsq; ad occasũ in Sancto Dominico laudant pueri nomen Domini. Nam propitium sentiunt in necessitatibus inuocatum. Multis namq; & diversis, sed in ijs præcipuè, quæ infidelibus adjacent regionibus, miraculis glorioſis coruscauit. Vnde in Regno Hungariæ, cui Cumanorum gentilis populus conterminus est, cujus fidem, & salutem Beatus Confessor summè desiderauit, stupendæ, & innumera mirabilia per ejus merita contigerunt.* & alio loco agens de prædicatione Fratrum Hungarorum apud Cumanos, & alios: *Profecerunt itaq; (ait) in regionibus illis Fratres prædicando, hæreticos, schismaticos, gentilesq; ad Fidem Catholicam conuertendo, Domino cooperante, & sermonem signis efficacibus confirmante. Infinita etenim miracula per gratiam Dei, meritis B. Dominici in pluribus Conuentibus nostris sunt in Hungaria facta, adeoquòd etiam numerum excedunt: de quibus aliqua, quæ fideli testimonio probata sunt, ascribere curauimus ad gloriam Domini Iesu Christi.* & alibi memorat ad reliquias B. Patris in Simulu apud Fratres Prædicatores reconditas, populos religionis, & voti causſa venire solitos, ad quas plurima sint facta miracula, & præter alia, sic ait. *est quædam illius Regni* (Hungarici) *regio, qua Simulu nomina-*

Theod. de Appoldia. l. 8. vita S. Domi. c. 1.

cap. 30.

cap. 40.

tur, vbi in Conventu Fratrum almi Confessoris recondita habentur reliquiæ sacrosanctæ, quas populus cum multa deuotione frequentans veneratur, reportans meritis ipsius optata beneficia sanitatum. Regionem Simulu æstimo vocari Similiensem, seu Simigiensem (vt nunc vocant) Comitatū in Hungaria notissimum, in quo, vt patet ex catalogo Conventuum à S. Antonino, Plodio, alijsq; descripto locū habuimus, quem ipsi Similij, vel Similiensem appellant. Præcipua enim eius Comitatus Ciuitas Similiū, vel Simigiū (hungaricè Somogy) etiā hodie dicitur, estq; proh dolor, sub ditione Turcarū. Quare melius *Simulu* à Theodorico, & Flaminio, quam *Sinulu* à Vincentio Belvacensi dictū putaverī. Reliquiæ porrò illæ fuerunt digitus de corpore B. P. Dominici defuncti avulsus, & in Hungariam delatus, vt ex Flaminio refert Maluenda. Vincentius in speculo historiali, quod an. 1244. absoluit (vt ipsemet ad finē illius testatur) qui sanè annus fuit ab ingressu Ordinis in Hungariam, & à morte Sanctiss. Patris 23. acturus de miraculis ejusdem Patriarchæ post mortem, primarium locum factis in Hungaria, tamquàm mirabilioribus assignat, ait enim. *Iam ad reliqua, quæ post hoc diuersis in locis per merita glorioſi Confessoris B. Dominici ad exaltationem sui nominis Deus ostendere dignatus est, fidelis narratio subsequatur. & primum quidem ea, quæ in Hungaria facta cognouimus, stupenda prorsus, maximè circa mortuos suscitatos.* Igitur hunc ordinem sequentes, quæ de mortuis suscitatis in Regno illo litteris consignata reperiuntur, primo loco cum Vincentio sincerè adscribimus. Ait ergò.

S. Anto. 3. p. tit. 23. cap. 13. §. 2. ad fi. Plod. in prog. l. 2. c. 63 Flam. in vita S. Dominici Malu. a. 1221. c. 47. pagina 379. colu. 1. in prin. Beluac. in spec. hist. l. 30. ca. 116.

I.

In Sinulu (Theodoricus, Simulu) *regione illius Provinciæ quidam nobilis cum vxore ſua deuotionis cauſſa ad reliquias Beati Dominici, quæ in domo Fratrum habebantur, viſitandas acceßit, cujus filius, quem ſecum duxerat, paruulus, infirmatus ibidem, ad extremum vitæ moriendo peruenerat: quem Pater mœrens, ad Eccleſiam deferens, coram altari B. Dominici voce flebili lamentari cœpit, & dicere: Beate Dominice, lætus veni ad te, & triſtis redeo. Redde mihi, quæſo, filiũ meum, lætitiam cordis mei. Cumq; ſic lugens vſq; ad noctem perſeueranter exiſteret, circa noctis medium puer reuixit, lac ſuxit, ac per Eccleſiam ambulauit. Sicq; ad domum propriam incolumis eſt reportatus.*

II.

Inuenis quidam D. Iuſtinæ Comitiſſæ (ea fuit ſecundum Flaminium vxor Comitis Nuke) *mancipium, dum in ora Fluminis piſcationi minus cautus inſiſteret, in aquam lapſus, ſuffocatus diſparuit. Magno autem ſpatio temporis interjecto, ejus corpus in profundo fluminis requiſitum, mortuum eſt eductum. At præfata Domina ſuper ſubtracti famuli nece miſerabili condolens, pro reſurrectione ejus B. Dominicum invocauit, promittens ſe & ad ſuas reliquias in Sinulu perſonaliter viſitandas nudis pedibus acceſſuram, & reſtitutum mancipium libertati daturam: ſtatimq; qui fuerat mortuus, in medium, videntibus omnibus, vitæ redditus proſiliuit.*

III.

Viri nobilis, Ladislai nomine, filius paruulus, lethali febrium infirmitate deceßit, cujus corpuſculum pannis inuolutum extra domum fuerat jam delatum. Mater vero inter ni-

miam tristitiam resumens spiritum, accersiri fecit ad se continuò Sacerdotem, coram quo emisso voto, cum B. Dominicum invocassent, qua plorabat mortuum, recepit filium vitæ protinus restitutum.

IV.

Vir quidam de Villa Lelesz, Gothardus nomine, orbatus Thoma nomine filio jam defuncto, superveniente nocte solus remanens circa corpus ejus, plorans, & ejulans residebat, B. Dominicum, vt Patri filium redderet, incessanter votis pariter, & vocibus interpellans. Factum est igitur, vt circa pullorum cantum, qui mortuus fuerat, se moueret, & apertis oculis Patri dixit. Quid est, Pater, quòd sic habes faciem madefactam? Cui ille. lachrymæ Patris tui sunt fili, quia tu mortuus fueras, & ego solus remanseram omni gaudio destitutus. At ille: multum, inquit, fleuisti, Pater: sed B. Dominicus desolationi tuæ compatiens, vt tibi viuus redderer, suis meritis impetrauit.

V.

Vinc. lo. cit. c. 117.

Crebrescente per totam Hungariam virtutum hujusmodi fama, vir quidam ad omnia infidelis prorsus, & incredulus persistebat. Contigit autem filium ejus grauiter infirmari, qui & tandem spiritum exhalauit. Quidam autem ex his, qui ad consolandum patrem venerant, dixit: Crede B. Dominicum magni esse meriti apud Deum, & ipsum invoca toto corde. Forsitan, qui plerosque mortuos suis meritis suscitauit, tuum etiam filium suscitabit. Tunc ille compunctus corde super præterita incredulitate, amarè redarguit semetipsum, assumptaq; fiducia, ab invocatione B. Dominici per noctem illam gemitibus, & precibus non cessauit. Igitur prima hora diei, qui jacebat mortuus, manum mouit, & velamen rejecit, quo ejus facies inuoluta fue-

rat,

rat, ac surrexit. Tandemq; Pater cum filio suo suscitato in Sinulu properans, quanta sibi fecerat Dominus, ad honorem S. Dominici nunciauit.

V I.

Honestus etiam quidam vir, nomine Gentus, de Villa Pinar, cum suis Parochianis ad Fratres venit, filium paruulum secum ferens, ac dicens: Hic est Filius meus, quem B. Dominicus jam defunctum à mortuis suis meritis suscitauit. Nam cum à summo mane vsque post meridiem in domo mea in medio vlulantis familiæ jaceret exanimis, subtraxi me paululum: & recordatus, quòd Deus B. Dominico super mortuos suscitandos tantam gratiam contulisset, sumptâ fiducia, locum, in quo orare consueueram, adij, & glorioſum Dei Confessorem, vt orbo Patri vnicum redderet filium fusis amarissimis lachrymis invocaui. Cumq; redijssem ad corpus pueri, & me super faciem flens, & ejulans incuruarem, ecce puer aperuit oculos factus viuus.

Vinc. lo. cit. Theod. l. 8. S. Anto. 3. p. hist. ti. 23. c. 4. §. 7.

Has sex mortuorum suscitationes factas in Hungaria, referunt, præter Vincentium, Theodoricus, S. Antoninus, Flaminius, Maluenda, & alij, ex illisq; tres Iacobus de Voragine Archiepiscopus Genuensis. Duas alias refert Flaminius, & post ipsum Maluenda hisce verbis.

Flã. in vita S. Dom. Malu. a. 1221. c. 47. Iac. de Vor. in leg. S. Dom.

V I I.

Alba Regalis, ejusdem Prouinciæ (Hungariæ) Vrbs est, cujus Ecclesiæ Præpositus (dignitatis Ecclesiasticæ id nomen est) objerat. Circa jacentis cadauer cum jam pararentur exequiæ, multi assidebant; è quibus vnus diuino, vt credibile est, instinctu ait: ego quidem in opinionem adducor, posse defunctum hunc nostrum ad vitam revocari, si digitus huc B. Dominici afferatur. Placuit omnibus consilium, & ad multa funalia accensa

Flam. loc. cit. Malu. c. 58.

allatus

allatus est in Calice sacro digitus, quem monasterij Præfectus aqua lauit, quam ori jacentis immisit, quæ vbi descendit in guttur, extinctus ille continuò reuixit.

I I X.

Obierat annorum duodecim puella in loco, qui ab Vrbe Simulu antedicta diei vnius itinere distabat. Propinqui, & amici Patrem hortati sunt, vt aquam juberet afferri, qua B. Dominici sacer digitus esset ablutus, sperantes fore, vt ope acceptissimi Deo Sancti ad vitam puella reuocaretur. Laudauit consilium pater, & continuò ipse profectus est. Abiens autem jussit, ne vllo pacto, priusquam rediisset ipse, filiam sepelirent. Sed, cum differre nimium propter distantiam loci videretur, decreuerunt illam sepelire domestici. Quare cum jam efferrent, inciderunt in patrem, qui aquam afferebat. Excanduit ille, ac suos grauiter increpans, qui contra sanum jussum filiam sepelirent, consistere jußit lectum ferentes funebrem. Tunc ipse adstante multitudine, ori per vim aperto aquam immisit, & statim stupentibus omnibus vitæ restituta est.

I X.

Theod. li. 8 c. 13. Flã. lo. cit. Malu. cit. c. 38.

His deniquè additur aliud planè insigne, atq; stupendum, quod Theodoricus lib. 8. c. 13. juxta integrum præcitatum M. S. & Flaminius recenset, & post Flaminium etiam Maluenda, de puero in Hungaria à mortuis excitato, quod ex eisdem sic accidit.

In Hungaria honesti quidam homines filium in annis infantilibus per viam vniuersæ carnis ad cœlestia euolantem amiserant, Inde vehementer contristati, Sanctos Cosmam & Damianum, quos jejunijs, orationibus, eleemosynis, & oblationibus præcæteris honorare solebant, pro pueri suscitatione an-

xij, supplici oratione deprecabantur. Sanctis igitur Martyribus suorum supplicum vota Deo offerentibus responsum est, consilium Altissimi id Serui sui Dominici arbitrio remisisse. Interpellatus à Sanctis Martyribus Pius Arbiter, cum tantorum intercessorum precibus annuendum decreuisset, puer viuus, anima corpori ab Angelis reddita, parentibus traditus est. Is adolescens postea S. P. Dominici, cujus arbitrio reuixerat, Ordini se adjunxit, & quæ circa se gesta fuerant, charitatis Zelo compulsus enarrauit. Cum enim studeret Parisijs, & nouitius quidam insignis ad exitum ab ordine tentatus, nullis posset persuasionibus retineri, vt Fratrem periclitantem Domino lucraretur, eidem tentato, quid secum factum fuisset, reuelauit: asserens, se in conspectu Dei B. P. Dominicum admirabili decore fulgentem, Prædicatorumq; Ordinem, insigni, præ cæteris, gloria exaltatum conspexisse. Quare, quod diù latuerat, est patefactum, & tentatus Frater accepta consolatione, in Ordine perseuerauit. Erat autem Frater, qui reuixerat, pius valdè, ac prudens: & ad superna, quæ degustauerat, totis semper viribus intentus, atq; suspensus: & licet rariùs loqueretur, exactiùs tamen quædam de Angelis, Cœliq; Regina differebat.

CAPVT DVODECIMVM.

Alia miracula circa eadem tempora in Hungariâ per S. P. Dominicum patrata.

PRæter miracula circa mortuorum suscitationes, alia quædam ex innumeris à B. P. Dominico in Hungaria factis recensent Præcitati

Scriptores

Scriptores, Vincentius, Theodoricus, Flaminius, & alij, nobis hoc loco haudquaquam prætereuda. Quæ referuntur à Vincentio, sic se habent.

Vinc. hist. lib. 30. cap. 118.

I.

Languidus quidam, & morti proximus lecto decumbens qui etiam ad decem & octo annos lumen amiserat oculorum, cum audisset Sacerdotem cum parochianis suis proficisci velle ad B. Dominici reliquias visitandas, confortatus Spiritu, voluit & ipse pariter proficisci. Cum autem eum Sacerdos tamquam rem impossibilem præsumentem modis omnibus prohiberet, tandem valetudinem corporis exuperans, tamquàm tentans ire, de lecto surrexit, tantamquè subitò sensit sibi infundi virtutem, quòd passu concito gradi cœpit, tantò magis ac magis in conualescentia corporis, & oculorũ illuminatione proficiens, quantò quotidie in itinere procedebat, donec tandem ad locum destinatum perueniens, perfectum recepit vtriusq; beneficium sanitatis.

Hoc ipsum ijsdem verbis refert Theodoricus loco citando.

II.

Iuuenis quidam, Sandor (lat. Alexander) *nomine, Orrodiensis Præpositi Dapifer, grauissima quadã infirmitate detentus est, in qua manifeste videbat contra se irruere multitudinẽ dæmonũ infinitam, nunc ad suspendium trahentium eum, nunc diuersis generibus affligendi tormentorum. Ipse verò inter hæc inæstimabili timore depressus, voto simul, & voce, qua poterat, Deo se, & B. Dominico commendabat. Statimq; in forma Fratris B. Dominicus aderat, qui sinu cappæ collecto, importunas ab eo dæmonum abigebat molestias, eorumq; impetum virtuosa*

potentia

potentia coercebat. Nec mora, simul eundem ab infirmitatis desperato grauamine liberauit.

III.

Matrona quædam de Villa Pinar votiuam missam ad honorem B. Dominici disponens facere celebrari, tres candelas ad hoc idoneas præparauit, sed hora debita, Sacerdotem, qui missam celebrare debuit, non inuenit. Quapropter candelas in vase quodam reposuit, manutergio pariter inuolutas. Cum autem aliquantulum diuertisset, per horam rediens, candelas flammis patentibus arderē vidit. Stupefacta igitur foras exiuit, vicinas vndiq; conuocauit. Concurrunt omnes ad mirandum spectaculum, tamq; ibidem trementes pariter, & orantes steterunt, donec prædictæ candelæ ipsis videntibus penitus arserunt. Sic autem ad extremum vsq; paulatim ardendo consumptæ sunt, quòd manutergium, vel aliquod, quod in vase fuerat, non arserunt. Ita Vincentius. Quæ sequuntur, habet Theodoricus. Ait itaq;

Theod. l. 8. c. 67. & 8. ex M. S. exēplari.

IV.

Quædam mulier de Villa Kotsord, ab antiquo tempore dorsum habens monstruosè contractum, itaut quasi in dorsum versa statura, cœtera corporis viderentur, ad reliquias B. Dominici super currum posita ducebatur. In mentem autem illi venit, vt, quòd petebat, facilius impetraret, ex deuotione, quamuis non sine multa molestia, pedes aliquantulum ambulare. Igitur de curru posita, dum vix attrahens spiritum cœpisset incedere, subito fracto cingulo, & in terram fluente, corpus in directum extensum est, & ad statum mirabiliter reformatum. Quam Sacerdos suus, & cœteri conuicini, qui secum venerant, accedentes ad locum, Fratribus præsentarunt, tàm infirmitatis

priſtinæ, quàm ſanitatis talitèr ſubſecutæ teſtimonium perhibentes. Idem refert Flaminius.

V.

De Villa Titilienſis Eccleſiæ (Præpoſitura collegiata eſt in Hungaria, vbi influit Tibiſcus in Danubiũ) *quidam Tequt nomine, cum propter infirmitates graues, quas patiebatur in dorſo, ſcapulis, atq; brachijs, reliquias B. Dominici viſitaſſet, ſanitatem ad integrum de omnibus reportauit. Poſt paucos autem dies morderi cœpit in conſcientia, quòd perceptæ beneficium ſanitatis, quo Deo debitæ gratiæ redderentur, nequaquam Fratribus reuelaſſet, vnde & ſe promiſit continuò redditurum. Cum autem iterum ex negligentia ire differret, nocte quadam apparuit ei dormienti B. Dominicus, & ab eo ſanitatis præſtitæ pretium exigebat. Quapropter expergefactus à ſomno, ſtatim iter arripuit, & coram Fratribus de ingratitudine ſeipſum radarguens, quod factum fuerat totum, tàm de ſanitate prius exhibita, quàm de reuelatione poſtmodum facta, ſimul deuotè, & diligenter expoſuit, audiente quidem plurimo, qui tunc aderat, populo, & Deo gratias referente.*

VI.

Iuuenis quidam, retortos miſerabiliter habens pedes, ita quòd in ſuperficie pedum cum afflictione non modica plantis contractis, & inuerſis poſterius ambulabat, ad B. Dominici Sacroſanctas reliquias accedens, curationis eſt integram gratiam aſſecutus. Huic non ſolùm mater, & cognati, vicinique quamplurimi, verùm & pedum ſuperficies figuram plantæ retinens ingroſſatæ, infirmitatis priſtinæ teſtimonium perhibebat.

VII.

Filius cujuſdam Comitis Curialis diebus pluribus gra-

niter infirmatus, ductus tandem ad reliquias sacrosanctas, & tactis eisdem, perfectam recepit in virtute Domini sanitatem, itaut post dies bestias coram Rege mactaret.

VIII.

De Villa Ondod puer quidam natus, cujus Pater vocabatur Morits, seu Mauritius, *ad tactum Reliquiarum B. Dominici, loquelæ protinùs beneficium reportauit.*

IX.

Viduæ quadam Orodiensis, Pirca (seu latinè Prisca) *nomine, post annum tertium maritalis thori, loquelæ vsum prorsus amiserat, muta facta. Hæc jam vetula, tactis Sacrosanctis Reliquijs, linguæ officium sibi sensit statim integrè restitutum.*

X.

Senex quidam Clericus, qui ab antiquo grauem auriumsurditatem inciderat, cum conuicinis suis ad reliquias B. Dominici visitandas accessit, quas cum osculatus esset, ab eisdem iterùm iterùmq; tactis ad auditum integrum proficiendo peruenit.

XI.

De Villa Rescud vir quidam, nomine Tybi, filium suum surdum penitus, Gursu nomine, ad Sacrosanctas Reliquias duxit, quibus tactis, audiendi gratiam, atq; opem incunctanter accepit.

XII.

Cœcus quidam, Paulus nomine, de Villa Vreka, in festo Beatorum Martyrum Abdon, & Sennen, meritis B. Dominici lumen integrum oculorum recepit.

XIII.

Eodem die mulier quædam, Lensena nomine, vxor

Nouet, paralitica, perfectæ ſanitatis gratiam eſt adepta.

XIV.

De Villa Kita vir quidam, Bulkon nomine, tanta cordis veſania vexabatur, quòd in omnes homines, quos habebat obuiam, quaſi canis rabidus inſurgebat, & ferè nihil comedens, die, noctùq; agitatus furijs ferebatur. Hic ad Reliquias ductus B. Dominici, ad earum tactum ſanæ mentis ſtatim compos effectus eſt, rationi priſtinæ reſtitutus. Hactenus Theodoricus, & ſanè pauca ex plurimis, quorum numerus, eodem teſte, iniri non poterat.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Refutatio oppoſitionis hæreticorum contra prænarrata miracula: ratio amoris B. P. Dominici in Hungaricam nationem, vicißimquè hujus in illum deuotio.

NOn me latet, quæ narrauimus, aut aliàs in hoc opere narrabimus ſigna, ab hæreticis hominibus deſpicienda; quippequi, quæ non habent, ac ne habere quidem poſſunt ipſi (cùm nequeat Deus teſtis eſſe falſitatis, aut approbare impietatem) ſoleant vniuerſa blaſphemare. Alioquin quantopere exultarent, ſi vel muſcam vnam potuiſſent vllo vmquàm tempore ſuſcitare. Cur enim, (vt de recentioribus hæreticis loquar) Lutherus Neſum quendam in Albi fluuio miſerè ſubmerſum vanis immurmurationibus ad vitam voluit revocare? vt omittam, quòd conatus ſit ab energumena puella eijcere dæmonem, à quo tamen vix vivus

Io. Cochlæus in actis Lutheri anno 1523. Sta-

aſtantium

aſtantium (Staphyli maximè ejus diſcipuli, qui iccircò Catholicæ fidei manus ſubmiſit) occurſu ereptus fuit. Cur Calvinus tanto ſtudio egit, vt quidã mentiretur ſe mortuum, quẽ deinde in ſignũ veræ doctrinæ à ſe traditæ ſuſcitaſſet? Cur idem à miniſtro Novatorũ in Hungariæ & Poloniæ finibus cum Matthæo quodam conventũ, & attentatum? Sed benè inſequuta eos ſunt vera ſigna hæreticorũ, ſcitè à Tertulliano deſcripta, cũ diceret, *agnoſco maximam virtutẽ eorũ, qui Apoſtolos in peruerſum æmulantur: illi enim de mortuis ſuſcitabãt, iſti de viuis mortuos faciunt.* etenim tàm à Calvino, quàm à miniſtello evocati, qui ſe mortuos finxerant, revera mortui ſunt reperti. Faciunt miracula ad pietatẽ, ad religionem, & amorem, ac veneratiõẽ Sanctorũ: commovent animos, & intima præcordia magnis admirationis ictibus percutiunt; ſunt teſſeræ, & vera ſigna, atq; retinacula puræ & ſinceræ religionis, & vna de præcipuis notis veræ fidei, & ſanctitatis. ſed qui nunc hiſtoriam texere decreui, non eſt cur diſtinear in re hac, in qua inſignes fidei athletæ iſtis etiam temporibus gloriosè laborarunt. Quid itaq; Catholice, pieq; Lector? An non B. P. Dominicus optimè meritus de Hungaria tibi videtur? vt nedum ſingularem illum Patronum agnoſcere, ſed ejuſdem etiam familiam, (quando hujus nulla in eam merita extitiſſent) omnibus ſemper amoris, & benevolentiæ argumentis proſequi, & fovere eam oporteret? Ita planè de gente inclyta gratiſſimaq; confidimus, & ſperamus. Cur vero tot beneficia Sanctiſſ. Pater in eam potiſſimum contulerit, quamuis curioſiùs in veſtigandum non ſit, cum ea ex affluentiſſimis Divinæ bonitatis the-

phylus' Apolg 2. Hier. Bolſec. in vita Calvi. Felici. Ningu. cont. Annã Burgẽſem. Tertul. de præſcript. c. 30. Bell. l. 4. de cul. ſa. c. 14. Boſius de ſig. Ec. l. 5. Graui. to. 3. præſer. p. 2.

ſauris,

ſauris, ſanctos ſuos, prout vult, glorificantis, proficiſcantur: ſi tamen congruentiam (vt ajunt) aliquam inducere liceat, ea ſanè aptiſſima videtur, quæ tradita eſt à Theodorico. Cum enim Beatiſſ. Pater ad animarum, infidelium præcipuè, converſionem ſemper collimauerit, populos infidelibus proximos peculiari quadã benevolentia proſequitur: cùmq; Cumanos Ethnicos ab Hungarico Regno non longè diſſitos vivens adire conſtituiſſet, in Hungaria glorioſis ſignis effulgere voluit, vt eò faciliùs, & animoſiùs Filij ſui inde eos adirent, fideliumq; cœtui aggregarent. Adde S. Patriarchã, quem Beatiſſ. Virgo Deipara filiũ peculiarẽ agnovit, & prædicauit, in illũ populum peculiaria amoris ſigna oſtendere voluiſſe, cujus eadẽ Virgo Sacratiſſ. PATRONA nominatur, & eſt. Magnam proinde extitiſſe totius Regni Hungariæ populorum in S. Dominicum devotionem, conſtare liquidò poteſt, non ſolum ex tam frequentibus ex varijs partibus ad eius Reliquias peregrinationibus, ſed ex eo etiam, quòd Eccleſiæ Hungariæ peculiari cultu ejus ſolemnitatem celebrare gauderent.

Dum anno 1635. in Vrbe Nemeth Vyvar, in qua arx inexpugnabilis Illuſtriſſimi D. Comitis Adami Bathiani, contra Turcarum, hoſtiumq; omnium inſultus omni armatura fortium munita exiſtit, bibliothecam cujuſdam viduæ Calvinianæ relictæ à Prædicante quodam Stephano Böythe, ſatis copioſam perluſtrarem, inveni inter reliquos, quos homo hæreticus vndiq; ex locis pijs, & ſacris corraſerat libros, antiquiſſimum etiam graduale manuſcriptum, notis ad cantum, vt ajunt, ſolidum, diſtinctum, juxta non noſtri Ordinis, ſed alterius Eccleſiæ ritum, in quo extabat

pulcherrima

pulcherrima illa, quam vocant, ſequentia, à noſtris in laudem Beatiſſ. Patris Dominici in ſacro ejus ſolemnitatis recitari cum jubilo, decantariq; ſolita, quam in gratiam eorum, qui erga tantũ Patrem deuotione afficiuntur, pro hujuſce primi libri, partiſq; coronide adjunctam volui.

In cœleſti hierarchia
Noua ſonet harmonia,
Nouo ducta Cantico.
Cui concordet in hac via
Noſtri chori melodia
Congaudens Dominico.
Ex Ægypto vaſtitatis
Virum ſuæ voluntatis
Vocat auctor ſeculi.
In fiſcella paupertatis
Flumen tranſit vanitatis
Pro ſalute populi.
In figura catuli,
Prædicator ſeculi
Matri Prænunciatur.
Portans ore faculam
Ad amoris regulam
Populos hortatur
Hic eſt nouus legislator,
Hic Elias æmulator,
Et deteſtans crimina.
Vulpes diſſipat Samſonis,
Et in tuba Gedeonis

ex Miſſali Pred. feſto S. P. Dominici.

Hoſtis fugat agmina.
A Defunctis reuocatum
Matri viuum reddit natum
Viuens adhuc corpore.
Signo Crucis imber cedit,
Turba Fratrum panem edit,
Miſſum Dei munere.
Fœlix per quem gaudia,
Tota jam Eccleſia
Sumens exaltatur.
Orbem replet ſemine,
In cœlorum agmine.
Tandem collocatur.
Iacet granum occultatum,
Sidus latet obumbratum:
Sed Plaſmator omnium
Oſſa Ioſeph pullulare,
Sidus jubet radiare
In ſalutem gentium.
O quàm probat carnis florem,
Omnem ſuperans odorem
Tumuli fragrantia.
Ægri currunt, & curantur,
Cœci, claudi reparantur
Virtutum frequentia.
Laudes ergo Dominico
Perſonemus mirifico
Voce plena.
Clama petens ſuffragia,

Ejus ſequens veſtigia,
Plebs egena.
Sed tu pater pie, bone
Paſtor gregis, & patrone,
Prece ſemper ſedula
Apud curam ſummi Regis,
Derelicti vices gregis
Commenda per ſecula. Amen.

Glorioſiſſime Patriarcha S. Dominice, Regni Hungarici, quod tot, tantiſq; editis ſignis tibi gratiſſimum, ſub tuaq; tutela ſingulariter eſſe declarasti, ne obliviſcaris: quoq; majoribus conflictatur ærumnis, eò validiore ope, qui potes, ipſum ſubleuare non renuas. Hoſtes repelle, hæreſes extermina, morbos tàm animi quàm corporis omnes averte. Roga Deum, qui te elegit, mittat operarios in meſſem ſuam multam; ipſeq; præeas cum cane illo tuo ore facem præferente, qui lupos, & latrones ab ovili Dominico latratu ſuo arceat, adverſus peccantes inclamet, infideles luce veritatis illuſtret, corda omnium ad Dei, proximorumq; dilectionem inflammet.

HISTORIÆ DE REBVS PROVINCIÆ HVNGARIÆ ORDINIS PRÆDICATORVM.

Pars Secunda, Liber Primus.

De Viris Sanctitate citrà Martyrium eximijs.

EGimus hactenus de viris illis Sanctiſsimis, qui ſanguine ſuo Hungaricæ Prouinciæ noſtræ Fundamenta, vel jecerunt, vel confirmarunt: jam ad vtriuſq; ſexus homines, qui citrà Martyrij lauream ſanctitate illuſtres illam ornarunt, noſtra perget oratio: de viris quidem præſente, de mulieribus autem libro ſubſequente ſecundum annorum ſeriem enarrans. Beatorum porrò nomine, quo ſæpe aliqui vocitantur, illi ſolent inſigniri, qui in Sanctorum album necdum ab Eccleſia conſcripti, vitæ ſanctimonia, ſigniſq; adeò effulſere, vt antiquitas communi conſenſu eo titulo dignos exiſtimauerit, aut (quod auguſtius eſt) ſummus illum Pontifex eis de-

creverit.

creverit. Quare in hac tota mea scriptione ab hac linea ne latum quidem vnguem recedens, nulli tribuam, (vti nec hactenus in superioribus tribui) nisi cui reperero ab antiquis ea ratione tributum. Nec illud omittam, me in hoc opere non solum de illis scribere, qui ejus Provinciæ filij (vt vocant) extitere, sed de his etiam, qui in ea laborantes egregiè illam illustrarunt.

Vide Deffinitio. Vrb. 8. incip. S.P.N. sollicitè animadvertens.

De Beato Ioanne Teutonico, obijt anno Christi 1253.

VT igitur rem aggrediamur, offert se primo loco B. Ioannes Teutonicus, qui plurimis in Hungaria pro salute animarum laboribus exantlatis, ex Provinciali factus Episcopus Bossinensis, ac deinde Generalis totius Ordinis, multis in eadem Hungaria, cùm in vita, tùm post mortem miraculis claruit, Regis Belæ Quarti, & Mariæ Conjugis Reginæ litteris de sanctitate, & miraculis commendatus.

CAPVT PRIMVM.

Patria, profectus, status Religiosus.

BEatus Ioannes Teutonicus, oppido VVuildvensensi, sive VVildeshensensi, diœcesis Vrbis Osnaburgensis, Colonienſi Metropoli subjectæ, illustri genere natus est. Illi circa decimum ætatis annum futuram Ordinis Prædicatorum (qui adhuc non extabat) in quem ipse nomine dato, Provincialis, Episcopus, Gene-

Vide Humbertum in Chr. & Malu. an. 1220. c. 22.

raliſq; Magiſter futurus eſſet, inſtitutionem, totiuſq; vitæ ſuæ ſtatum, diuinitùs reuelata fuiſſe, ex certiſſima relatione memoriæ prodit Thomas Cantipratanus. Adoleſcens ingenio præſtanti, poſt ſtudia philoſophica ad ciuile jus canonicumq; toto pectore incubuit, vnde brevi maximã ſibi eruditionem comparauit. Indead Doctoratum promotus, & propter doctrinam, morum elegantiam, pietatemq; ſummi Pontificis Capellanus, & Pœnitentiarius factus, Cardinalibus, & Principibus alijs, cum primis Friderico Secundo Imperatori (apud quem etiam diù vixit) amori fuit, & honori. At vir Dei ad arctiſſimæ vitæ genus aſpirans, vniuerſis valedicens, Sacrum Prædicatorum habitum cœlitus à Beatiſſima Virgine oſtenſum, ex ipſis B. Patris Dominici manibus Bononiæ in primo Generali Capitulo anno Domini 1220. celebrato ſuſcepit. Manum itaq; mittens ad fortia, quo & ſuam, & proximorum ſalutem, juxta Ordinis ſcopum, procurare poſſet, tantum ſanctimonia, Theologiæ, ſacrarum litterarum, linguarum etiam, latinæ, germanicæ, gallicæ, italicæ, & hungaricæ peritia profecit, vt eſſet numeris omnibus abſolutiſſimus Concionator, qui verbo, & exemplo plurimos populos ad Ieſu Chriſti fidem, & amorem perduceret.

Cantip. l. 2. c. 57. pe 56.

Flami. in vita S. Dominici. Leand. l. 1. fo. 36. 37. Malu. lo. cit.

CAPVT SECVNDVM.

Prædicationis eius fructus, & miracula.

QVare ad prædicandum in Teutoniam, natale ſolum, à S. P. Dominico miſſus, ad varia loca ſe cõferens, Verbi Dei ſemina longè latèq; ſparſit,

Domi-

Domino sermonẽ signis plurimis confirmãte. Inter cætera verò adventum illius cum socio, finem, scopumq; Ordinis Prædicatorij, cuidãAbbati Ordinis Cistercienſis in ſomnis prænunciauit. Rem narrat Humbertus & poſt ipſum Theodoricus paulò fuſiùs hiſce verbis. *Venerunt ex illis Fratribus, quos Sanctus Dominicus initio Ordinis ad prædicandum in diuerſas partes mittebat, duo in quandam Germaniæ Abbatiam Ordinis Ciſtercienſis, cui Religioſus præerat Abbas, Eberhardus nomine. Ei Dominus dormienti apparuit dicens. Cras mittam ad te equos meos : tu illorum pedes ferro munies. Euigilans vir Sanctus, commodam ſomni interpretationem afferre non potuit. Altera die venerunt duo illi Fratres ad monaſterium, erat autem in diœceſi Conſtantienſi & Salem dicebatur. Alter horum Fratrum fuit vir illuſtris Fr. Ioannes Germanus, poſtea in Hungaria Boſſinenſis Epiſcopus, quartus in magiſterio Ordinis B. Dominici ſucceſſor. Cum autem bis in locis etiamnum incogniti eſſent Dominicani, Abbas Eberhardus rogauit ex bis, cur codices, virgam, & habitum varium circumferrent. Reſpondit ei accuratè vir prudens & doctus Fr. Ioannes. Prædicatores, inquit, ſumus, & decet nos libro ſcientiæ eſſe inſtructos : & quia Virgo Maria Virga eſt aromatica, & Crux Chriſti directionis Virga eſt, ijs nos nitimur, & tamquam quibuſdam ſcipionibus ſuſtentamur. Porrò juxta Prophetiam Zachariæ, quadriga vltima è medio duorum montium egreſſa, equos habens fortes, & varios, quadripartitam ſignificat Sancti Euangelij prædicationem, quæ duobus confecta teſtamentis per viros varijs ornatos ſcientijs, virtutibus, & miraculis : itemq; fortes adverſus dæmonum, mundi, & carnis infeſtationes : paratos quoq; ad diſcurrendum prædicando per*

Humb. l. 1. c. 5. Theod. l. 4. c. 5

Zach. c. 6.

omnes

omnes terras, hoc extremo mundi tempore in totum infertur orbem terrarum. Angelus enim magni consilij misit illos. His auditis, Abbas ad eorum pedes procidit, eisq; pia oscula affigens, Vos, inquit, reuera estis Equi illi, quos Dominus ad me misit. Statimq; lotis eorum pedibus, nouos calceos, & vestes jussit illis proferri. Sunt autem ejus Monasterij Fratres vsq; in præsens Prædicatorio Ordini addicti. Ita Theodoricus. Paulo aliter Castillus explicasse refert, quæ Abbas exquirebat. *Nos sumus Evangelij Christi Prædicatores. Habitum, quem gestamus à B. Virgine Deipara accepimus. libros, & baculos habemus, quoniam Patri N. Dominico, primo Ordinis hujus Fundatori, librum D. Paulus, & virgam D. Petrus Apostoli diuinitùs præbuerunt, vt orbem vniuersum per se, suosq; filios peragraret, quòd in hoc ipsum munus à Deo esset electus. Id nos tamquam ejus Filij, atq; discipuli facimus, perq; mundum excurrentes, Evangelium ad populos circumferimus. Quod etiam Zacharias prædixerat, fore scilicet aliquando, cum currus quidam appareret, quem agerent equi fortes & varij, ex Aquilone venientes: nam illis equis Fratres Prædicatores designabantur.*

Castill. p. 1. l. 2 ca. 20.

Zach. cap. 6.

Prædicaturus aliquando, hominem quendam leprâ miserabiliter contaminatum aspexit. misericordiâ motus ad ipsum accedens manu tetigit, statimq; mundatum sanitati restituit. Cum Basileæ Cruciatam pro Terræ Sanctæ subsidio prædicans, Canonicum, & quendam alium civem ejus affinem Cruce donasset, Vxor civis, quæ etiam Canonici mater erat, iracundiæ, & furoris impotens, diras in sanctum virum imprecata est, vt tot illum dæmones raperent, quot eo tempore arbores folia vestirent. Sed non tulit id Deus impunè, vix enim effata, visu intume-

scens, teterrimâ toto corpore lepra correpta fuit. Verùm illa errati pœnitens, virum Dei accersiri curavit, qui peccatorum ejus confessione excepta, manu super oculos ejusdē imposita, ad integram valetudinē subitò reformavit. Quo viso, Canonicus Ordinem ingressus, vtilissimus, celebriq; Prædicator evasit. Eandem Crucem Prædicaturus, locum in campo quodam populo designauit, quò cum frequens conveniisset, eques quidam armatus, qui ipso loco duellum inire decreverat, modis omnibus Verbi Dei prædicationem impedire nititur. Pius Pater, blandis eum verbis, & magna demissione rogat, vt provinciam illam dimittat. Vbi vero nihil se proficere animadvertit, Deum orat, vt opportuno remedio subveniat. Prece fusa, eques (mira res) in stultum, & furiosum vertitur, quem famuli cum luctu, ac mœrore domum referunt. Proinde vir sanctus suam ad populum concionem habet, qua peracta, vnà cum ipsis pro infœlici Equite preces minimè inanes effundit: nam ad eum pergens, frontiq; ejus salutare Crucis signum imprimens, ad sanam mentem reducit.

CAPVT TERTIVM.

Zelus & Castitas B. Ioannis.

IN peccatis reprehendendis Zelum Apostolicum exprimebat: nec sublimium etiam Principum authoritate à debita correctione impendenda absterrebatur. Quo in genere cum *Fridericum Secundum* Imperatorem, effusissimæ libidinis sæ-

pius

pius argueret, quiddam accidit, quod vt æterna dignum memoria, ſic ejus caſtitatis candorem maximè commendat. Imperator enim, qui externa alioquin facie ejus monita æqui boniq; conſulere præſeferebat, adeo tulit indignè, vt etiam ſuæ cuidam impudentiſſimæ æque ac pulcherrimæ inter cæteras concubinæ demandaret, quò Fratrem Ioannem ſecretiore loco conventum ad peccandum quacumq; poſſet arte, & dolo pelliceret. Tentauit illa eoq; majori nequitia, quò ſe plus gratiæ apud juſſorem inituram ſperabat. Stabat Cæſar cum Proceribus occulto loco, quo cernere quidem, ſed ipſe viciſſim cerni non poſſet, rei eventum expectans, optans etiam Ioannem diaboli laqueo irretitum cunctis confuſibilem oſtentare. Verùm ſecùs res accidit, ac ſperabat. Nam vbi impudica mulier alloqui, halitumq; tartareum ſpirare cœpit, vir Dei nihil moratus (mora namq; omnis in ea re periculoſa) elata manu in maxillam ejus colaphũ adeò validum infregit, vt in terram eliſa corrueret. Obſtupuit tantam virtutem Cæſar, tantiq; illum poſtea fecit, vt vix ei parem inveniri poſſe per orbem totum arbitraretur.

Canti-prat. l. 2. c. 3. p. 43.

CAPVT QVARTVM.

Præfecturæ illius Eccleſiaſticæ.

VBi multos in prædicandi munere labores gloriosè, maximoq; cum animarũ fructu exantlaſſet, ejus etiam opera Patres Ordinis in regendi munere vti cœperunt. Electus itaq; eſt

Hungariæ Provincialis, in quo officio, quantus vir esset, quantumq; prudentia, zelo, vigilantia, manſuetudine, charitate præſtaret, ita apparuit (præfectura enim ſemper virum oſtendit) vt fama virtutum ejus permotus Sum. Pontifex Gregorius Nonus ad Epiſcopatum Boſſinenſem, ad Hungariæ Regnum ſpectantem, invitum licet ac reluctantem, maximo Romanæ Curiæ conſenſu, & adgratulatione promoverit. Porrò Vir ſanctus ſic illum adminiſtrauit, vt teſte Thoma Cantipratano, amico ejus valde familiari, cum ex illo pluſquam octo millia marcharum pro annuis redditibus perciperet, in vſus tamen proprios ferè nihil inde vſurparet, ſed pauperibus vniverſa diſtribueret. *Cantip. prat. l. 2. c. 57. §. 55.*

Ne equum quidem habere voluit, ſed aſello, qui libros, & infulas Pontificias deveheret, contentus, ipſe pedeſter cum ſui Ordinis Fratribus incedebat. O verè Patrem Pauperum, & perfectionis magiſtrum, qualem decet Epiſcopum. Vt autem invitus, atq; reluctans inijt Epiſcopatum, ſic totis omnino niſibus conatus eſt ſe ab illius ſarcina eximere, quò & minus pro animabus ſibi concreditis reddendæ rationis ante Chriſti tribunal obnoxius foret, & ad priſtina ſacræ Religionis exercitia auidiùs remearet: quod ægrè ſanè, nec ſine magnis precibus, & lacrymis à Gregorio Pontifice impetrauit. Ceſſit itaq; Epiſcopatu, nullis ſibi penſionibus, vel rebus quibuſcumq; inde reſervatis, lætuſq;, & gaudens ad Ordinem remigrauit, eadem omninò qua olim auſteritate, obedientia, ſuiq; contemptu, & abnegatione vitam degens. Vix exprimi poteſt, quantùm Fratres lætabantur, quòd virum tantum,

& pro eo vitæ genere, quod profitebantur, totisq; viribus ad Dei gloriam, & proximorum salutem promovere studebant, Ordini restitutum viderent. Quare brevi Provinciæ Lombardiæ Præfecturã ei demandarunt, nequicquam illo recusante, quòd, vt ille caussabatur, tanquã Episcopus, sumoq; Pontifici immediatè subjectus, ad eam, aliamue quam cunq; in Ordine acceptandam adigi non posset, eiq; administrandæ minimè idoneus esset habendus. Patres namq; Apostolicum breve à se impetratum exposuere, quo Pontifex illum ab Episcopatu absolutum, Prælatorum Ordinis obedientiæ, per omnia, non minus, quàm ante Episcopatum existeret, subjecisse, subjectumq; esse declarabat. Inijt itaq; non absq; ingenti dolore Provincialatum: quo in munere Parisios ex Italia ad Capitulum Generale veniens anno restitutæ salutis 1241. Quartus Ordinis Generalis Magister, ob cessionem *Sancti Raymundi* Peñiafortij anno præcedenti factam, non minùs invitus, & reluctans creatus est. At non sine speciali Dei nutu, & aspiratione, qui etiam totum rei eventum cuidam ex Fratribus revelauit. Cum enim sub ipso Congregationis tempore preces ad Deum pro bono Ordinis fundens paululum obdormijsset: Conspexit Fr. Ioannem in curru igneo per claustrum deferri, quem magnus Fratrum comitatus sequeretur. Ex quo Generalem illum futurum esse intellexit; quod & alijs reuelauit, & eventus deinde comprobauit, Patres namq; vniversi magno assensu in ejus electionem conspirarunt.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Gesta sub ejus supremo totius Ordinis Magistratu.

SVb ejus regimine tota per vniversum Christianum orbem Prædicatorum familia, magna (quod animarum conversionem, & Fratrum multitudinem attinet) incrementa suscepit. Vndecim Generalia Capitula celebrauit, in quibus varia, eaq; Ordini vtilissima sancita sunt, quæ apud Plodium consuli possunt. Sub eo etiam Beatiss. Virgo Deipara, Ordinis nostri Parens, & Patrona, Fratribus nostris, apud Montem Pessulanum, dùm antiphonam suauissimam, *Salue Regina* illi cantarent, reverentiã exhibuit. maximè enim illa oblectatur devoto ejus antiphonæ per nostros alioſq; concentu, vt pluribus opere verè aureo, cui titulum, *Materna viscera B. Virginis in Ordinem Prædicatorum*, præfixit eruditissimus & pientissimus vir Magister noster Fr. Hyacinthus Coquetius, nuper ostendit. Visa Deipara sub eodem Generali media nocte ad dormitorij caput duabus S.S. Virginibus comitata, auditaq; Fratres animare, dũ matutinas ejus preces minores persolverent, *fortiter viri fortes*. Visus etiam Spiritus Sanctus visibiliter descendens super Fratres, in Capitulo Generali apud Montem Pessulanum, hymnum, *Veni creator spiritus*, devotiùs concinentes. Sub eodem Generali *Innocentius Quartus* S. Pontif. Fratres quosdam nostros legatos Apostolicos misit ad Regem Tartarorum, vt manum à damnis, quibus totum

Plod. 2 p. l. 1. à colũ. 20. in Ioanne Teut. Gener. 4.

Coquet. Mater. viscera

ferè Orientem, & Aquilonem afflixerat, contineret. Tantum valuit apud Pontifices gratia, vt ferè, quæcumq; voluit, impetraverit. Quod vel ex eo videre licet, quod Cantipratanus hisce verbis enarrat. *Succeſſor Honorij Dominus Papa Gregorius, Fr. Ioanni dicto de Argentina, quondam Boſsinenſi Epiſcopo, Magiſtro Prædicatorum Ordinis facto cum magna deuotione dixit: me tibi Chariſsime, quaſi pro incude Papam Orbis conſtituo, linguam autem tuam pono pro malleo, vt ſecundum omnia priuilegia, quæ Ordini tuo expediunt, vel etiam, quæ alijs Religioſis quibuſcumq; vſq; in præſens conceſſa ſunt, ſcribi facias, & bullabo. Nec mora, Magiſter Ordinis, & qui cum eo erant, Fratres, omnibus regiſtris Apoſtolicis inſpectis, omnia priuilegia, quæ ſibi commoda, & vtilia pro confirmatione Ordinis eſſent, vel fore poſſent, conſenſu Fratrum Cardinalium, & Curiæ bullata, & ſubſcriptionibus inſignita, ſolemniter acceperunt.* Illius tempore *Spiritus vitæ, Spiritus Domini, verè erat in rotis.* Cum feruor ad regiones infidelium proficiſcendi, martyriumq; (ſi Deus concederet) ſubeundi corda Fratrum vehementiùs ſuccenderet, Ioannes Capitulo Generali Pariſijs coacto, occaſionem præſentaneam in Terram Sanctam pergendi cum Principibus, & Equitibus pro ejus recuperatione ſe accingentibus expoſuit, vtſi qui ad eam profectionem à Deo incitarentur, nihil eſſe intelligerent, quod illorum deſiderium retardaret. Vix dixerat, cum Fratres vniverſi, nullo dempto, quaſi ad rem longè exoptatiſſimam mittendi, in terram ſe proſtravere, benedictionem pro abitu percepturi. Quod vbi Galliæ Provincialis aſpexit, metuens, ne omnes ſui religioſi in Terram Sanctam concederent, dixit ad Generalem.

Thom. Canti. l. 2. de Ap. c. 57. n. 44.

Ezech. 1.

neralē. Quæſo, Pater, vel Fratres meos mihi relinquas, ne tōta Provincia orba remaneat; vel me ſaltē cū ipſis ire permittas, non enim minus ego, quàm ipſi, ire illuc exopto. Dolebat, quòd multi doctrina, & pietate præſtantes, ad Epiſcopatus, dignitateſq; Eccleſiaſticas etiam Cardinalitiam ex Ordine aſſumerentur, (nam & *Hugonem Carenſem* virum maximum celeberrimumq; Cardinalem fecerat *Innocentius*) dolebant etiam alij ex animo Religionem amantes, quòd ea ratione viri pietate, ac litteris præſtantiores ſibi auferri putarent. Vnde querelæ illæ non abſq; lacrymis effuſæ. Dum tales homines nobis tolluntur, pupilli efficimur abſq; parentibus. S. P. Dominicus non Epiſcoporum, ſed Prædicatorum Ordinem ab Apoſtolica ſede impetrauit. Non illi Claves Apoſtolus Petrus dedit, ſed baculum, vt tàm ipſe, quàm cœteri Fratres pedibus iter agentes, regnum Dei per totum mundum prædicarent, & evangelizarent. Non curamus, vt Fratres noſtri Epiſcopi ſint, ſed vt ſancti. Nolumus eſſe Cardinales, ſed Martyres, atq; Doctores. Coactus propterea fuit Ioannes Generalis adire Pontificem, rogans obnixè, vt Fratres permitteret in ea vitæ paupertate, & auſteritate vivere, quam erant profeſſi: ita enim futurum, vt Chriſtianorum ſaluti magis prodeſſent, & infidelium, cum primis Ethnicorum converſionem facilius promoverent. Cœterum Pontifex ſuæ ſententiæ certus, illud repoſuit. *Planè noſti ò P. Chriſtū dixiſſe*, non accendunt lucernam, & ponunt eā ſub modio, ſed ſuper candelabrū, vt luceat omnib⁹, qui in domo ſunt: *& alio loco reprehenſum fuiſſe ſeruū illum ignauū, qui acceptum à Domino ſuo talentum, abſq; negotiatione, & lucro* Mat. 5 Mat. 25.

abſconditum ſeruauit. Itaq; cùm Deus multis ex Ordine tuo doctrinæ, & prædicationis lumen, plurimarumq; aliarum virtutum talenta contulerit, æquum eſt, vt illa ad Chriſti, & Eccleſiæ ejus obſequium, & gloriam, in cunctis muneribus, ſiue ab ipſo, ſiue ab ejus Vicario demandatis, ſedulò exerceant, & impendant.

CAPVT SEXTVM.

Miracula eius, & mors.

MIra ſunt alia plura, quæ dixit, & fecit regiminis ſui tempore; ea apud Scriptores alios legenda brevitatis cauſſa dimittimus. Vnum narrabo, quod ad ejus meritum declarandum divinitùs factum Cantipratanus ſic tradit. *Venit ipſe in Romaniæ partes tunc Magiſter Ordinis, intrauit in hoſpitium pauperrimi Sacerdotis, decubuit ſuper ſcamnum itinere fatigatus. & dum anxius cogitaret, vnde pauperrimo hoſpiti aliquid obueniret, vnde ſe, & Fratres reficeret fatigatos, venit auis, quam corniculam dicimus, & de ſupremo aere ejus pedibus aduolauit. Quæ pedes magiſtri frequenter roſtro concutiens, iterum ad aerem reuolauit. Quo viſo, Magiſter ſurgens, inconſueta magnitudinis, ſpiſſitudinis, & latitudinis numiſma argenteum, quod corniculæ ad pedem ſuum poſuerat, mòx inuenit, & aduocans Sacerdotem, munus corniculæ juſſit accipere, & neceſſaria Fratribus miniſtrare.* Rexit ordinem annos vndecim, ac dimidium (quibus vndecim Capitula generalia celebravit) ingenti prudentia, & integritate, cunctis ſuavis, & amabilis: ac

Cantipr. l. 2. c. 57 n. 57.

denique; anno 1253. Quarta Novembris Argentinæ ad æternitatem vocatus, magno spiritus feruore, ac pietate in Domino obdormiuit. Post mortem, cœcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sanitatem infirmis, vitam mortuis reddidisse, obsessos à dœmonibus liberasse, in Capitulo Generali Argentinæ sub *Humberto Quinto* Ordinis Magistro anno 1260. qui fuit ab ejus morte septimus, celebrato, legitimè comprobatum est: ob quæ Metensis Episcopus, electus Argentinensis, qui aderat, sacrum ejus corpus transtulit cùm alijs Patribus in locum honorificentiorem.

CAPVT SEPTIMVM.

Regum Hungariæ Belæ Quarti, & Mariæ ejus conjugis, pro B. Ioanne litteræ.

Et translationi peragendæ litteræ *Belæ Quarti* Regis Hungariæ, & *Mariæ* Reginæ, ejus conjugis in viri Sanctissimi comendationem, & multorum miraculorum ejus meritis, & virtute in Hungaria factorum testimonium, ad Capitulum scriptæ, robur addiderunt. Vtrarumq; exemplar dabimus, vt pateat quanti Reges tanti illum fecerint, ob ejus virtutem, & sanctitatem, quantaq; beneficia in eosdem Reges, aliosq; Hungaros etiam post mortem miraculosè contulerit.

Epistolæ Regis Exemplar. *Bela, Dei gratia, Rex Hungariæ, Viris Deo amabilibus, Patribus Reuerendis, Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Definitoribus Capituli Generalis apud Argentinam, salutem, & sinceræ dilectionis affectum.*

Quam

Quam præclara fuerit virtus, ac virtuosa fuerit vita Sanctæ recordationis Ioannis Bosinorum Episcopi, tunc apud nos degentis, deindè Magistri Ordinis vestri, adhuc dùm in memoriã à nobis, & ab omnibus Regni habitatoribus reuocatur, dulcor est in aure, & in corde deuotionis ardor, & contritionis, quoties animaduertitur, quòd Pater Pius super afflictos pia gestans viscera, hoc solum suum autumabat, quod de suo Episcopatus peculiolo Christi pauperibus potuit erogare. Et ne verbosa fiat circa vos longa Oratio, breviter studium ipsius erat miserabilibus misereri, & infirmantibus infirmari. Prædicationis quoq; verbum, quod melliſluo dabat in auditores eloquio, Spiritus Sancti illustrabatur dono, & tàm gratiosum eum reddiderat Deus apud omnes, vt verè sibi competeret laus Martyris, de quo scribitur, quem perfuderat Deus gratia, ab omnibus amabatur. & ne lumen lateret in tenebris, sed merita ipsius per miraculorum ostensionem populo patefacta suffragium afferrent petentibus, & corde credentibus manſueto, vobis, aliſſq; notum sit, quia mortuum suscitauit, claudis gressum, & visum restituit non videntibus. Nobis quoq;, qui in ipsius sancta conuersatione, orationibus pro nobis pollicitis spem habentes, medelam sperabamus, languoribus hominis vtriusq; in quodam graui morbo, quo frequenter multi affici soliti sunt, quandoq; morbo ipso attentati, signo crucis doloribus obiecto suffragia ejusdem implorauimus, ad quæ vehementia doloris, & miseria condicionis compulit imploranda, illicoq; sensibiliter gratiam sentientes inuocati, dolor cessit quieti, & morbus sanitati. Inuigilate ergo Patres Chariſſimi, quòd vita, & miracula ejusdem prodire possint in publicum, & Sancta Mater Ecclesia tanta Filij gloriæ incrementa recipiat spiritualia, & populus Christianus, patrocinium

per

per ejuſdem, deuotionem augeat, & ſalutem. Datum apud noſtram Curiam, in Dominica, qua cantatur Lætare. extant hæ litteræ ijſdem latinis verbis apud Caſtillum. ego, Optime Lector, non ſolum, quod inſeipſo factum Pientiſſimus Rex ad ſigni Crucis impreſſionem, & Viri ſancti invocationẽ, ſed cœtera etiam, quæ de mortuo ſuſcitato, claudis, & cœcis ſanatis miracula refert, in Hungaria facta indubiè credo: propterea enim de ijs tanquam ſibi notioribus, & certioribus teſtimonium Patribus ferendũ exiſtimauit. *Cent. p. 1. l. 2. c. 20.*

Reginæ verò litteræ hujuſcemodi erant. *Reverendis in Chriſto Fratribus Generali Ordinis Prædicatorum, & Definitoribus Capituli Generalis, Maria, Dei gratia, Hungariæ Regina, Syriæ Duciſſa, & Chriſti Famula, amoris vinculum, & deuotam reuerentiam. Etſi plurima miracula, atq; prodigia, quæ per F. M. Fratris Ioannis Epiſcopi Boſſinenſis, Generalis Ordinis veſtri merita ab hominibus vulgo facta commemorantur, ego ſigillatim deſcribere non valeo: vnum, tamen quod ejuſdem meritis in me factum eſt, nolo cum reliquis ſilentio præterire. Sciatis igitur, quòd, cum perfidorum ſubditorum ſuaſione inter dilectiſſimum mihi Belam Regem Hungariæ, Dominumq; meum ex vna parte, & Chariſſimum Filium noſtrum Regem Stephanum ex alia, magna eſſet coorta diſcordia, itaut ad manus conſerendas diſpoſiti ex vtraq; parte exercitus jam eſſent è regione conſtituti: ego, vt potè Mater, vtrinq; afflicta, & maximo metu perculſa, dicti Fratris Ioannis opem implorauì. Qui eadem ipſa nocte cum alio bonæ memoriæ Fratre Gerardo Priore ejuſdem Ordinis mihi apparuit: cumq; intanta anguſtia, vt mihi prænominatum Filium meum redderent, vehementer orarem, ipſe Fr. Ioannes, impreſſo ſuper me ſigno Crucis, di-*

xit, Ecce tibi Filium tuum, vt optas, restituimus. Itaq; tunc è somno excitata, quantum mea fragilitas tulit, Iesu Christo Domino nostro, & gloriosæ Virgini, vt par erat, gratias egi. Die vero illucescente peruenit ad me cursor cum litteris Regis Hungariæ Dominimei, quibus significabat, Regem Stephanum Filium meum se omnino Patri dedidisse, paratum efficere quicquid illi collibuisset. Placuit ergo meis hisce litteris, hujus viri sanctissimi merita vestræ deuotioni significare: vicissim Vestram sanctitatem rogans, vt aliorum miraculorum, quæ scitis illum patrasse, me etiam certiorem reddatis.

Cast. p. 1. li. 2. c. 21. Canti. lib. 2. c. 57. § 59. Georg. Colvē.

Extant hæ litteræ Reginæ, hispanica, italicaq; lingua apud Castillum, earumq; meminit Cantipratanus. extat etiam (teste Georgio Colvenerio in notis) vtriusq; epistolæ exemplar in vitis Fratrum Prædicatorum, in ijs, quæ addita sunt post libri compilationem, circa finem. editus est liber Duaci anno 1619. Apparet etiam ex vtriusq; litteris, Hungariæ Reges, Belam, & Mariam, tanquàm suum agnouisse Ioannem, qui apud ipsos, in ipsorumq; Regno, & Prouincialis, & dein Episcopus vixisset. Vocatur interdum ab antiquis scriptoribus *Ioannes ab Argentina*, quòd eam Vrbem morte, ac sepultura sua maximè cohonestarit.

V. Cantip. loco cit. n. 44.

Canti. loco ci. & n. 58

De hoc Beato viro plura videri possunt in Thoma Cantipratano, qui præter alia sic loquitur. *Hunc Ioannem ante Episcopatum à juuentute cognoui, nec vnquam advertere potui minùs eum deuotum, minusq; sollicitũ de propria, vel salute aliena, quàm postea cùm Episcopus, vel Magister Ordinis extitisset.*

Scripserunt de illo vniversi rerum nostrarum au-

thores

thores Humbertus, Thomas Cantipratanus, Theodoricus, Chronicon post Constit. Ordinis, Leander Alb. Plodius, Castillus, Maluenda locis præcitatis, alijq;.

De Fratre Gerardo, Fr. Marcello, alijsq; duobus Fratribus Cumano, & Hungaro innominatis. floruerunt ab anno Christi 1250.

CAPVT OCTAVVM.

Frater Gerardus Hungarus.

FRater Gerardus Confessarius Mariæ, Reginæ Hungariæ, Belæ Quarti Conjugis, Theodori Lascari, Græcorum Imperatoris Filiæ, & Stephani Quinti Regis Hungariæ parentis, is fuit, cui cum se etiam eadem Regina in maximis angustijs commendasset, simul cum B. Ioanne Teutonico ei apparuit, futuram inter Belam & Stephanum concordiam, pacemq; prænuncians. Id sanè manifestum ex litteris ejusdem Reginæ superiore capite exaratis, in quibus Prior fuisse narratur: vti etiam ex ijs, quæ scripta reliquit Cantipratanus sincerus eorum temporum auctor, qui expressè Reginæ à sacris Confessionibus fuisse memorat, velut Leander Albert. atq; Castillus. Cantipratanus enim, vbi litterarum à Regina ad Capitulum generale missarum meminisset, ait: *Filius suus* (Reginæ Hungariæ) *Primogenitus, congregato exercitu maximo, dimicare voluit contra parentem, pro quo Regina, mater*

Alb. in Ioã. Tento. lib. 1. Castill. lo. c. c. 21.

nimirum grauissimè contristata, tota nocte præcedenti, cujus sequenti die futura putabatur congressio, in oratione se, & lacrymis dedit, tàm pro Filio, quàm pro viro Rege sollicita. Fiducialiùs autem oratione directa ad Mag. Ioannem, quem multum in vita dilexerat, & Fratrem quendam ejusdem Ordinis, quem, jam defunctum, confessorem habuerat (hunc Regina Fr. Gerardum Priorem nominauit) *ambo eidem Reginæ semivigilanti apparuerunt. Cui Magister Ioannes sereno vultu prædixit, inquiens: Quoniam in nostris orationibus, mediante clementia Dei, fiduciam habuisti, ecce prædico tibi, quoniam hodie, antequam comedas, nuncius dicet tibi, quòd pacificati erunt Pater, & Filius, in bonum omnibus ordinatis.*

CAPVT NONVM.

Fr. Marcellus Hungarus.

FRater Marcellus, Hungariæ Provincialis, Sanctissimæ Margaritæ Virginis, Filiæ Belæ Quarti Pater spiritualis, atq; director, vir magna virtute, zelo, ac perfectione, vt ex gestis ejusdem S. Virginis patet, & ex ejusdem Virginis sanctitate rarissima pronum est judicare. Hic, dùm sæpè cogitaret, quanam via, atq; ratione, Prisci illi Patres ad tantam vitæ spiritualis, & sanctitatis perfectionẽ attigissent, Deiq; fores, vt id sibi manifestare dignaretur, pijs precibus assiduè pulsare non desisteret, nocte quadam diuinitùs excitatus, vidit codicem aureis litteris descriptum, audijtq; vocem, surge Frater, & lege: lectoq; prosiliens, paucula hæc, sed divina plane ver-

ba legit. *Hæc fuit Sanctorum Patrum perfectio, Deum amare, seipsum contemnere, nullum despicere, aut judicare.* Quæ, cùm pro spirituali consolatione S. V. Margaritæ quodam tempore denarrasset, ea tanquam regulam, ad quam, quæcunq; faceret, diceret, cogitaret, collimandum esset, sibi præscripsit. Fuit vir iste pro Sanctissima illa Virgine quoad vixit, semper sollicitus, astititq; morienti. Quòd si PP. Ecclesiæ, Sanctissimi Patriarchæ Ioseph sanctitatem vel inde maximè colligunt, quòd Deus constituerit illum *suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium, & magni Consilij coadjutorem fidelissimum*: istius etiam viri sanctitatem quivis facilè inde concipiet, quòd illum Christus suæ Sponsæ Margaritæ, quæ ab ipsis penè incunabulis fuit Sanctissima, ductorem vitæ spiritualis, perfectionisq; Magistrum designauerit.

Bern. super missus est hom. 2. ad finem.

CAPVT DECIMVM.

Frater N. Cumanus.

HVjus meminit Thomas Cantipratanus, virum illum *bonum, optimum, prædestinatum, & sanctum* appellans. Is ex nobilissima Ducum familia progenitus, cum adhuc septennis, gentilitate detineretur, à Dæmone ad ripam cujusdam fluminis mactatus, miraculosè vitæ restitutus est. Adolescentulus verò baptizatus, in Hungaria inter Fratres Ordinis in sæculari habitu degens studijs operam dedit: cumq; quasi Religiosus Priori obedire jussus, veterem tunicam absq; licen-

l. 2. c. 57. n. 11. & 12.

tia

tia lotrici donasset, gravi infirmitate pressus, visum est sibi, animam è corpore solutam præpediri, ne cælesti gloria frueretur: iterumq; in corpus detrusam, vt Deo pro inobedientia, alijsq; culpis faceret satis. Ipse deinde post litterarum studia, habitu Sacri Ordinis suscepto, genti suæ fidem annunciauit, multosq; ad Christum conversos vitali sacri baptismatis vnda regenerauit. Sed operæ precium erit eundem Cantipratensem audire. *Narrauit mihi*, inquit, *quod subjungo, vir bonus, & Sanctus, Sacerdosq; & Fr. Ordinis Prædicatorum, nobilissimâ Ducum prosapia oriundus de gentibus Cumanorum. Hic ad fidem Christi conuersus fuit illo tempore, quo gens ipsa Cumana percussa, & fugata est à populo Tartarorum.* Id fortè factum, quando Cumani cum Cutene Rege suo in Hungariam venerunt, vt parte superiore dicebamus; tunc enim à Fratribus nostris instructi, multi cum Rege baptizati sunt. Sequitur Cantipratanus. *Hic puer, adhuc gentilis, vt referebat mihi, annorum ferè septem, cum sororibus suis, & puellis alijs in ripa fluminis jocabatur, & subitò inter ludendum, de aqua egressus quasi vir teterrimus, & pilosus, ludentes inuasit, dicens: Quid me hic inquietatis ò pueri? Cunctis ergo fugientibus, dictum puerum in fuga cæteris tardiorem, in dorso clauâ percussit, & mòx occidit, & regressus in aquam saltauit. Sorores autem mortuum puerum rapientes, ad tabernaculum retulerunt. Nondum enim Cumani domibus vtebantur. Aggregatis ergo parentibus, fit planctus pro puero: sed ante mediam noctem cum multa sororum suarũ lætitia mortuo restituta est vita. Credo fidentiùs, sicut postea patuit, quod tùnc in puero salutis opus, diuinæ Prædestinationis benignitas caussabatur.* Subjungit. *Aliud mihi idẽ*

optimus

optimus Frater de se narrauit, quod ad ædificationem legentium breuiter enarrabo. Ipse adolescentulus baptizatus, & à Priore Ordinis Prædicatorum in Hungaria receptus ad Ordinem in habitu sæculari, in Scholam datus est. Præceptum autem est illi, vt nihil, sicut Frater, sine licentia ageret Prælatorum. Hoc quidem etsi in pluribus obseruauit, contigit tamen, vt lotrici suæ tunicam veterem sine licentia daret. Post hoc autem cœpit grauiter infirmari, & acuta febre laborans, sine confessione, sine viatico, vt ei videbatur, ad extrema perductus est. Nec mora, vbi dæmones eum rapere voluerunt, affuit Angelus cum miro nitore pennarum, dicens: Fili, ne timeas, Michael Archangelus ego sum, te contra dæmones defensabo. Secedentibus ergo cæteris, vnus dæmonum cauillatior alijs, tridente animam rapere conabatur, quem Michael graui animaduersione corripiens effugauit. Nec mora, Michael animam ad Paradysi januam introducere voluit. Sed vir grandæuus, & magnæ authoritatis resistere visus est, dicens: Animam, Michael, reducas ad corpus, vt cum alijs peccatis præcipuè inobedientiam corrigat. Statim igitur anima reducta ad corpus, adolescens se cretico sudore perfusum inuenit, & oculos aperiens, Priorem ante se sedentem inuenit, cui mòx confessus, quid vidisset exposuit. Hunc post studia litterarum opportunè Fratrem indutum, & in Sacerdotem promotum vidimus, qui suæ postea genti fidem exponens, Cumanorum populum non modicum baptizauit.

CAPVT VNDECIMVM.

Frater N. Hungarus.

Flamin. in vita S. P. Domi. Malu. a. 1221. c. 57. & 58.

DE Fratre quodam innominato, Hungaricæ nationis juvene sanctissimo meminerunt Ioannes Antonius Flaminius, & Maluenda post ipsum his verbis. *Nobilis in Pannonia puer obierat, cujus obitum cum parentes impatientissimè ferrent, ad Beatos Martyres Cosmam, & Damianum, quos præcipuè colebant, confugêre, sperantes fore, vt eorum ope ad vitam reuocari posset. Sancti Martyres pro suis supplicibus Deum rogarunt, vt in corpus suum pueri anima reuerteretur, quæ in cœlum relata fœlicibus erat immixta spiritibus. (Hæc autem, quæ narramus, vnde sciri potuerint, ne quisquam miretur, postea narrauit, qui ad vitam reuocatus est puer.) Deus autem hujusce rei arbitrium B. Dominico permisit, vt fieret, quod ille censuisset. Is censuit exaudiendas esse parentum preces. Continuò igitur per Sanctos Angelos anima pueri ad suum corpus reducta est, & vixit. At ille gustatæ jam fœlicitatis, & B. Dominici memor, quem inenarrabili apud Deum gratia, & gloria pollentem viderat, terrenis renuncians rebus, statuit, dum viueret, Deo in Prædicatorum Ordine famulari, in quo quidem sanctissimè vixit. Rem vero, quam retulimus, diù quidem ipse reticuit, nec, vt credo, ille aperuisset, nisi Charitas illum ad eam manifestandam impulisset. Erat hic in Parisiensi Monasterio, vbi nouitius quidam magnis agebatur stimulis, vt ad priorem vitam rediret. Hoc vbi reuocatus ad vitam resciuit, satis intelligens, quanto in discrimine salus sui commilitonis versaretur, conuenit illum secretò, & ait: Si donum Dei nosses, Frater, non solum fugam ex hac monastica vita non quæreres, sed multò etiam austeriorem optares. Dicam autem, quod nemini antea pandere volui.*

Eram puer, quando me parentibus meis immatura mors rapuit, & in cœlum relatus sum. Quem obitum cum illi nimis impatienter ferrent, non destiterunt, priusquam à Deo impetrarunt, vt vita restitueret, interpretibus, ac precatoribus apud Deum Sanctis Martyribus Cosma, & Damiano. Qui cum Deum cum suis precarentur supplicibus, permisit B. Dominico vitæ meæ arbitrium, vt fieret, quod ille censuisset. At illi placuit, vt parentum meorum preces exaudirentur: quod factum quidem est, vt continuò in meum corpus anima mea rediret. Vidi ego tunc in illa Beatissima Patria multa quidem, quæ humana imbecillitas, nec animo complecti, nec verbis effari possit. Inter quæ B. Dominicum sublimi admodum loco positum inenarrabili vigentem gloria, & splendore fulgentem, & Prædicatorum Ordinem omnium transgressum Ordinum amplitudinem, & excellentiam vidi: quod te maximè mouere debet, vt in eo permaneas, & in Sancto proposito perstes, nec inde fugias, vbi certa tibi salus, si perseueres, tanquam in tutissimo portu proposita est. Mouere hæc Nouitium vehementer, & labantem animum confirmarunt. Narrabat idem alia quædam, sed inuitus, ac penè coactus, cum mos illi esset rarò admodùm loqui. Inter quæ dicebat, Cœli Reginam corporis esse gloria donatam, & Angelum, clarissimam, & excellentem quandam esse lucem, quam magis capere intellectus, quàm lingua eloqui possit. Hactenùs Flaminius, & Maluenda. Ita etiam in antiquo codice Theodorici de gestis S. Dominici M. S. vbi etiam in laudem ejusdem Religiosi Hungari dicitur: *Erat verò Frater ille qui reuixerat, valdè deuotus, & maturus, & ad superna, quæ gustauerat, totis semper viribus intentus, atq; suspensus. & licet rarò loquens, exactiùs quædam de Angelis, & de Regina Cœli Virgine enarra-*

Theod. l. 8. c. 13.

bat. Quod hîc de excellentia Ordinis Prædicatorum dicitur, ne mirum tibi videatur, Optime Lector: simile enim quid refertur etiam à Nicolao Ianſſenio, noſtri Ordinis Theologo lib. 3. vitæ S. P. Dominici his verbis. *Friderico Tertio Imperatore Occidentis, obierat omnium opinione quidam Præmonſtratenſium Canonicus. Hic, cùm ad tumulum efferretur, reuixit: ac deinde in tugurio quodam, haud procùl à monaſterio, reliquum vitæ rigidiſſima ſui caſtigatione exigebat. Illum Venerabilis quidam Frater Ordinis Minorum, Guardianus Friburgi in Briſgoja, illàc tranſiens inuiſit (quippe ſeriem rei geſtæ ab Antiſtite cœnobij cognouerat:) poſt varia vltrò citrò́ colloquia de rebus diuinis, certior ab eo factus eſt quorundam ſecretorum, quæ ſpectabant ad Ordinem S. Franciſci. Vnde facilè exiſtimauit Guardianus, illum prædicta ex cœleſti reuelatione didiciſſe. Quærenti verò ſtudioſiùs de Prædicatorum Ordine, reſponſum ab eo eſt: Iſti regulam B. Auguſtini, quæ vitam Apoſtolicam, & ſtatum primitiuæ præſefert Eccleſiæ, quæ collapſa fuerat, per ſuam Religioſam, & plenam obſeruantiam erexerunt. Sciatis quoq́, quòd inter omnes Electorum ſtatus, Prædicatorum Ordo ante Deum præeminet, & refulget, nulliuſq́ ſtatus perſonæ tàm generalitèr ſaluæ ſunt, & fiunt. & non damnabitur quiſquam in illo Ordine, & ſancta vita vſq́ ad finem perſeuerans. De his, aliiſq́ inſtructus Guardianus, rediens Friburgum, Fr. Arnoldo in eadem Ciuitate Priori Ordinis Prædicatorum, viro probatiſſimo hæc ipſa narrauit*

Nicol. Ianſſe. in vita S. P. Domi. lib. 3. ad fin.

Obſeruet tamen prudens Lector in grandi iſto miraculo, quod aſſeritur, animam illius pueri, jam in cœlum relatam, & fœlicibus ſpiritibus immixtam, rurſus in corpus revocatam vera reſurrectione, cautè & ritè intelli-

gendum,

gendum, ne cum placitis Theologorũ pugnare videatur, qui docent, Beatos jam in cœlo æterna beatitudine fruentes non posse reuocari ad vitam. Nam, quas legimus interdum animas è Cœlo in corpora restitutas, haud est accipiendum, quòd illæ jam absoluta beatitudine donatæ fuerint, sed, quòd Deus prævidens earum in corpora rursus immissionem, distulerit earum plenam beatificationem. Sicut enim interdum animas in Purgatorio, aut etiã in inferno non simpliciter, sed ad tempus constitutas, inde ereptas in hanc vitã legimus: sic & animas quasdam ad tempus in cœlo beatas, finito eo tempore ad hanc ipsã vitam aliquando revocatas, cũ securitate tamen in cœlum redeundi, visioneq; beatifica fruendi, non ignoramus.

V. Valen. to. 4. d. 11 p. 2. ad finem.

De Beato Augustino Hungaro, Episcopo Zagrabiense, & demum Lucerino. obijt anno Christi 1332.

CAPVT DVODECIMVM.

Professio in Ord. Præd. studia, Episcopatus.

BEatus Fr. Augustinus, doctrina, religione, pietate, humilitate, patientia, austeritate, prudentia, cæteriſq; virtutibus omnibus adeò excelluit, vt inter præstantiores sui sæculi viros ab omnibus meritò numeretur; & D. Ioannes Tomko, Episcopus Bosſinensis, in ejus vita, quã nuper ex varijs monumentis à se conscriptam mihi legendã placuit exhibere, il-

D. Tõko in vit. B. Aug. M. S.

lum post Apostolos clarissimum, sanctissimumq; virum appellet. Adolescentulus, Plodio teste, in Italiam profectus est, inde Parisios, quò cùm studiorum causa à Capitulo Generali Parisiensi anno 1286. habito, cum Fr. Iacobo Vrsino, Cardinalis Matthæi Vrsini nepote missus pergeret, ad vallem Ticini Fluminis à sicarijs quibusdam, qui ei ob oculos socium repentè peremerunt, grauiter capite vulneratus est, atq; in nivibus seminecis dimissus. Caussam fuisse ajunt, odium à Comitibus Casatensibus in Vrsinos omnes conceptum, quòd ex his quispiam, Thomam Casatis Comitem, & Mediolani Cardinalem veneno sustulisset. Augustini, Paganus à Petra Sancta, Eques Gaudens, magnus Ordinis nostri amicus, & fautor, in Castrum suum Rebecense sublati, sic curam per tuos agendam curavit, vt intra paucos dies salutem recuperaret. Quæ ratio temporis à Plodio ex multis grauibus auctoribus assignata, si vera est, non video, quomodo B. Augustinus potuerit esse S. Thomæ Aquinatis Ange. D. auditor, vt non semel asserunt Viri eximij, sive juxta rei veritatem, cũ S. Doctor mortalitatẽ jam exuisset anno Christi 1274. nimirũ ante annos duodecim, quã esset annus 1286. quando studiorũ caussa Augustinus Parisios proficiscebatur: neq; juxta eorundẽ chronologiã, qui dicãt septuagenariũ obijsse Augustinum, & quidem anno 1332. qui est à S. Doctoris morte 57. jam enĩ opus esset, Augustinũ terdennẽ Doctori Angelico operam dedisse, quod haudquaquã credibile est, cum fortasse ea ætate nec ordinẽ fuerit ingressus. Parisijs August. toto pectore studijs incumbens, ingenij præstantia, & laboris assiduitate maximam sibi in Philosophicis,

Plod p. 1. l. 1. colum. 241.

Theolo-

Theologicisq; rebus eruditionem acquisivit. Inde cùm lectionibus ad discipulos, concionibusq; ad populos annos aliquot non sine ingenti profectu desudasset, eum Benedictus Vndecimus ex Ord. Præd. qui virtutes ejus, regularem cum primis observantiam, & sanctitatem optimè sibi perspectas plurimi faciebat, Romæ existentem Zagrabiensi Ecclesiæ in Croatia Episcopum præfecit anno 1302. vel 1303. vtrumq; enim annum attigit Benedictus suo Pontificatu.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Miracula ejus coram S. Pont. gestaq; alia.

REfert D. Tomko, duo valdè miranda Deum eo tempore per B. Augustini merita fecisse. Alterum, cùm is ad pedum oscula beatorum accessisset, manumq; Pontifex, qua chiragra laborabat, illi exosculandam præbuisset, eam post Augustini osculum continuò fuisse sanatam: alterum, cùm mensæ secum Pontifex assidere jussisset, perdices duas illi oblatas, qui carnes ex sacræ Religionis suæ instituto non comederet, tacitis ejus precibus, in pisces esse conversas. Ecclesiã Zagrabiensem complures annos sanctissimè vigilantissimèq; administrauit, cui etiam ritum diuini officij Fratrum Prædicatorum seruandum præscripsit, quem illa ad hæc vsq; tempora nostra seruauit, vt à pluribus ex ea Ecclesia viris fide dignis accepi hoc anno 1636. Multum etiam pro totius Hungariæ Regni bono, & tranquillitate laboravit: ejus

cum

Ioan. Tomko Episc. Io. 5.

cum primis operâ Fr. Gentilis, ex Ord. minorum S. R. E. Cardinalis, & S. sed. Apost. de Latere Legatus, ad ardua Regni ejusdem negotia componenda, Carolumq; Bertum in regem stabiliendum vsus est. Post septendecim autem annos, factiosorum hominum æmulationis declinandæ gratia, ad Lucerinam Ecclesiam in Appuliæ Regno Italiæ administrandam per Ioannem 22. sum. Pontifice trans-latus, cum prudentiæ, eruditionis, misericordiæ, sanctitatis, & omnium virtutum splendore tredecim circiter annos illi præsedisset, denique anno Christi 1332. tertia Augusti, sub ipsum tempus transitus B. P. Dominici, laborum præmia percepturus, ac tanti Patris Sodalis perpetuò futurus, migrauit in cœlum. Obijt circiter septuagenarius. Vultu fuit jucundo, & hilari, barba promissa, & cana, genis aliquantulum crispantibus, sed subrubentibus, oculisq; viuacibus. Fuisse procera, ac ferè gigantæa statura, vestium illius pontificalium, stolæ, & albæ (quæ adhuc extant) modum excedens longitudo saris indicat.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Multa & insignia eius miracula post mortem.

QVanti verò meriti apud Deum fuerit, insignia rara q; miracula post ejus mortem facta testantur. Nam priusquam S. Episcopus moreretur, mulier quædam à tribus dæmonijs miserè vexata, ad varia loca à viro suo perducta, liberari non potuit, id solum dæmonibus vociferantibus, fore, vt de ipsis Augusti-

nus victoriam referret. Igitur non ita post multos dies defuncto Augustino, cùm vir obsessam vxorem ad ejus sepulcrum deduceret, in ipsa via duo ex dœmonibus ab illa egressi sunt: vbi verò ad locum sepulchri perveniissent, ibiq; mulier aliquamdiù prostrata jacuisset, tertius etiam dœmon ab ea receßit: adeoq; per omnia libera & incolumis S. Episcopi meritis effecta, Deo, qui in sanctis suis mirabilis est, grates debitas persolvit. Ipsa die, qua sancti viri corpus sepulcro demandandum erat, innumerabili hominum multitudine concurrente, Paschalis quidam ex nimia confertæ multitudinis compressione, in locum apertæ, & præparatæ jam foueæ supinus, & reclinato capite sic concidit, vt gladio ex vagina prosiliente, & capulo tenùs terræ infixo, cuspis rectà pectus illius petens, indubiè eum esset transuerberaturus: cùm S. Augustinus deuotiùs à Paschali inuocatus, ope sua effecit, vt ferrum nocendi virtutis oblitum, retrocederet, & ad pectoris contactum, cuspidem ad capulum instar mollis ceræ, aut ductilis virgæ absquè vlla læsione remitteret. Hujus rei famâ per vrbem vulgatâ, Cives ad Sancti tumulum in suis necessitatibus fidentiùs confluxere. Quare sub ipsum tempus, 20. sc. Augusti die, tria sequentia miracula patrata sunt. Mulieri cuidam, quam rabidus canis momorderat, fœmur adeo intumuerat, & excreuerat, vt inde facilè se extinguendam putaret: sed fiducia plena ad B. Viri sepulcrum accedens, cùm ibi aliquamdiù conquieuisset, pristinam sanitatem recuperauit. Quidam continuis febris rigoribus laborans, super idem sepulcrum orans mirabiliter sanatus est. Mulier alia, præ gutturis tumore, necessa-

ria vitæ alimenta cùm ne deglutire quidem posset, B. Viri sepulcrum adire decreuit: vix adijt, quando tumore, morboq; omni penitus euanescente, fuit repentè curata. Propter hæc, & alia, quæ in dies fiebant, B. Augustini fama ad alia etiam loca, vrbesq; vagante, frequentissimi pro beneficijs, & gratijs ad ejus sepulcri locum homines vndiq; conveniebant. Ex ijs Bartholomæus Apicienſis, Filium, cui ob granes defluxiones, cruruum, ac tibiarum nerui prorsus inaruerant, ad B. sepulcrũ delatum, super ipsum collocauit: is verò brevi temporis spatio, quo deuotiùs preces effuderunt, adeò solidè convaluit, vt deinceps quo vellet cumque, liberè commearet. Simon Barletanus ex pluribus annis cœcus, ad locum eundem à Filio ductus, vbi Beati Augustini reliquias oculis applicitas attigisset, visum recepit. Auribella Fogienſis, malè vexata à dœmonio, quod ne momentum quidem eam quiescere permittebat, à consanguineis ad tumulum perducta, subitò liberata est. Romualdæ è S. Severino Filius, morbo comitiali diù laborans, ibidem salutis beneficiũ est adeptus. Quàm pulchrè quadrabat in B. Augustinum, quod in laudem Sanctorum Confessorum occinere solet Ecclesia:

Ad Sacrum cujus tumulum frequentèr
Membra languentum modò sanitati,
Quolibet morbo fuerint grauata,
Restituuntur.

Nec ad sepulcrum solum, sed etiam ad sepulcri devotionem miracula patrata. Civis enim quidam Lucerinus, Ioannes nomine, Filium à natiuitate cœcum susceperat: hunc jam grandioris ætatis decreuit ad B. V. sepul-

crum

crum deducere, certò sperans videndi facultatem consecuturum. Vix progredi cœperant, cùm B. Augustinus sua ope præueniens, cœcum illuminauit, vt is se solo viam carpens, & ducem non requirens, ad sepulcrum gratias pro accepto beneficio redditurus properaret. His alijsq; plurimis planè stupendis miraculis Carolus Illustris Dux Calabriæ permotus, ad Ioannem 22. præmemoratum S. Pontificem literas dedit, vt eorum, quæ in dies per Sanctum suum Deus operabatur, diligenti facta disquisitione, deniq; in Sanctorum album posset adscribi, cui petitioni per suum breue Ioannes assensit. Aliud deinde ad majorem ejus gloriam à sede Apostolica indultum emanauit pro solemni celebratione officij ipsius natalis, quod nos integra fide acceptum inferius describemus; in coq; cum prænarratis miraculis alia multò plura intueri licebit.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Miracula æuo nostro patrata.

SEd nec nostro etiam seculo per Beatum virum mirabilia Deus operari desistit. Nam ad annũ 1604. tantam terræ siccitatem Deus immiserat, vt Sancti Vatis Eliæ tempora, in quibus clausum est cœlum, ne pluuiam daret, redijsse viderentur; arescentibusq; cunctis, Lucerienses, non tantum creditoribus satisfacere se posse desperabant, sed in summa etiam penuria, quam messis minabatur, vitã ducturos formidabant. Itaq; ad diuinam misericordiam, opemq; impetrandam,

varijs precibus, ac ſupplicationibus habitis, multas pias imagines detulerunt. Sed cùm Deus nihilo placatior factus videretur, caput B. Epiſcopi noua publica ſupplicatione per vrbem deportandum decreuerunt. Clero igitur, & viris religioſis, cœteriſq; ciuibus ad B. Dominici ædem die prima Maij congregatis, cœlo vndequaq; nubibus repurgato, atq; ſereno, æſtu, ac ſi ſol eſſet in leone, ſæuiente, vbi ſtatuam, in qua ſacrum caput extat, efferre, ac prodire cœperunt, in ipſo templi S. Dominici limine aer turbari, obduci nubibus cœlum; cumq; vix ſexaginta paſſus, ad majorem Eccleſiam progreſſi eſſent, nubes ſtillare; & cùm inde ad portam ciuitatis appropinquarent, tantos imbres effundere, vt cœlos ruere putares, & in Eccleſia Pietatis, quæ erat itineris meta, ſtatuam per duos dies, ac noctes dimittere cogerentur; Fratribus, vt poterant, ad monaſterium ſe recipientibus, B. Auguſtinum, Sanctum acclamantibus vniuerſis. Anno 1611. mulieres duæ gallicæ, peregrinantium habitu, Eccleſiam S. Dominici Lucerienſis, quo tempore completorium perſoluebatur, ingreſſæ, vbi genibus flexis ante diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum primùm, deinde ad aram Beatiſſimæ Virginis de Roſario pias preces fudiſſent, ad tumulum in quo Beati Epiſcopi oſſa ſeruantur, acceſſerunt: ibi junior, quæ hactenus nullum commotionis ſignum ediderat, adeò corpore toto intorqueri, membris omnibus diſſipari cœpit, vt Religioſi ſacras preces decantantes, eam ab immundis ſpiritibus vexari facilè deprehenderent. Accurrit ſtatim Pater ad id muneris deſignatus, & adhibitis exorciſmis, ab octo dœmonibus obſeſſam intelligit: cumq; per

Dei virtutem, & B. Episcopi merita eos ad recessum vrgeret, se discessuros dixerunt, quòd præsentiam ossium illorum diutiùs ferre non possent. Quod & facere compulsi sunt. Quatuor enim primò in numum quendam æreum signo edito recesserunt: alius deinde facto signo in contortum capillum, quem obsessa vomuerat, eam reliquit: sextus, instar cujusdam virgulæ fumi, ex ore, ceu ex fornace cum impetu exhalantis, & rectà ad foramina vitreæ fenestræ, quæ est in sacello, pergentis, exiuit, tota ferè vrbe, quæ confluxerat, aspectante. Deniq;, duobus alijs, cum eam ad terram impulissent, egressis, liberata est. Anno 1615. Antonius Platus, rusticus Lucerienſis, & alij quidam ejus socij, energumenum ad tumulum B. Augustini pro liberatione perductum asseruabant. Dum ergo P. exorcista dœmonibus adjuratis, obsessum, ne nimium torqueretur, aliquandiù eisdem hominibus custodiendum dimisisset, dœmon per os obsessi frigidam pro sedanda siti instantèr efflagitauit. Antonius, & alius ex socijs monasterium ingressi, aquam hauserunt ex puteo, hauſtamq; totam ebiberunt: cùmq; solus Antonius, socio ad custodiam redeunte, aquam obsesso delaturus demissum jam funem attraheret, vi maxima, ac si tota phalanx infernalis ex pedibus illum protruderet, obuerso in puteum capite dilapsus est. Tunc is B. Augustinum deuotiùs inclamans, illæsus super aquas sustentatur. Quem, (dœmone indicante, aquam non deferre, quòd demersus esset in puteũ) statim Fratres, & socij accurrentes, viuum, & incolumem, ope B. August. (vt piè creditur) eduxe-

runt. Viuebat Antonius adhuc anno 1634. fidele de re tota perhibens testimonium.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Deuotio populorum ad B. Augustinum, ejusq; sepulcrum, atq; reliquias.

CVm B. Augustini virtus in dœmonibus ab humanis corporibus expellendis maximè eluceſcat, magno quotidie numero energumeni ad ejus sepulcrum spe gratiæ, & liberationis, vndequaq; conveniunt: qui spe sua minimè frustrati, Deo, & B. Episcopo debitis gratijs exsolutis, læti ad propria reuertuntur. & mirum sanè est, quantum dœmones B. Episcopi reliquias exhorreſcant. Vbi enim galerus quidam paleaceus, quem is gestare solebat, energumenis imponitur, oculis suffunduntur, capite intorquentur, pectore, ac gutture intumeſcunt, totis deniq; corporis membris dissipantur, vt affatim patefaciant, non adeò graues sibi esse gehennæ eruciatus, vt, quos ex sanctarum illarum exuuiarum attactu perpetiuntur. Hinc ad pedes aræ B. Viri, ex pariete mediocris magnitudinis pendet catena, qua non rarò obsessi, sive quòd furiosi, & noxij sint, sive ad majorem spirituum malignorum contemptum illigantur. nec minus dignum admiratione, sæpè dœmoniacis è longinquo adventantibus, vbi agrum Lucerinum attigerint, varijs intorsionibus, ejulatibus, alijsq; signis latentes dœmones deprehendi: qui verò jam deprehensi erant, majoribus ex

ipsa

ipſa vicinia eos cruciatibus vrgeri, per diverſa ſigna, & effectus palàm oſtentari. Qui febre, alioue grauiore morbo prægrauantur, nullum præſentius, aut efficacius remedium adhibere ſe poſſe exiſtimant, quàm ſi puluerem ex marmoreo tumulo eraſum, aquæ, alijue liquori reſperſum hauſerint, cùm, vt plurimum, incolumes ex eo reddantur. Cingulum ejus Sacerdotale ad proximè parituras mulieres delatum, affert pariendi, partuſq; fœlicitatẽ. Paleaceus pileus, cujus jam meminimus, quibuſcumq; adhibetur, ſoſpitatem exoptatam aſſequuntur. Pileus hic ex paleis contextus, (qualibus meſſores in Italia propter æſtus vehementiam vti ſolent) leuiori velamine nigro ſic circumtegitur, vt ex lana, more aliorum, confectus eſſe videatur. & tamen, cùm toties ad grauiùs decumbentes afferatur, adeòq; frequenter in Eccleſia piorum capitibus imponatur, tàm integer poſt tria integra ſecula ſeruatur, atq; erat quando Beatus Epiſcopus deceſſit, cùm etiam ferreus vix non conſumptus fuiſſet. Sed eſt etiam, vnde hujus B. Viri paupertatis amorem, rerumq; ſæcularium contemptum admirere, qui cum Eccleſiam haberet redditibus adeò copioſam, quibus etiam ijs temporibus magis florebat, pileo uſq; eò exiguæ, viliſq; materiæ voluerit eſſe contentus. Vrbs Lucerienſis, ob ingentia, & innumera beneficia, quæ à Deo illius meritis, & interceſſione accepit, de eo in peculiarem Advocatum, ac Protectorem deligendo peculiari adhibita conſultatione ad annum 1634. tractabat; & vt, quouſq; res optatum finem aſſequeretur, majori apparatu ſolemnitas ejus celebrari poſſet, quandam pecuniæ ſummam quotannis offerendam de-

creuit.

creuit Porrò dies tertia Auguſti, qua B. Auguſtinus deceſſit, Luceriæ inſtar Paſchalis feſtiuitatis ſolemnis habetur, maximo incolarum omnium, nobilium, vulgarium, ruſticorum, ac cujuſq; hominum condicionis frequentia: precibus, & ſacro proprijs, Ioannis 22. indulto, concionibus, & laudum præconijs celebratur Quin etiam pridie ejus diei, ſecunda videlicet Auguſti, magnus fit omnium ad ædem D. Dominici concurſus, vbi genibus ante ſacra oſſa curvatis, eaquàm diutiſſimè venerantur, & Sacerdote ſacrum pileum ſingulorum capitibus inclinante, is ſe fœliciorem exiſtimat, qui dùm ad B. Epiſcopi honorem antiphona recitatur, diutiùs illum ſuper ſe meruerit retinere.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Quid de illius patria ſentiant auctores.

QVæ hactenus de B. Auguſtino narrauimus, ex officio in die Natali B. Auguſtini Luceriæ recitari ſolito, Fr. Ioan. Michaele Plodio, S. Theolog. Magiſtro, & Mediolanenſi Inquiſitore, libris de viris illuſtribus Ord. Præd. D. Ioanne Tomko, Boſſinenſi Epiſcopo, & relationibus ſcriptis ad Magiſtrum Ord. Præd. Fr. Nicolaum Rodulfium per Fr. Stephanum de S. Severo ex Conventu Lucerino anno 1634. die 30. Septembris, ad requiſitionem ejuſdē Reverendiſſ. P. Mag. Generalis, deſumpſimus. Cœterum non levis eſt controverſia de Beati hujus viri patria, quibuſdam Hungarum, nonnullis

Croatam,

Croatam, Dalmatã alijs asserentibus: è quibus alij Tragurienſem, alij Brachienſem fuiſſe tradunt. Id enim clariſſimi viri aſſequi etiam ſolent, vt poſt mortem variæ patriæ, & vrbes ſuos fuiſſe contendant, quemadmodum de Homero Cicero ſcriptum reliquit. *Hungarum* fuiſſe ſcripſerunt Leander Albertus lib. 3. de viris illuſt. Tit. *Item Epiſcopi alij: & Auguſtinum*, inquiens, *Hungarum, virum ſanctiſſimum, ad Præſulatum Zagrabienſem Benedictus Vndecimus Pont. in Romana curia exiſtentem euexit anno Domini 1304. & exinde ad Nucerinam, vbi miraculis claret.* Abraham Bzovius tomo 14. annalium ad annum 1332. *Auguſtinus Hungarus, Zagrabienſis Præſul. Hic ab eodem ſum. Pontifice Benedicto Vndecimo, propter Religionis ſummam obſeruantiam ad Epiſcopatum euectus, multa ſanctitatis exempla ediderat, adeò vt ad cathedram Nucerinam tandem aliquandò transferri meruerit.* Plodius ſcribit, dubitari non poſſe, quin Beatus Auguſtinus, prius Zagrabienſis, poſtea Nucerinus Epiſcopus, Hungarus fuerit, quòd id tanquam indubium tradant Authores valde graues, Taegius p. 1. c. 6. Hieronymus Borſellus li. de Generalibus Ord. Luſignanus in Chronico anno 1300.

Cicero pro Po. Arch. Leand. fol. 120

Bzov. a. 1332. n. 16.

Plod. p. 1. de vir. ill. d. 1. col. 241. & 2. p. l. 2. col. 160.

Croatam fuiſſe indicat Indiculus Sanctorum, & Beatorum noſtri Ordinis ad finem martyrologij, ſæpè recenſitus, dum illum Zagrabienſem vocat, Zagrabia namq; Vrbs in Croatia eſt: titulo enim *Confeſſores*, ſic habet: *Fr. Auguſtinus Zagrabienſis, Hungarus, Nucerinus Epiſcopus, vitæ ſanctimoniam pluribus miraculis conſignauit.* quamquam dum etiam dicit Hungarum, res obſcurari videatur.

Indic.

Dalmatam asseruit, officium, Luceriæ in laudem B. Augustini indulto Ioan. 22. recitari solitum: Dominicus Grauina, S. Theol. Mag. hoc nostro seculo eruditione nulli secundus, in voce Turturis p. 2. c. 12. dum ait: *B. Ceslaus S. Hyacinthi Frater in Vratislauia, Vtergę Petrus Conſaluus, Thelmus, & Amaranthus in Luſitania, Albertus Magnus in Germania, Auguſtinus Dalmata, in Luceria Apuliæ, & alij, quorum dies feſtus in ſuis prouincijs anniuerſaria commemoratione recolitur.* Alphonsus Fernandez in concertatione Prædicatoria, catalogo Episcoporum, tit. *Epiſcopi Dalmatæ*: *B. Auguſtinus Gazzotus, Epiſcopus Zagrabienſis, deinde Nucerinus, de quo in ſua Eccleſia officium agitur.* Quòd fuerit Dalmata *Tragurienſis*, habent precitatum officium, Episcopus Tomko, alijq; asserentes extare etiamnum familiam Cassatensem, ex qua originem duxerit. Quòd *Brachienſis*, refert Stephanus à S. Seuero, scribens, propterea olim Brachienses, B. Augustini miraculorum fama increbrescente, sinu Adriaci maris fœliciter pertransito, ad portũ Fortoriũ appulisse, indeque Luceriã progressos, corpus B. viri, tanquam compatriotæ, vt Brachiam deferrent, suffuratos: sed cum ad eundem portum redijssent, vt insequente die mare transmitterent, ipsa nocte sancta ossa, Luceriam, ad D. Dominici, vnde sublata fuerant, diuinitùs remeasse. Plodius hanc litem dirimere conatus, opinatur dici posse, duos eisdem Ecclesijs Zagrabiensi, ac Lucerien si Episcopos ejusdem nominis, Ordinis, & Beatos diversis temporibus, Hungarum sc. & Dalmatam præfuisse; è quibus Hungarus anno 1332. mortuus fuerit: Dalmata verò post annum 1465. ad Epi-

scopatum

scopatum sit evectus. Sed præter alia, officij antiquitas ex tempore Ioannis 22. in festo B. Augustini recitari soliti, quod eum *Dalmatam* vocat, huic conciliationi refragari videtur; recitabatur enim officium illud vno seculo, & amplius, quàm Augustinus Dalmata, cujus meminit Plodius, non dico, esset, sed esse posset Episcopus. Quod autem B. Augustinus Hungarus dicatur, non obstare, quin Dalmata fuerit, familiari colloquio Episcopus Tomko dicebat, quòd Dalmatæ sub Hungarici Regni corona existentes, Hungari solerent interdum appellari. Mihi verò, cùm in re hac jam nihil decernendum occurrat, suam cuiq; liberam sententiam dimitto. Quacumq; enim demùm ex recensitis, patria extiterit, ad nostram facit scriptionem, cùm Zagrabiensis Episcopatus ad Hungariæ regnum etiamnùm pertineat, & Dalmatia tota, quo tempore B. Episcopus vixit, ac longè etiam postea, sub vna Hungariæ Provincia nostri Ordinis comprehenderetur. Quòd interdum Nuceriæ Episcopus ab authoribus dicatur, per errorem ex vocum similitudine factum est. Cæterum Nuceria Vrbs est in Campania, Luceria in Appulia. Beatum Augustinum de puritate virginali, & prophetico spiritu, qui etiam recedens ex Patria dixerit, eam ingratitudinis ergò ossa sua non habituram, Stephanus à S. Severo commendat. Translatio corporis ejus ex priori sepulcro sub terram effosso, ad eminentem tumulum marmoreum, in quo nunc colitur, anno Christi 1601. facta est. Quia verò Officij illius Ecclesiastici sæpe meminimus, daturosquè promisimus, ecce illud exhibemus.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Officium, in festo B Augustini Episcopi, Luceriæ à Fratribus Prædicatoribus recitari, & decantari, Ioannis 22. sum. Pontificis Indulto, solitum.

Ad Vesperas super Ps. Antiph.

FOelix Ciuitas Lucerina, continens thesaurum pretiosum, clarificata es doctrina per nouæ lucis radium: gaude plebs, quam Deus tanti Patris meritis decorauit.

Psalmi, Laudate pueri, cum cœteris.

Capitulum.

Eccles. 50. *Quasi Stella matutina in medio rebulæ, & quasi Luna plena in diebus suis, & quasi Sol refulgens, sic iste effulsit in templo Dei.*

Responsorium.

Augustinus, Præsul Lucerinus, impetret nobis gratiam, & per ejus merita ipse Deus donet reis veniam, Vt omnes ad illum perducamur, Et cœli gaudijs frui mereamur.

℣. *Intercede pro nobis, Præsul Lucerine, fons pietatis.*

Vt omnes, & cæt. *Gloria Patri. Et cœli.*

Hymnus.

ÆTernæ regi gloriæ, Deuota laudum cantica Fideles soluant hodie

Pro Augustini gloria. Prædicatorum Ordinis Præsul namq; almificus,

Mundi

Mundi jam fulget terminis
Ciuis effectus cœlicus.
Carnis liber ergastulo,
Poli potitur gloria;
Pontificali cingulo
Stola dotatur regia.
Fragrans odor de tumulo
Cum gestorum frequentia,
Clamat pro Christi famulo
Alti Regis magnalia.
Nitamur totis viribus,
Nectamus preces precibus;
Vt Augustini meritis
Cœli fruamur proemijs
Præsta Pater ingenite,
Iesu cum Sancto flamine,
Vt Augnstini precibus
Cœli jungamur Ciuibus. A.

℣. *Ora pro nobis Beate Pater Augustine.*
℟. *Vt digni efficiamur promißionibus Christi.*

Ad Magnificat, Antiphona.

Gaude fœlix parens Dalmatia, nouæ prolis dans mundo gaudia, sed tu magis plaude Luceria, tanti Patris dotata gloria: lauda tota mater Ecclesia, nouæ laudis agens solemnia, alleluja.
Magnificat.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Augustinum, de Dalmatia, Ordinis Prædicatorum, in verum Præsulem Lucerinum eligere voluisti, quiq; ei dœmones expellendi, & cunctorum morborũ languores sanandi gratiam contuliſti; concede, quæsumus, vt qui ejus festa percolimus, ipsius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Saluatori nostro laudes decantemus: qui regni cœlestis proemium Sancto contulit Præsuli Augustino. Venite.

Ad Matutinum, Hymnus.

CHriste Saluator omnium,
Rector, spes, & proemiũ,
Exaudi vota cordium
Pro sancto, gemma Præsulũ.
Præsul in fide claruit,
Malorum carens nebula,
Christo seruire studuit
Sub paupertatis regula.
Corpus afflixit fortiter
In sudore multiplici,
Iter sectans humiliter
Sui Patris Dominici.
Iesum Christum se induit,
Adorans, laudans extulit,
Mentem diuinis imbuit,
Cuncta caduca respuit.
Laus sit Parenti Domino
Laudem canamus vnico,
Laus sit amborum flamini,
Per tempora laudabili. A.

In I. Nocturno.

Ant. Iste Sanctus glorioſus, tamquam bona arbor ſecus aquarum decurſus plantata, dedit fructum ſuum in tempore ſuo. Pſ. Beatus vir, qui.

Ant. Dominus Ieſus Chriſtus, dixit Beato Præſuli Auguſtino, ſeruus meus es, à me poſtula: poſtulauit, & dedit plebem Lucerinam in cuſtodiam ſibi. Pſ. Quare fremuerunt.

Ant. Sanctus Præſul Auguſtinus, voce mirifica ad ſuum clamauit Dominum, & exaudiuit eum de monte Sancto ſuo. Pſ. Domine, quid multiplicati.

℣. *Amauit eum Dominus.*

Lect. I.

AVguſtinus, Ciuis Traguriæ Vrbis, ex nobilibus, & pÿs parentibus originem duxit: qui à pueritia Ordinem Fratrum Prædicatorum intrans, & litterarum ſtudÿs traditus, gemina ſcientia, philoſophica, & theologica efficaciſſimè claruit. Adeò etiam fuit purus, innocens, Deum timens,

verax,

verax, pius, mitis, & ab omni prauo opere abstinens, vt Ciuitatis Lucerinæ, defuncto priori Episcopo, tempore Pontificatus Sanctiß. Pat. Dom. Ioannis 22. diuina inspirante gratia, fuerit electus, & confirmatus Episcopus. Infinita verò miracula, quæ Deus per merita ipsius tâm in vita, quàm post mortem ostendit, nemo posset lingua reserare. Ex ijs tamen, quæ post ejus mortem facta sunt, nonnulla narrabimus. Die tertio Augusti, quo B. Augustinus obijt, tota Ecclesia Fratrum Prædicatorum plena existente hominibus, qui ad illius corpus venerandum conuenerant, Paschalis de Quarato, Comestabulus Capitanei Luceriæ, ne præ nimia multitudine & compressione periculum aliquod emergeret, cùm, vt homines contineret, propiùs ad foueam, quæ pro tumulo parata fuerat, accessisset, fortiter impulsus, in eam cecidit. Quo casu, ensis, quo erat accinctus, de vagina egressus est, & pomo ipsius terræ infixo, erectus mucro benè acutus Paschalem rectâ per pectus excepit omnino transfigendum: sed Beati Augustini auxilio, mucrone ad pomum curuato, ab omni læsione liber euasit. Tu autem.

℟. Die mensis Augusti tertia, cum tota Prædicatorum Ecclesia hominibus esset plena: Paschalis de Quarato, ex magna impulsione cecidit in foueam, ense suo perimendus: Quem Deus Beati Augustini meritis seruauit illæsum. ℣. Hoc primum signum fecit Dominus, post tempus serui sui obitus. Quem Deus,

Lect. II.

Die vigesimo ejusdem mensis, mulier, nomine Odina, cujusdam de Bononia vxor, cum ex morsu canis haberet tibiam corrosam, rubeam, & tumefactam, concepta devotione erga B. Augustinum, ad ejus sepulcrum accedens, & super ipsum aliquantulum requiescens, statim perfectè surrexit

curata, remanentibus solis foraminibus dentium canis, ad miraculum ostendendum. Eodem die Philippus de Florentia, patiens rigores febriles, cum ad idem sepulcrum accessisset, & devotiùs ibi quieuisset, statim curatus ab omni infirmitate surrexit. Ipsamet die Isolda, vxor Nicolai apothecarij de Ciuitate S. Maria, patiens tumorem maximum in gutture, itaut vix comedere posset, cùm ad sepulcrum veniens ibi deuotè procubuisset, illico tumor euanuit, ipsaq; recessit perfectam sanitatem adepta. Die 26. ejusdem Auribella de Fogia, longo tempore à dæmone vexata, vt vix per horam valeret quiescere, ad sepulcrum cum devotione delata, perfectè fuit protinùs liberata. Tu autem Domine.

℟. Auribella de Fogia, jam diù à dæmone adeò vexata, vt non valeret per horam quiescere, ad sepulcrum cum deuotione delata, Perfectè fuit protinus liberata. ℣. Laudetur Deus gloriæ, qui Augustini meritis, mira fecit mulieri. Perfectè fuit.

Lect. III.

Die 27. quidam Guillelmus de ciuitate predicta, cum multos annos passus fuisset febrem quartanam, concepta deuotione ad merita Venerabilis Episcopi, emisso q; voto, accessit ad ejus sepulcrum, vbi deuotè orans, ex eo tempore se sensit à febre curatum. Eodem die Raynaldus de Barulo, cùm per biennium passus fuisset grauem dolorem lumborum, itaut de loco in alium locum se mouere non posset, concepta deuotione, ad sepulcrum cum reuerentia veniens, cum ibi deuotè orasset, statim ab omni dolore, & infirmitate curatus est. Die 28. ejusdem, Marcus, filius Angelæ de ciuitate S. Mariæ, habens à natiuitate sua brachium dextrum aridum, & sine vllo vsu natu-

rali,

rali, ad ſepulcrum cum deuotione delatus, & ſupra ipſum parum per procumbens, illicò cum ſanato brachio ſurrexit. Eodem die Guillelmus, filius Philippæ de Luceria, cùm à menſe Maij ſextæ Indictionis, tunc currentis, ex quadam infirmitate ſuperueniente loquendi vſum prorſus amiſiſſet, itaut nec verbum vnicum poſſet proferre, ad ſepulcrum cum deuotione accedens, ibiq; deuotè procumbens, continuò priſtinam loquendi facultatem recepit. Tu autem.

℟. *Romualda de S. Seuero, quendam habens Filium, morbo caduco laborantem, Deuotè Beatum exorauit Auguſtinum, Vt illum ſibi donaret ſanum ac liberum.* ℣. *Qui ad ejus ſepulcrum portatus, protinus ſurrexit curatus. Deuotè. Gloria. Vt illum.*

In II. Nocturno.

Ant. O populi fideles, ſcitote, quia omnium creator, ſanctum ſuum mirificauit, & ideo lumen vultus ſui ſignauit ſuper eum, dando lætitiam magnam in corde illius. Pſ. Cum inuoc.

Ant. Domine Deus, omnes, qui ſpem habent in te gloriabuntur, quoniam tu benedices eis, ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronans eos. Pſ. Verba mea.

Ant. O Domine Dominus noſter, quàm eſt laudabile nomen ſanctum tuum in toto orbe vniuerſo, quia paulominùs glorioſum ſanctum tuum ab Angelis minuiſti, honore eum decoraſti, & ſuper opera manuum tuarum conſtituiſti. Pſ. Domine Dominus noſter.

℣. *Iuſtum deduxit Dominus.*

Lect. IV.

EOdem die Margarita, soror Romanellæ de Ciuitate S. Mariæ, cœca à natiuitate, & corpore ita contracto, & curuo, vt nullo modo posset erecta incedere, sed quasi ventrem in terram protraheret, ad B. Augustini sepulcrum cum deuotione portata, cùm super ipsum paullulum oraſſet, & de ſepulcri puluere oculos abſterſiſſet, ſtatim plenè illuminata, extenſaq; & erecta ſurrexit ab vtraq; infirmitate curata. Eodem die Ioanna de Ciuitate etiam S. Mariæ, prorſus contracta, & curua, vt recta ambulare non posſet, & omninò ſurda, quæ nihil audiret, deuotè ad ſepulcrum accedens, ibiq; orans ab omni ſua infirmitate liberata eſt. Eodem die Gregorius priuignus Ioannis de Citrario, ex Ciuitate S. Mariæ, qui videndi facultatem totaliter amiſerat, emiſſo voto, quòd ad honorem B. Auſtini ſex miſſas cantari, & cereum ſuper illius ſepulcrum accendi curaret, continuò reſtituta ſibi videndi facultate, vidit. Tu autem Domine.

℟. Herricus de ſeptem Fratribus, Ciuitatis S. Mariæ habitator, magnis oppreſſus doloribus, & rarò valens aliquò pergere, Quòd eſſet toto corpore contractus. ℣. Iuxta Beati viri ſepulcrum poſitus, incolumis rediit ad propria ſuis pedibus. Quòd.

Lect. V.

IPſamet die filius Bartholomæi Macij de Apicio, qui ſeptem menſibus ambulare non poterat, habens crura omninò contracta, per parentes ad ſepulcrum deuotè portatus, priſtinæ ſtatim ſanitati reſtitutus fuit, & ambulauit vt ſanus. Eodem die Ioannes de Sanctorello, & Ballictus Mactei conis,

patientes

patientes febrem acutissimam, concepta deuotione ad B. Augustinum, dixerunt: ò vtinam haberemus paullulum pulueris sepulcri B. Augustini, quem aquæ respersum biberemus, sicq; sanitatē consequeremur: & statim, his dictis, febre cessante, perfectè senserunt, se, à qua affligebantur infirmitate, sanatos. Eodem die Romualda de S. Seuero, filium morbo caduco laborantem, qui nullis poterat remedijs liberari, ad B. Augustini sepulcrum cum deuotione portauit; qui super illud positus, post modicum surrexit perfectè curatus. Tu autem Domine.

℟. Nobilis Helena de Casali nouo, vexata semper à dœmone, qui siue hiemali, siue æstiuo tempore, rarò sinebat ipsam quiescere: Non aliquo remedio potuit liberari, donec ad sacrum tumulum fecit se portari. ℣. Mirum, & magnum prodigium, factum per Augustini suffragium. Non aliquo.

Lect. VI.

EOdem die, Ioannutius, filius Ioannis Hyppoliti Bucerij de dicta S. Mariæ Ciuitate, cum semper à natiuitate vsq; visu caruisset, ductus à Patre maxima cum deuotione ad sepulcrum, dum pergeret, clamauit, Pater dimitte me, quia benè, & clarè video, & absq; duce per me pergere possum; sicq; miraculosè redditus est sanitati. Eodem die, Flos, vxor Nicolai de Aqua nigra ex Ciuitate S. Mariæ, sengultu grauissimo laborans, cum nullo posset remedio liberari, ad sepulcrum cum deuotione profecta, ibiq; morans per horulam, statim est à sua infirmitate sanata. Eodem die Leo de Longobuco ex predicta Ciuitate, qui âMajo anni sextæ Indictionis auditum ambarum aurium prorsus amiserat, cum emisso voto ad idem sepulcrum orasset, auditum perfectè recuperauit. Tu autem Domine.

℟. Præciosa filia Guarnata, patiens in gutture dolorem

maximum, amissa loquendi potestate, appropinquabat ad mortem, sed, Cum ad sanctum sepulcrum venisset, & de ipsius terra bibisset. ℣. Statim gutturis tumor euanuit, & ipsam Dei gratia sanauit. Cum ad. Gloria. Cùm ad.

In III. Nocturno.

Ant. Beatus Augustinus, requieſcit in monte ſancto Dei, quia vixit in hoc ſæculo abſq; macula, & veritatem ſemper habuit in ore ſuo. Pſ. Domine, quis habit.

Ant. Sublimare, Domine, in potentia tua, quia gloria, & honore decoraſti Beatum Præſulem Auguſtinum, quoniam ſperauit in te, & à gratia tua nunquam eſt ſeparatus. Pſ. Domine in virtute tua.

Ant. Accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo B. Auguſtinus, qui fuit innocens manibus & mundo corde, nec in vano animam ſuam à Deo recepit. Pſ. Domini eſt terra.

℣. Iuſtus, vt palma florebit.

Lect. VII.

EOdem die, Notarius Odoriſius de Monte Odori, ex Ciuitate prædicta, cùm longo tempore ex dextera auricula nihil potuiſſet audire, accedens cum deuotione ad B. Auguſtini ſepulcrum, & nonnihil pulueris, qui erat ſuper illud, eidem auriculæ imponens, ſtatim Beati viri meritis recuperauit auditum. Die penultimo ejuſdem menſis, Henricus de ſeptem Fratribus, incola Ciuitatis S. Mariæ, qui per triennium, graues, & varios dolores paſſus fuerat in toto corpore, itaut eſſet omnino contractus: curauit ſe ad ſepulcrum deferri, vbi ab omni ſua infirmitate curatus, ſanus ad propria pedibus ſuis rediuit. Eodem

die

die, Angela, vxor Malafolÿ de Ciuitate S. Mariæ, per quadriennium malè à dœmonio vexata, ad idem ſepulcrum perfectè eſt liberata. Tu autem Domine.

℟. *Bartholomæa de Aleſina filia Seueri, quæ fuerat ſurda, atq; muta toto vitæ ſuæ tempore, Deuotione concepta, per Patrem ſuum delata eſt ad Beati Præſulis ſepulcrum.* ℣. *Poſtquàm in Eccleſia ſacri Antiſtitis ſtetit, loquens, & audiens, inde receſſit. Deuotione.*

Lect. VIII.

EOdem die, Matthæus Maccaronus de Ciuitate prædicta, cum pateretur duplicem tertianam, hauſto deuotè puluere ſepulcri cum aqua, protinus ab omni infirmitate curatus eſt. Eodẽ die Raynaldus, filius Franciſci Leonis de Ciuitate prædicta, calculo laborãs, itaut multo tẽpore liberè, & ſine dolore vrinam emittere non poſſet, ductus à matre ſua cum ingenti deuotione ad ſepulcrum, ibi emiſſa vrina abſq; dolore in magna quantitate, totaliter eſt ab infirmitate curatus. Eodem die Dopreria Helena de Caſali nouo, per viginti annos à dœmone vexata, itaut nec requieſcere, nec aliquo remedio poſſet liberari, cùm ad ſepulcrum fuiſſet deportata, ſtatim fuit ab omni vexatione liberata. Die vltimo ejuſdem menſis, Philippa, filia Nicolai de S. Germano Lucerini, cum ex vno oculo nihil videret, ad ſepulcrum per matrem ſuam cum deuotione perducta, ſtatim plenè viſum recepit. Tu autem.

℟. *Nicolaus Calaber, Ciuitatis S. Mariæ incola, triſtabatur grauiter, quod filio infirmo, ac deſperato nullum eſſet remedium, Qui in B. Auguſtinum fiſus, perſenſit auxilium.* ℣. *Nam de ſepulcro arripiens puluerem, ori infundens, erexit eum ſoſpitem. Qui in B. Auguſtinum.*

Lect. IX.

Die primo Septembris, VII. Indictionis, Mansella de Casali nouo, per multos annos grauiter à dæmonibus vexata, nullis potuit medijs liberari. Cum verò semel à viro suo ad Ecclesiam B. Mariæ de monte Olueto, viuente ad huc Beato Augustino, & in suo Lucerino Episcopatu morante, duceretur, cæperunt dæmones altis vocibus clamare, & dicere, faciet nos hinc exire Augustinus, ignorantibus, qui audierant, de quo Augustino dixissent. Mortuo deinde Beato Episcopo, & multa faciente miracula, eadem mulier à viro suo ad Beati viri sepulcrum cum fide, & deuotione est ducta. Illis igitur pergentibus, duo ex dæmonibus ad sepulcrum non præsumentes accedere, in itinere de obsessa corpore recesserunt, bouem, qui in campo pascebatur, mactantes. Cum vero ad sepulcri locũ peruenissent, tertius etiam dæmon cum maximo vlulatu exiens, mulierem liberam dimisit. Tu autem Domine.

℟. *Simon de Barulo, percussus cæcitate, poposcit à filio suo Nicolao, vt se per manum duceret ad Ecclesiam, in qua Sancti Episcopi erant reliquiæ, Vt ijs ad oculos positis, Lumen mereretur accipere.* ℣. *Respiciensq; S. Præsul ejus fidem, ac pietatem, ad reliquiarum contactum præstitit sanitatem. Vt ijs ad oculos. Gloria. Lumen.*

Ad Laudes, Antiph.

TEstimonia tua, Iesu benigne, credibilia facta sunt nimis, & ideo sancti tui meritis, Ecclesiam tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Ps. Dominus regnauit. cum reliquis.

Fideles populi gaudete in Domino, ac in lætitia magna

toto

toto cordis affectu ei seruite, quia tam preciosum thesaurum Ciuitati præbuit Lucerinæ.

Benedicamus Deo cœli in vita nostra, & semper in nomine sancto suo nostras manus leuemus, qui labiis exultationis concedat nobis laudare nomen sui Præsulis glorioſi.

Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu toto corde laudemus, qui corpus tam mirificum residere facit in Ecclesia B. Dominici Lucerinæ.

Novum canticum cantate Domino, quia semper infinita laus ejus in Ecclesia suorum sanctorum à cunctis fidelibus animo valenti decantatur.

Capitulum, vt supra.

Hymnus.

O Venerande Pontifex,
Auguſtine dulciſſime,
Audi rogantes seruulos,
Quærentes in periculo.
Aufer necis dispendia,
Confer vitæ stipendia,
Quò post carnis exilia
Tecum simus in gloria.
Te nostra sonant carmina,
Et Angelorum agmina:
℣. Justus germinabit &c.

Infernus tibi vlulat,
Fretumq. maris intonat
O Sidus maris fulgidum,
Absolue nexus criminum;
Et fletus quoq. supplicum
Immuta, dando gaudium
Laus sit parenti Domino,
Laudem canamus vnico,
Laus sit amborum flamini,
Per tempora laudabili. A.

Ad Benedictus, Antiphona.

Benedictus Deus, Rex cœlestis, qui per Beati Auguſtini Antistitis Lucerini merita, tot in terris operatus est mirabilia:

vnde lætantur Angeli, exultant Archangeli, & omnes electi, vna voce canentes, semper dicunt, gloria tibi Domine.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens, & misericors Deus, vt, qui Beati Augustini Episcopi Lucerini glorioſi solemnitatem deuotißimo celebramus officio, & temporalem nobis suis precibus tranquillitatem tribuat, & vitam conferat sempiternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum. &c.

Exemplar hujus officij extractum ex vetuſto originali, quod antiquo pergameno ſeruatur in archiuo Conventus S. Dominici Vrbis Lucerinæ, fideliter collationatum per Abbatem Carolum Strangiam, Ordinarium Actuarium, & publicum Apoſtolica authoritate Notarium Epiſcopalis Curiæ Lucerinæ, obtinuit, & tranſmiſit mihi Admodum Reverendus Pater Frater Dominicus Gravina, S. Theol. Mag. Regiæ Cathedræ The. in Vniverſitate Neap. moderator, Archiepiſcopalis Curiæ The. & S. Off. Conſultor, anno 1636. Pauca alicubi verba, quæ, propter Italicum idiotiſmum, vulgò non intelligerentur, immutata; ſententia fideliter retenta.

De Beato Mauritio Hungaro, qui obijt anno Christi 1336.

CAPVT DECIMVMNONVM.

B. Mauritij regium genus: ortusq; ejus à B. Virg. Deip prænunciatus.

BEatus Mauritius, Hungarus, Ordinis Prædicatorum institutum professus, genus è Pannoniæ Regibu, sjuxta authores, quos infra citabimus, duxit. Pater illi Demetrius Banus, ex Chak nobilissima familia: ipsiusq; futura magnitudo, à Beatissima Deiparente fuit prænunciata. Cum enim mater illius, jam quatuor menses prægnans, diuturna febri vexaretur, adeò vt de valetudine desperaret, appropinquante postmodum tempore pariendi, in somnis vidit quandam in veste candidissima, forma præcellenti matronam, quæ blandiore oratione metum illi omnem mortis ademit, & bono animo esse jussit; fore prænuncians, vt filium pareret, sanctitate, quàm genere, magis illustrem. Memor tantum esset, hora partus imminente, signo salutiferæ crucis pectus suum communire, ac dicere: *Succurrat tibi Virgo, fœlix Christi Mater, ex cujus vtero Vnigenitus æterni Patris Filius prodijt.* Addidit, vt Angelicam salutationem sæpius proferret, ac identidem signum Crucis pectori imprimeret, & propterea mortẽ ampliùs neformidaret, ac filium

nasciturum

naſciturum expectaret, qui Deo, & hominibus, futuram propter ſanctitatem, charus foret. Cæterum ſe eſſe Dei Genitricem, quæ loqueretur, & futura prædiceret, certo certiùs cognoſceret.

CAPVT VIGESIMVM.

Indoles ſtudia, Prædicatoriæq; Religionis amplexus.

NAtus infans, totos tres annos febricitauit, ſed poſtmodum Dei beneficio conualuit. Puer, cum decimum annum attigiſſet, ſecutura magnitudinis ſigna non incerta dedit: ſi quidem in puero ſenem agens, non ſe colludentibus æqualibus, ut illa fert ætas, commiſcebat, neq; aliquid puerile cogitabat. Sed, vbi quies erat à ſtudijs, aut orationibus vacabat; aut à ſanctis viris, ædes paternas frequẽtantibus, vitas ſanctorum audiebat; perquè exempla eorum incredibili conatu ad ſummam virtutem contendebat. Intra paternam domum penitius quoddam cubiculum ſibi delegerat, in quo pulcherrimè exornato aram extruxerat, & ibi cum æqualibus, ſacra, quæ in templis celebrari conſpexerat, vt vt poterat, imitabatur. Præter has hymnodias, catechiſtæ munus præſumens, pueros bonis moribus imbuebat, eoſq; ad æternæ vitæ deſiderium inflammabat. Aliquando Diui Dominici ſodalem in ædibus paternis nactus, ſummis precibus, vt vitam alicujus ſancti ab eo audiret, flagitauit. Recitauit ille actiones D. Alexij: à cujus exemplo tantum ardorem ignis diuinioris concepit, vt de relin-

quendo

quendo ſæculari ſtatu, & de Religione aliqua ineunda jam tum cogitarit. Iſtud porrò, ne dùm faceret, multi amicorum, & conſanguineorum obfuerunt, matrimonijq; jugo ſubdiderunt, data ei in conjugium virgine lectiſſima, Amadei Hungariæ Palatini filia. Iſtud matrimonium, quod invitus iniuiſſet, deferere cogitauit: tantumq; apud ſponſam ſanctis perſuaſionibus promouit, vt & illa quoq; cœleſtium amore ſuccenſa, monaſterio in inſula Danubij ſeſe indiderit, poteſtatemq; Mauritio dederit religioſum inſtitutum profitendi. Ita ambo, triennio in conjugio peracto, contemptis, quas poſſidebant, opibus, Budæ in inſula Danubij, Chriſtum pauperem inopes ſecuti, Divi P. Dominici Religionem amplexi ſunt anno Dom. 1306.

Sciuit hoc generi conſilium ſocer, & ingenti dolore, & iracundia percitus, Ladislaum Vernerum, Budenſem judicem rogauit, vt Mauritium veſte monaſtica exueret, & ad matrimonij conſuetudinẽ reuerti compelleret, vel renitentem in uincula conijceret, neq; priùs inde egredi ſineret, quàm ſe obtemperaturum ſibi promitteret. Detruſus in carcerem profundiſſimũ, nullis precibus, aut minis potuit impelli, vt Divi Dominici veſtem, & cultum abijceret. Quamobrem perſpectâ illius in ſancto propoſito conſtantia, vinculis emiſſus, & Bononiam, à Patribus, ne quid adverſi iterũ emergeret, ſubuerentibus, tranſmiſſus, apud Beatiſſimi P. Dominici ſepulcrum ſummam perfectionis in magna ſpiritus tranquillitate conſecutus eſt: poſt triennium autem ab ijſdem ipſis patribus, qui illum in Italiam miſerant, reuocatus eſt in Hungariam.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Virtutes illius, & exercitia.

IN primis maximè ſtudebat, vt monaſticis legibus exactiſſimè ſatisfaceret, nihilq; omitteret, quod ad perfectam vivendi normam pertineret. Deinde illud Chriſti Redemptoris conſilium, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, aſſiduè in memoriam revocans, mira manſuetudine, & ſui contemptu eminere conabatur. Nihil erat illius oratione ſubmiſſius, nihil veſtitu abjectius. Veſtes meliores ſibi à Præfecto Cœnobij oblatas, tritis, & pannoſioribus commutabat. Cilicinam aſperrimam perpetuò geſtabat, per hyemis rigores vnam leviſſimam mortificandæ carni induebat. Nemo iratum, aut aliqua affectione inordinata commotum vidit. Nemo friuola, aut ridicula ex ejus ore audiuit, neminem talia ſe coràm loqui permiſit, quòd diceret, *rationem eſſe Deo reddendam de omni verbo otioſo*. Orationum ſtudio, dies, noctesq; incumbebat: præſcriptos modos orandi nunquàm intermittebat. Ad matutinas preces primus omnium ſurgebat: ijs abſolutis, in templo flens vbertim pernoctabat. In templo, cella, aut vbicumq; eſſet, voce, vel corde Deum exorabat. Venerabilem Euchariſtiam maxima devotione venerabatur, &, vt ante eam perpetuo lucerna luceret, oleũ oſtiatĩ emendicabat. Pſalteriũ Davidicũ quotidie, vel ſaltem quinquies in hebdomada, integrè recitabat. Præter hoc, ſeptem Pſal-

Mat. c. 11.

Mat. c. 12.

mos,

mos, quos à pœnitentia, & alios, quos à gradibus appellant, nec non officium pro defunctis, ac litanias in singulos dies adijciebat. Duris tremendisq; flagellis corpus cædebat; humi prostratus, sua, aliorumq; peccata amarissimè deflebat. Carnes, totis triginta annis, quibus in Religione vixit, nunquam esitauit. Iejunium continuum à festo exaltationis sanctæ Crucis vsq; ad Christi resurrectionem perpetuò seruauit. Cibos quotidianos sibi detrahebat, & Superiore permittente, pauperibus dividebat. Voluntaria etiam jejunia jejunijs continuabat, sed præcipuè feria sexta Passioni Dominicæ dedicata, vix ad panem legumina adhibens, corpus inedia macerabat. Conciliandis discordibus, & consolandis mœrentibus ingenti cum fructu incumbebat: neq; tantus erat cujusquam mœror, aut ægritudo, quam ille non leniret, aut leuaret. Non minore quoq; studio, & charitate ægrotantes vbiq; existentes subleuabat, eosq; ad patientiam, dolores, & molestias, exemplis sanctorum, & Christi Domini animabat, & alia pietatis exercitia faciebat. Culinæ, Refectorij, Valetudinarij, Sacristiæq; ministris magna cùm sollicitudine, tùm alacritate inseruiebat: nihil (quanquam adeò præclaro stemmate ortus) se feciſſe arbitratus, nisi ex præscripto Apostolico, *subjectus esset omni humanæ creaturæ propter Deum*; exemplo Christi Domini omnibus ministraret, & vsquequaquè humiliaretur, vt denique juxta ejusdem Redemptoris promissa æterna mereretur felicitate exaltari. 1. Pet. 2.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Miracula, quibus illum Deus viuentem decorauit.

SAnctitatem porrò vitæ, miraculis illustrauit. Aliquando januis clausis, domo quadam exivit, & Ecclesiam clausis item foribus intrauit. Hospitio diverterat apud Benedictum virum probum, in loco, qui dicitur Vacium, juxta Danubium. Ibi hospes, exploraturus quid nocte concubia Mauritius ageret, cubiculum ingressus, minimè reperit. Mòx vniversa domo perlustrata, januam clausam, & claui obfirmatam cum inveniffet, Mauritium autem nuspiam videret, ratus id, quod erat, ad templũ stupore plenus perrexit, indidemq́; orantem cum comite aspexit: atq́; à Sacerdote, clauso ostio templi introiuisse didicit, cum is affirmaret, ea nocte nemini aperuisse Ecclesiam, quam obseratam custodiuit. Alia quoq́; nocte ante gallicinium Mauritius in templo impensiùs orabat. Iacebat tunc fortè ibidem in feretro aliquis mortuus summo mane sepeliendus. Hunc Satan, vt Mauritium orantem perterrefaceret, adeò commouit, vt is surgere, & è feretro egredi cerneretur. Cœterùm Mauritius, tantùm abest, vt timeret, vt etiam intrepidè ad loculum accesserit, & signo Crucis munitus, per Iesu Christi venerandum nomen mortuo imperauerit, ne se, quisquis esset, ampliùs moveret, aut è feretro egredi tentaret. Paruit defunctus, & requieuit: Mauritius autem callidi hostis tunc fuisse eas insidias animadvertit. Aliquando ad

Prouinciale Capitulum multi Patrum sui Ordinis, etiam ex alienis Prouincijs conuenerant. Interfuit inter eos Fr. Paulus, Cracouiensis Lector, sed qui paulò post in febrem acutissimam inciderat. Is, quòd vlla arte medicorum flammam ardentissimam extinguere, aut temperare nequiret, Mauritium, qui decumbenti ministrabat, impensiùs obsecrauit, vt aquam illi ex proximo puteo ad abluendas fauces exustas adferret. Allatam ille, infirmo rogante, signo Crucis benedixit, & Paulo æstuanti porrexit. Hanc statim atq; Paulus hausit, repentè conualuit. Spiritu etiam prophetiæ clarus fuit. Narrant Regē Hungariæ, aliqua bona ab illo, eo tempore, quo monasterium ingrediebatur, sanctimonialibus in Insula Danubij relicta, occupasse, inq; suos vsus conuertisse. Obsecrabat illū Mauritius, ne res semel Deo dicatas detineret, sed Christi Virginib⁹ restitueret. Repugnabat ille: cùmq; ei Mauritius citam infra sex mensis mortem prædixisset, euenit, quod prænunciauerat: atq; is serò facti pœnitens, filijs, vt erepta Monialibus restituerent, præcepit. Sed ad narrationem istam nonnulla deinde annotabimus.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Pretiosa mors B. Mauritij prodigijs, visionibus, miraculisq; illustrata.

His, & alijs plurimis admirandis cum Mauritius clarus esset, tandem cursu vitæ consummato, ex hac vita Iaurini decessit, paucis ante solem-

nitatem

nitatem Paſchalem diebus, menſe Martio, anno Chriſti 1336. Cum ei Nicolaus Iaurienſis Epiſcopus, toto populo, qui confluxerat, aſtante, juſta in Eccleſia perſolueret, & ſacratiſſimum Chriſti corpus, accenſis de more funalibus, ſublatum manibus, inter ſacrificandum populo oſtenderet, omnibus cernentibus, ſanctum illud cadauer, oculos, inſpectandæ ſacræ hoſtiæ gratia, traditur aperuiſſe, idemq; feciſſe, cum Pontifex Calicem conſecratum ſuſtuliſſet: ac tùm demùm oculos clauſiſſe. Tanta etiam odoris fragrantia ex ejus membris emanauit, vt mirifica ſuauitate omnium nares repleverit. Prior Prouincialis monaſteriorum Hungariæ, cùm Budæ in Eccleſia poſt matutinum officium oraret, Mauritium vidit in veſte ſui Ordinis candidiſſima venientem. Quem cũ interrogaſſet, mortuus ne eſſet, an viveret; mortuus equidem ſum, inquit, quod ad corpus attinet: ſed nunc vitam ago longe fœliciorem: periculum tamen moriens adiui per maximum, à quo me clemens, & miſericors Deus exemit. Hiſq; dictis, diſparuit. Quidam oculis captus, ſpei plenus ad ſepulcrum B. viri acceſſerat: ex quo cum nonnihil terræ deſumpſiſſet, & oculos cœcutientes perfricuiſſet, lumen aſpexit, & viſum recepit. Plurima alia miracula, per interceſſionem Beati Mauritij Deus operatus eſt, ad oſtendendum, quod ille mirabilis eſt in ſanctis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Quæ in vnum collecta, ſcriptiſq; conſignata, ad Capitulum Generale Ferrariæ, ad B. P. Dominici, anno Chriſti 1494. ſub Fr. Ioachimo Turriano, Veneto, 35. Ord. Prædicatorum Generali Magiſtro celebratum, Plodio teſte, delata fuerunt.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Annotationes ad vitam B. Mauritij.

BEati Mauritij vitam scripsere, Marcus Antonius Flaminius apud Leandrum, Ferdinandus de Castillo, Plodius, Bzovius in annali. Eccles. ad annum 1336. Seraphinus Ractius lib. de sanctis, & B. Ord. Præd. alijquè, qui omnes tradunt eum ex Regia Hungariæ stirpe propagatum.

Leand. l. 5. f. 117. Castill. cent. 2. Plod. de Vir. illust. l. 1. à col. 142. Bzov. to. 14. a. 1336.

In Indiculo ad Martyrologium Ord. sub Clemente octavo, de eo sic habetur Tit. de Viris Beatis confessoribus. *Fr. Mauritius Hungarus, nobilissimo Regum sanguine ortus, cùm tres annos cum vxore per sanctè vixisset, consensu mutuo, illa in monasterio sacrarum Virginum, ipse in Prædicatorum Religionem se recepit, tantosq; in virtutibus progressus fecit, vt miraculis illustris, in Hungaria pro Beato colatur.*

Meminit illius Thomas Bozius Oratorij Præsbyter, opere illo insigni de signis Ecclesiæ lib. 15. cap. 5. *Mauritius*, inquit, *Pannonius, & Comes ejus, ex Ord. S. Dominici, domo, in qua hospitabatur, clausa egressus, templũ simili modo obseratũ peruasit. Id accidit in Vachis oppido, ad ripã Danubij posito.*

Narratio illa de prænunciata à Beato Mauritio Regi Hungariæ morte ob bonorum Ecclesiasticorum contemptam restitutionem, difficultates patitur. primò, quia Flaminius, & post illum Plodius, Regem illum Nicolaum vocant. id enim verum esse non potest, cùm neq; B. viri seculo, neq; unquam aliàs ex Hungariæ Regibus vllus

exiterit,

extiterit, cui Nicolao nomen, vt ex vniuersis Hungaricarum rerum scriptoribus est manifestum. Quare consultiùs Abraham Bzovius nomen Regis omisit. Secundò, quia facile non fuerit cernere, cuinam Regi ea narratio conveniat. Neq; enim videtur esse potuisse Carolus Robertus, sive CarloBertus, qui anno 1310. regnum capessiuit; nam is decessit anno 1342. sex nimirum annis à B. Mauritij morte, adeoq; esse non potuit, cui prædictum sit à B. viro, post semestre moriturum. neq; etiam quisquam Regum præcedentium, exquo B. Mauritius Ord. fuit ingressus, an. sc. 1306. non enim VVenceslaus, sive Ladislaus, VVenceslai Regis Boemiæ filius, aut Otho Bavariæ Dux; qui non mortui Reges, sed Regno exploſi: neq; filios post se reliquerunt, quippiam in Hungaria possidentes.

Tertiò, quia ex literis quibusdam Capituli Jaurienſis, insinuatur quidem agitatam esse causam de bonis B. Mauritij, à Comite Nicolao Peck, proximo, & cognato ejus possessis: sed in ijs plana est attestatio ipsius B. Mauritij, ea se de assensu, & permissione sui Ordinis eidem Comiti renunciasse; nisi quis putet eas litteras ab injusto detentore fuisse confictas. literarũ exemplar est hujusmodi.

Capitulum Jaurienſis Ecclesiæ, omnibus Christi fidelibus præsentibus pariter & futuris, præsentes literas inspecturis, salutem in Dom. semp. Ad vniuersorum notitiam, harum serie, volumus peruenire, quòd Religiosus, & Deo amabilis vir, Frater Mauritius, filius quondam Demetrij Bani, de genere Chak bonæ memoriæ, de Ord. FF. Prædicatorum, de Conuentu Jauriensi, coram nobis personaliter constitutus, quasdam possessiones suas hæreditarias, videlicet Kamar, & Golumbuk in comitatu

Saladiensi

Saladienſi exiſtentes, confeſſus eſt, Comiti Nicolao, filio Stephani, de genere Peek, proximo, & cognato ſuo dediſſe, donaſſe, & contuliſſe, eo modo, quo ipſe, & genitores ſui ex donatione Ladislai, Dei gratia, Sereniſſ. Regis Hungariæ, prout in literis priuilegialibus ejuſdem vidimus plenius contineri, dignoſcuntur poſſediſſe, cum omnibus vtilitatibus, & pertinentijs vniverſis, quocumq; nomine cenſeantur, perpetuò, pacificè, & quietè poſſidendas, tenendas, & habendas hæredum per hæredes, de conſenſu Ordinis ſui antedicti, & admiſſione. literas etiam, ſiue inſtrumenta, quibus mediantibus ipſas poſſeſſiones, ipſe, & ſui Progenitores poſſederunt, in manus ante dicti Comitis affirmauit ea aſſignaſſe. In cujusrei memoriam, & perpetuam firmitatem, præſentes conceſſimus literas, ſigilli noſtri autentici munimine roboratas. Anno Dom. 1331. Magiſtris, Brictio Præpoſito, Matthia Lectore, Georgio Cantore, & Petro Cuſtode, cæteriſq; Fratribus Eccleſiæ noſtræ exiſtentibus.

Ex Archiuo Banffiano, Illuſtriſſimi Comitis, & Magiſtri Tavernicorum, D. Chriſtophori Banffij fideliter à ſe exceptas, R. P. Iacobus Nemethi, Soc. Ieſu, amicè mihi communicacauit hoc anno 1636. die 26. Octobris, in Colleg. Soc. Ieſu, Poſonij.

Familia Chakiana, è qua ortus B. Mauritius, germanuſq; ejus Charus, de quo proximè dicemus, etiam hiſce temporibus eſt in Hungaria longè ſpectabilis, & magnifica; viriſq; pietate, fortitudine, prudentia, fide, & omni virtute præſtantibus cumulata.

De Fratre Charo, siue Carolo Hungaro. floruit ad 1336. Christi annum.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Plod. l. 1. de V. Ill. col. 244.

DE hoc ita ex Ambrosio Taegio, & Hieronymo Borsello scribit Plodius. *Germanus fuit Beato Mauritio, qui etiam Prædicatorij Ordinis sacro habitu susceptо, Frater Char, siue Charus, vocatus est. Is Virginalis puritatis florem, Deo ab ineunte ætate deuouit, quem illæsum, ac virentem (vt fideli Confessariorum illius testimonio comprobatum fuit) ad obitum vsq; custodiuit. Sanctissimè planè vixit, humilis, mitis, patiens, spiritu feruens, in oratioue assiduus. Qui demiq;, cum Laurini, mortalitatis nexibus magna opinione sanctitatis absolutus, ad cœlestem patriam euolasset: corpus ejus in templo Ordinis, loco eminentiore juxta majus altare, solemni pompa tumulo illatum fuit. Floruit circiter annum Christi 1336. paulò ante, vel postea.*

Porrò dolendum sumopere est, quòd tàm istius, quàm Fratris ejus B. Mauritij sacra ossa vnà cum templo, & cœnobio, siue ex irruptione Turcarum, & occupatione Vrbis Iaurienſis, siue ex incendio propter in curiam militis cujusdam an. Dom. 1566. excitatum, quo vniuersæ domus, & sacræ Ædes, præter Cathedralē, conflagrarunt, ita perierint, vt neq; quo extaret loco cœnobiū nostrū, dicere possint ejusdem Vrbis inquilini. Dominus Stephanus Sennyei, Episcopus Iaurienſis, Regniq; Hungariæ Cancel-

larius,

larius, magnus Ordinis N. amicus, & Patronus, an. 1635. (quo etiam ad fœlicitatem, euolauit, vt par est credere, pro eximia, qua inter mortales vixit integritate, & pietate) dolebat se nihil de sacris illis, Beati cumprimis Mauritij, reliquijs inuestigare potuisse: addebatq; si speraret quippiam ex eis reperiri posse, totum etiam illius Vrbis solum euerti curaturum. Viuat Præsul Illustrissimus Felix cum sanctis in Cœlis, qui fuit in sanctos pijssimus; adeò vt etiam Iaurino, pedes, per multa milliaria, Sabariam, ad natale solum Sancti Martini Turonensis Episcopi, pro eius celebranda festiuitate, summo exemplo, cum innumera hominum vtriusq; sexus multitudine peregrinari soleret. Optandum, vt diutiùs vir tantus vitam duxisset, ne plures relinqueret desolatos. Erat enim *pater Patriæ, vigilans pastor, curator animarum, & Ecclesiarum, adjutor Pauperum, tutor viduarum, defensor pupillorum, & in omnibus Deo, & hominibus placere studens, magnæq; pietatis in Hungaria propagator*: vt Reverendiss. D. Benedictus Vinkovith, Quinque Ecclesiensis Episcopus, in ejus, quæ fuit anno 1635. 9. cal. Septembris, morte deflebat.

Epistola ad R. A. D. Michaelē Kaldi Parochum Sopron.

B. Ioannis Dominici gesta, quæ jam daturi sumus, scripsere S. Antoninus Archiep. 3. p. hist. tit. 22. c. 5. & tit. 23. c. 11. § 3. Ioannes Carolus, apud Leand. li. 3. Castil. Cent. 2. l. 2. cap. vlt. Alphonsus Ciacconus in Gregorio 12. Plodius p. 1. de Viris Ill. li. 1. à col. 124. & li. 4. à 574. & p. 2. l. 3. col. 10. Bzovius ad annum 1418. è quibus omnibus, cum primis vero ex Ioan. Carolo, qui non copiosè minus, quàm ornatè, ea stilo consignauit, eadem sine mora præbemus.

De Beato Joanne Dominici Florentino, Archiepiscopo Raguisno, & S. R. E. Cardinali, qui Legatus de Latere in Hungariam, Budæ mortuus, ac sepultus anno Christi 1418. miraculis ibi claruit.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Ortus, & educatio B. Ioannis Dominici.

IOannes Dominici Florentinus, Romanæ Provinciæ, Patrem habuit Dominicum, à quo Dominici cognomentum sortitus est, virum quidem popularem, suo tamen in genere clarum: maternum verò genus à populari item fœmina, & eadem pudicissima duxit. Neq; verò molli nimium, aut delicata educatione enutritus creuit: sed, vt illis accidere solet, qui operibus manuum, laboreq; victum sibi acquirere consueverunt, necessaria adhibentes, rejectisq; deliciarum superfluitatibus, rem suam agere diligentissimè curant: tametsi in Dei timore, ac pietate pio parentum studio, ac diligentia institutus est. Ad potiora siquidem, longèq; majora, puàm illa ipsa paternæ domus fortuna requireret, divina bonitate vocatus, non ea debuerat mollicie educari, vt labores, quos esset pro Domino toleraturus, illis delitijs refugiendos putaret, aut certè in perferendis illis infirmior appareret: sed apprimè in his educatus re-

rum

rum difficultatibus, ad majora ſemper ex his videretur evocari diſcrimina. Ita perfectò & in Moyſe viro illo ſanctiſſimo geſtum accepimus, qui cùm multa, & longè maxima pro divina eſſet voluntate facturus, in ſummo vitæ timore ortus, clàm enutritus, deinde fiſcellæ, & aquis commendatus, hæc ſuæ natiuitatis primordia eſt ſortitus. Davidem quoq́; acceptiſſimum Deo virum, paſtoralis cura enutriuit primũ, deinde regalis inuidia, mortiſq́; expectatio diuturna, periculorũq́; infinita depreſſio, currentẽ hominẽ plurib⁹ retinuere annis, quoad regni faſtigia, poſt talia, tantaq́; rerum omnium volumina perveniret, vt etiam euadendi gratia ſtultitiã ſimulare illi fuerit opportunum, Dei ſic providentia diſponente. Ita ergò & Ioanni Dominico noſtro, quem miſeratio ipſa diuina ad res magnas, & graues vocarat, evenire operæ pretium fuit, ne tanquam novus, ſed exercitatus, longèq́; expertus in acie videretur; nec ad primos congreſſus pedem omnino vt timidus, aut delicatus, inaniſq́; referret, ſed, vt athleta fortiſſimus, hoſtium cuneos innato quodam robore ſecuriùs penetraret. Nihil tamen nato infanti defuit, nec toto illo tempore, quo apud Parentes verſatus eſt, quopiam caruit, quod condicioni, & fortunis ſuis conveniret.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

Studia illius, & operationes.

VT primùm verò eam attigit ætatem, quæ optimis poſſet moribus informari, quaue parentibus poſſet aliqua ſua opera, auxilio, & adju-

mento

mento fore, mòx ad eas artes conceſſit, quæ vtriſq; videbantur quam maximè profuturæ, quibus victum & ſibi, & alijs pro facultate ſubminiſtraret. Cœterùm licet parentibus ille deuotiſſimè obtemperaret, magis tamen, voluptuoſiùs, & ſolertiori quodam ſtudio circa ea obuoluebat loca, quæ viderentur ad religionem, & pietatem proximiora fore; diuturnoq; opere expleto, nunquam animo quieuiſſet, quin ad Eccleſias ſe conferret, pia vota ſua Domino ſoluturus. Faſtidire quidem jam incipiebat animo quicquid mundanum illi ante oculos obtigiſſet. Inſignibus verò, feſtiſq; diebus, adoleſcentium, ſeu puerorum ſocietates, & confraternitates, perfectis primùm diuinis laudibus, ſtudioſiſſimè viſitabat, illaſq; eorum ceremonias, nihil prætermittens omninò, diligentiùs obſeruabat. Si quid verò temporis ſuperfuiſſet, iterum divinis rebus id totum tribuere properabat. Opperiebantur autē nonnunquam illum parentes domi, cùm ille cibi, ac potus, domuſq; paternæ obliuione concepta, nec neceſſarij quoq; victus curam gerere videretur, ſed ita in his abſorptus, vt in omnibus jã illa opinio eſſet, eum breui religionem eſſe petiturum. Quare parentes ejus, ob filij charitatem, non nihil doloris, & anxietatis aſſumpſerant, cernentes omnium ſententia tanto filio ſe quantotiùs eſſe priuandos. Maximè autem Prædicatorum Eccleſiam frequentabat, ibiq; cupidiſſimè diuinis rebus intendens non ante redibat domum, quàm in Veſperam dies inclinaſſet. Erat enim domus illa florentiſſima tùm virorum excellentia, tùm religionis ſanctimonia, literarumq; multa peritia. Quo circa in ea tanta devotione

verſabatur,

verſabatur, vt, qui Ioannem voluiſſet, haud alibi frequentiùs, quàm apud Prædicatorum domum inveniſſet. Vnde & proverbio cautum apud parentes erat, cum quis Ioannem poſtulaſſet, *vbi credis hominem faciliùs, quàm apud Prædicatorum familiam inuenire? ibi diuturnas orationes agit, noſtri penè oblitus.* Quaſi verò jam præſagiret animo ſe ad altiora vocatum, ſæcularibus illis exercitationibus nulla ratione intendere videbatur mente, ac ſi noſtri Salvatoris ſententiam didiciſſet: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in æternam vitam.* Proinde vbicunq; Verbum Domini prædicari audiuiſſet, illò ſe conferebat tanto ſtudio, vt nonnunquam veluti ſtupidum homines accuſarent; negligentem, deſidem, temporis amiſſorem, ac propemodùm vecordem puerum vocitantes. Cæterum illa, quæ videbatur ſegnities in rebus mundi agendis, non ex vitio, ſed ex virtute internæ contemplationis prodibat, non quòd operari renueret, ſed quòd ea, quæ ipſi proponebantur, illi opera non placerent. Neq; verò hoc ignorauêre parentes, cum aliàs ſolertiſſimus eſſet, ſed eius ſtudia cognoſcentes, ita vtebantur eo, ac ſi jam pridem filium amiſiſſent. Quippè nec contriſtare illum, quem tenerrimè diligebant, vlla ratione volentes, quandoquidem nulli vitio videbatur obnoxius, putabant ea non ob negligentiam ab eo fieri, ſed propter tædium ſæculariũ rerum, illa ipſa vita tùm quidem ſibi inſtituiſſe. Nam & ſocietatibus optimis delectabatur plurimum, ſemperq; cum his verſari, quorum fieret virtute melior, & deuotione præſtantior. Itaq; nemo ſibi perſuadere poterat, eum abſq; aliqua alia majori virtute, & gratia, tali pacto vitam con- *Io. 6.*

ducere.

ducere. Verba præterea eius his faciebant fidem, & ſpem optimam promittebant, cum eſſent grauia, opportunè prolata, deuotioniſq; & ſanctitatis plena. Igitur deinceps nihil ſibi negabatur domi, ad nullas verò res cogebatur, niſi ad quas neceſſitas compuliſſet. Parentibus quidem ita erat obtemperans, vt non multum eis laborandum eſſet, cum quid eum facere, vel dicere decreuiſſent. Paucis verò in rebus illi moleſtias inferebant, animadvertentes eum ſecretioribus horis quibuſdam orationibus, quas materno ſtudio didiciſſet domi, deditiorem eſſe, quàm in omnibus alijs rebus. Porrò conuicinis, & coætaneis ſuis ita erat acceptus, & charus, vt cum quid eis temporis vacaret, Ioannem Dominici filium avidiſſimè convenirent.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Ingreſſus in Ordinem Prædicatorum.

CVm ergo jam dudum in animo ſtatuiſſet religionis ingreſſum, ad nullam aliam quàm ad noſtram videbatur eſſe propenſior, cum & in ea proſpiceret viros, & ſpiritus feruore, & carnis nobilitate præcipuos, ac præterea peculiari quodam ad noſtros vocaretur affectu, quòd & conuicinis, & ſuorum apud nos haberentur ſepulchra peruetuſta majorũ, quare tandem Prædicatorum habitum annos jam 18. natus à patribus poſtulauit. Intuitus autem adoleſcentem is, qui tunc Prior erat, quid cauſſæ foret tunc percunctatus eſt, cur is, qui jam parentibus plurimo poſſet eſſe præ-

ſidio,

sidio, & auxilio, eos ita relinqueret: Eorum illum senectæ miserereri debuisse, ac præterea, quantis, si eos relinqueret, angoribus, & difficultatibus facto isto compleret. Ille verò, *longè plura Deo quàm parentibus, animæ quàm corpori se debere* reposuit; quocirca, vt reciperetur, supplicitèr postulare. Cujus propositi firmitate perceptâ, se quidem morem illi gesturum respondit: cæterùm hoc sine Patrum consensu fieri vlla ratione non posse, se verò pro eo cum Patribus verba facturum. Iret interea, & secum omnia diligentiùs cogitaret, examinatisq; omnibus, parentum, si fieri posset, veniam postularet; eorum, si id feciſſet beneplacito, omnia meliùs & quietiùs proventura. Relata igitur hac postulatione ad Patres, varia fuit inter eos sententia. Erat quidem jam pridem notus ferè omnibus; & hi quidem annuendum putabant adolescenti, neq; reijciendum esse, qui ad seruiendum Deo veniret, omninò judicabant: alij verò aut supersedendum, aut negandum censebant penitùs. Eorum autem hæ rationes fuerunt. *Rudem adolescentem, & quamuis bonum, ineptum tamen, & inertem fore, omnes à diù hominem cognouisse. Otio verò satis deditum, & qui nonnisi in Ecclesijs versaretur terendo tempus: Videri ex his posse, laboris fugiendi gratiâ potiùs, quàm deuotione moueri. Præterea jam satis prouectæ ætatis esse, omninò literis esse ineptum, scire se, & id ex eo audisse, eum prima etiam elementa ignorare. Quiq; ferè annos sit 20. natus, quid de illo facturi sint ignorare: satis laycorum, & rudium hominum domi esse. Posse verò desiderio suo satisfacere in aliqua alia religione, quæ ita literarum peritiam non requirat, vt nostra.* Ad hæc adijcebant, *nostram religionem à prædica-*

tionis officio Prædicatorum vocari ; Hic verò cùm impeditioris sit linguæ, ac balbutientis, vt nostis omnes, & experimento probare potestis, quid tandem ejus consortio indigemus ? Quare omninò ad aliam religionem properet, suadendum illi ; vtilior sit, & ad singula religionis munera aptior, quàm esset in nostra: idq; demùm sibi videri. Erant autem in eo collegio excellentes viri nobilitate carnis, & scientiâ clari: Quos inter vnus erat, ex quo omnium pendebat sententia. Hic, annuentibus cunctis vt diceret, vt erat vir eloquentia, & grauitate insignis, in hunc ferè modum locutus est. *Ego quidem Patres, ac Fratres mei, frequenter in hoc collegio nostro fui, deq; varijs rebus & verba feci, & alias sententias præclaras audiui, quibus vehementer delectatus sum: Nunc autem videtur mihi, non religiosorum, at sæcularium, vel potiùs gentilium more (pace omnium dixerim) in hac ipsa re, quam tractamus, de futuris euentibus augurari velimus ; tanquam in nostra sit positum potestate, hominum mores bonos vel malos efficere. Et quamuis existimem, eos, qui hunc adolescentem reijciendum putant, bono quodam & sincero Zelo moueri: hebetioris tamen visus esse noscuntur, qui mala vel bona, quæ circa eos posita sunt, intuentur solùm, à longioribus verò aciem sui aspectus remouendam putant. Vtq; hoc vitiosum esse certò scimus, ita de futuris nimiùm præsagire velle, præsumptuosum, ac summa vituperatione dignum, in religioso præsertim, existimo. Itaq; in hoc reijciendo adolescente magnoperè animaduertendum censeo, ne volentibus nobis domui nostræ proficere, ac sapientes, & & prudentes videri, diuinam gratiam negligamus, quam suadet Apostolus nequaquam in vanum recipiendam esse. Lubrica quidem Dei gratia est, tumq; verò capitur, cum aduenit: haud*

in nostra est potestate eam reuocare, cum semel abjerit. Generosi quidem cùm sit animi, nequaquam, semel abjecta, citò regreditur: Sed differt, vt melior his, qui eam efflagitant, videatur. Hic ergò adolescens nonnisi diuinâ gratia illustratus ad nos hodie se contulisse putandus est; quam nos ei nulla ratione negare debemus, quandoquidem illam Deus ei condonare dignatur. Quales enim sumus nos, cujusuè meriti, vt diuinas illustrationes metiri, aut dijudicare velimus? An ignoras Diuinorum judiciorum rationem inexplicabilem esse, attingi quidem aliquo modo posse, comprehendi nunc omninò impossibile fore? Præsumptuosi hominis est, & diuina minimè sapientis, altiora se quæsitum ire. At desidem juuenem, semperq; in Ecclesijs obuersantem, negligentiæ deditum, respuendum censemus. Sed & bonum etiam paulò superiùs dicebatis. Qui in templo libenter moratur, nulla ratione accusandus est. Quid enim diceretis, si in platea, si in foro, si in ludis, & ganeis, sicq; in alijs hujusce modi locis fuisse versatum sciretis? Negligentiam verò fugere, non optare videtur, qui religionem ingredi curat, nisi vos omnes negligentes, aut desides vestrâ sententia faciatis. Sunt certè nobis permulta exercitia, quàmmaxima occupationes, plurimi variiq; conflictus, quibus ne morula quidem, si modò religiosi verè esse velimus, vacandum nobis profectò sit. Sed rudis, & omnino ignarus est. Creditis Patres abbreuiatam manum domini esse, vt non possit ex his lapidibus (vt ita dixerim) filios Abrahæ suscitare? Nonne & Dauidem ex pascuis, & Moysen, & Amos ex omnibus penè elegit Dominus? Neq; enim, ajebat Apostolus, fortia & nobilia, sed ignobilia & contemptibilia elegit Deus, vt fortiora & robustiora confunderet, ne glorietur omnis caro coràm illo. Quo circa videte ne Spiritui Sancto re-

sistatis, quia vbi vult spirat, vocem eius audis, nescis autem vnde veniat, aut quò vadat. Quòd si bonus vestrâ sententia est, bonum qui renuit, non satis animo, & mente consistit. Ex sua namq; natura, bonum nunquam (teste Philosopho) sui appetitum abÿcit. Quare infectus appetitus est, qui non solùm non concupiscit bonum, sed etiam vltrò se ingerens excludendum putat. Neq; verò id multùm refert, quòd ætate, vt dicitis, prouectior sit, vt ad literarum studia reddatur omninò ineptus: Sed Deo nequaquam impossibile est, qui jam pridem sic ejus animo inspirauit, ejus quoq; sic ingenium illustrare, vt longè doctior multis euadat, atq; præstantior. Annè memoriâ excessit, Apostolos omnes, & ætate prouectos, & ingenio rudes à Domino fuisse delectos? Ipse enim os, & sapientiam tribuit, ipse prudentiam, ipse bonitatem, spiritusq; gratiam, quibus voluerit, impertitur. Vidimusq; sæpissimè eos, qui videbantur ingenio multùm valere, ineptos deinde, atq; obtusos euadere, negligentiâ hoc, aut contraria consuetudine faciente: eos verò, qui nullius videbantur probitatis futuri, in egregios, & summos viros conuerti. Nihil enim adolescentis viâ obscurius, nihil inuolutius, atq; in nullare magis quàm in ista vidimus homines fuisse deceptos. Quod si pro diuina voluntate, ob ingratitudinem nostram, qui diuinare volumus, nobis accideret, iste verò in ampliss imum & singularem euaderet virum, quanta nostris pœnitentia esset, cùm deinceps ejus gloriam cerneremus? Itaq; diuina gratia præuenienda potiùs est, quàm præoccupanda. Quòd si linguæ impedimenta profertis, nimiùm certè de diuina bonitate diffiditis. Nonnè & Esaiam pollutum labÿs ipse prophetam fecit, & Ieremiam loqui omninò ignarum suo populo prædicatorem dedit? Linguas ipse infantium disertissimas reddere no-

uit,

vit, qui Balaam asinæ nec elocutionem omninò sua virtute negauit. Moysen quoq; & impeditioris linguæ fuisse, manuumq; grauissimarum, sacræ literæ ferunt. Ergo ne hac quoq; causa reijciendus videtur. Quanquam & illa ipsa adolescentis hujus impeditio linguæ, non ad elocutionis turpitudinem, non ad impedimentum, sed ad decorem, atq; delicias, si rectè considerare velitis, ei videtur esse tributa. Esto autem, quòd horum nihil futurum certò sciremus, nonnè in magna domo, inquit Apostolus, diuersa & varia genera vasorum esse oportere, & alia quidem aurea, illa verò argentea, hæc lignea, altera verò testea? Gratiæ præterea conferuntur diuersis diuina largitate diuersæ. Dedit quidem & ipse quosdam Apostolos, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, vt sæpè noster referebat Apostolus, vt qui ad vnam rem ineptum se esse prospiceret, in altera semetipsum exercens, proximorum vtilitati consulat, vt suæ saluti, vt Domini gratiam est sortitus. Quamobrem nisi incerta pro certis velimus assumere, & vt prædiximus, more gentilium diuinare, hunc adolescentem aduocandum censeo, illiq; gratiam quam postulat, concedendam: Deo verò cætera omnia relinquenda, cui non impossibile est, gratiam ei, atq; virtutem talem tantamq; conferre, vt omnibus nobis, & religioni nostræ, ac demùm toti Ecclesiæ DEI futurus sit magno ornamento, atq; saluti. Quæ omnia, vbi ex seniori, & præstantiori viro prolata sunt, in sententiam ejus frequentes omnes jêre. Advocatumq; adolescentem, qui præ foribus operiebatur responsa, coràm eis prostratum cùm intellexissent, postulationum ejus pijs annuêre votis.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

Profectus ejus in religioſis moribus, vitæq; auſteritate.

HAbitum igitur omnium ſuffragio conſecutus, incredibile dictu eſt, quàm illo habitus nitore, ac forma, in alium viſus ſit virum mutatus. Neq; idem nunc illi aſpectus, nec eadem corporis habitudo mòx in adoleſcente apparuit: ſed omni illa, qua ante videbatur, ruditate depoſita, ac ſi anguis priſtinam exuiſſet pellem, ruditas in decentiam, forma in gratiam, habitus in reverentiam, inceſſus, & corporis diſpoſitio omnis in deuotionẽ repentè converſa ſunt. Fuit autem ejus ad Ordinem noſtrum ingreſſus anno Salutis 1358. completus. Novitiorum autem cuſtodiæ deputatus, mirum in modum cæteros in rebus omnibus anteibat. Quippe literarum licet omnino eſſet ignarus, bonitate tamen ingenij, & ſedula exercitatione, & aſſiduitate, & perſeuerantia celerrimè omnem divinarum laudum excurrit notitiam, ita vt brevi in his apprimè videretur educatus. Neq; vt pueri, vtq; adoleſcentes conſueuerunt, qui minùs, quæcunq; agunt, conſiderant, ore illas duntaxat libare nitebatur, ſed corde, & mente, quantum illa pateretur ætas, & nonnunquam ſupra ætatem, contingere: Tantoq; deſiderio ferebatur in illas, vt non auidiùs corporis aſſumere videretur cibum. Retinebat autem eas tenaci memoria, quæ ita in homine viguit, vt vulgata fama ſit, quicquid ſemel didiciſſet, nunquam fuiſſe oblitum.

Mòx ergò ſpei evaſit optimæ, nec jam annumerandus erat inter eos, qui obtuſo erant ingenio: ſed ea, quam conſervare ſtudebat, ſpiritus deuotione, & plurimarum cognitione rerum, jam ſperabatur præſtantiſſimus evaſurus. Namq; futuram in eo facundiam, & ſermonis locutionem ampliſſimam omnia portendebant. Novitijs enim apud quos verſabatur, nonnunquam ſalutaria ita depromebat verba, vt omnibus eſſet admirationi: tanto illa ſpiritus ardore dicebat. Neq; illi impedimentum linguæ detrahebat quicquam, quo minùs perſuadendi, ac prædicandi ei concederetur facultas, ſed ea ipſa impeditio linguæ, ita in ejus ore delitiosè ſedebat, vt ad gratiam, decoremq; potiùs, quàm ad inconcinnitatem videretur ei tributa. Omnibus verò exercitationibus, quibus ille nouitiorum ſtatus inſtitui ſolet, tanto perè incumbebat, vt nulla in re aut inferior cœteris, aut deterior appareret. Cùmq; tempus nequaquam ſupereſſe intellexiſſet, pauciſſimè indulgebat ſomno, mòxq; exurgens aut diuinis laudibus, aut priuatis ſuis orationibus, aut lectioni vacabat. Deinde obedientiæ, & humilitati ita ſtudebat, vt nullus Ioanne obedientior, nullus eo, geſtu, & habitu haberetur humilior. Converſationis verò ita facilis fuit, vt omnibus miro quodam modo eſſet acceptus, & charus. Leuitati nunquã deditus fuit, ſed illa ipſa ſollicitudine, qua vſus in ſæculo, illa grauitate, atq; deuotione accuratiùs vtebatur. Cùm autem profeſſione jam confirmatus, ſatis illà nouitiorum diſciplina videretur imbutus, mòx ad altiora ſe tranſtulit. Lino quidem ad carnem, deinde ſemper abſtitiuit: carnibus, niſi cùm hoc corporis valetudo poſtulaſ-

ſet, omninò interdixit, vinum aquâ multa conditum ſumens. Cibi proindè abſtinentiam amplexus, & vltra quàm illius ætatis facultas requireret, parcitati ſtudens, omnia jejunia non ſolùm Chriſtianis omnibus communia, ſed etiam illa, ad quæ ex religione tenebatur, ad vnguem (vt ajunt) ſeruabat. Cùmq; ad ſolidiorem jam perveniſſet ætatem, magis ſibi proficiendum ratus, cœpit haud niſi ſemel ſingulis diebus cibum aſſumere: ſæpiſſimè verò panis, & aquæ abſtinentiâ vtebatur; etſi ei nonnunquam interdicebatur propter ſtomachi imbecillitatem. Quamuis enim ſatis eſſet robuſto corpore, ſtaturæ verò in proceritatem potiùs, quàm in paruitatem inclinantis; languebat tamen ſæpè ſtomacho, Medicorumq; indigebat conſilijs, & opitulatione. Nec alio vtebatur lecto, quàm ſacco, capite ſuperpoſito puluinari, vili cooperimento contentus; ſtraminibus quoq; laneis, & his admodum groſſioribus; idem in ſuis quoq; veſtibus omninò conſeruans. Delectabatur tamen tunica, & ſcapulari albeſcenti, & nitido, vti animi, ita etiam corporis ſordes ægrè ferens.

CAPVT TRIGESIMVM.

Profectus in ſtudijs.

ITaq; his optimis jam artibus inſtitutus, Dialecticæ, atq; Philoſophiæ præceptis incubuit. In quibus tamen ſæculi artibus haud diutiùs immorandum ratus, tantùm hæc attingenda exiſtimans, quo ad ſuo inſtituto ſatis ſufficerent, tandem ad

sacras literas omnem operam suam conferre curauit. In has verò tanto desiderio, & amore ferebatur, vt omnes sacrarum literarum subtilitates, quosq; illarum sensus, plurimas quoq; ac varias Doctorum sententias, perspicaci, ac claro ingenio penetraret. Neq; verò in his omnibus tàm sæculi, quàm sacrarum literarum disciplinis, communis illi, aut vulgaris eruditio fuit; sed accurata, & recondita, ac singularis, vt in omni re, de qua disputandum esset, facilem ac promptam, ac præterea eruditam, & grauem ipse proferret sententiam. Consilio quoq; sincero pollebat & graui; & in his præsertim, quæ ad animarum pertinere videbantur salutem, tantam diligentiam adhibere curabat, vt ejus nihil esset consilio clarius, nihilq; illius putaretur sententiâ posse afferri solidius. Sed & manuum operibus officiosissimus erat: Quippè & plurimos propria manu transcripsit libros, musicâq; notâ impressit, qui ad multa tempora, vti reliquiæ quædam, mira cum diligentia conseruantur â multis.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Concionandi præstantia, & humilitas.

Atis autem ritè, & summâ diligentiâ comparatis, majorum suorum præceptis obtemperans, cæpit verbi Dei prædicator existere, multâq; in ea re gratiâ, apud populos eminere. Præstabat cunctis ferè suæ ætatis hominibus, memoriæ tenacitate, & mentis illustratione, vt ea, quæ vellet, citò caperet,

& jam accepta, ſempiternâ memoriâ retineret; atq; eâ, quæ maximè Prædicatores efficit gratos, pronunciatione ſcilicet, quàm maximè excellebat. Neq; verò tàm auſterus erat in verbis, vt animos hominum deſperatione deijceret, neq; ita remiſſus, vt peccandi audaciam condonaret. Magis tamen prædicatio ejus ad contemplationis dulcedinem, atq; deuotionis ardorem propenſior erat, quàm ad auſteritatem. *Exiſtimabat enim, generoſum hominis animum fuiſſe ſortitos, magiſq; ſermonis dulcedine, quàm ſeueritate conduci.* Quapropter ejus prædicatio, & ſermo omnis, præter doctrinæ vivacitatem, qua pollebat plurimùm, & ampliſſimam dignitatem, multa erat deuotione & ſinceritate conditus, vt *qui hominem audiſſet, tanquam exemplar quoddam Doctoris gentium videretur audire.* Obtemperabant autem illius prædicationibus ferè omnes; nec id accidebat illi, quod Salvator dicere ſolitus erat, *neminem in patria ſua prophetam acceptum exiſtere*, ſed divino quodam munere, in nulla patria acceptior erat, quàm ſua: prædixerat enim Salvator noſter, majora, quàm ipſe faceret, ſeruos Dei quandoq; facturos. Quocirca non vna ejus prædicatione ſatiati abibant, ſed eâ apud noſtros perfectâ, ſi ad aliam, binamq; inuitaſſet, proficiſcebantur omnes, & auidiùs illius ab ore pendebant in quinta, quàm in prima. Nam ſæpiſſimè quinquies prædicabat in die, ita erat robuſto corpore, & rerum multarum cognitione fœcundus. Quodq; in hoc præſtanti viro longè mirabilius erat, ipſe ſua virtute, & probitate, omnium, quam de eo habebant opinionem, ſuperabat; tantâ gratiâ Deus illum perfuderat. In his tamen virtutum generibus, quibus vni-

Mat. 13. & Marc. 6.

verſæ

versæ religioni erat ornamento, atq; saluti, humilitati ac mansuetudini operam adhibebat, hominum laudes effugiens, populorumq; fauores, mirum in modum, deuitans: cùm sciret, homini religioso, & in aliorũ præsertim exempla constituto, nil periculosius superbiâ, & animi tumiditate fore; quam qui superasset, in alijs rebus posse fæliciùs, atq; vtiliùs Domino famulari.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Qualis in præfecturis Ordinis, ad quas inuitus promotus.

Licet verò per omnem vitam ita faciendum putauerit, nonnullas tamẽ in nostra familia præfecturas adeptus est. Nam & Prioratus honore ornatus est, & in Romana Prouincia plurimis alijs muneribus donatus. Quæ omnia cùm ita diligenter & studiosè, & cum summa omnium commendatione, & laude perfecisset, omnium in se prouocauit beneuolentiam, & amorem. Nam & prudentia singulari præstabat, & dignâ meritis erga omnes solertiâ vtebatur, quibus carus omnibus, & amabilis erat. Discretionis quoq; virtutem, longè gubernatoribus opportunam, sibi familiarissimam habuit, vt in omnium se miro quodam modo transformaret naturam, nec austeritatem, quam in semet exercebat, in alios vellet experiri. Cùm enim sciret, nos à Deo factos omnes, non autem paribus gratijs fuisse dotatos, imbecillitati omnium consulens, ac piè vniuscujusq; conditioni prospiciens, nil inexpertum, aut in-

exploratum, post se relinquere properabat, quo minùs omnia, si fieri posset, euaderet.

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

Quòd Magisterium recusauerit: quantæ etiam virtutis eius sermo, & prædicatio.

QVmq; esset omnium sua ætate doctissimus, & multarum rerum scientiâ nulli secundus, Magisterij tamen dignitatem, nunquam assumendam putauit, licet ad hoc eum Patres Ordinis quàmsæpissimè impulissent. Hac igitur de caussa, pro Diuina voluntate, populorum Magister esse promeruit, eoq; illustrior, quò non corporis, sed animorum Magisterio excellebat. Quippè tàm validus illi, & acutus, & vsq; ad interiora animi & spiritus, penetrans sermo collatus est, vt mutare animos, figere mentes, adunare plebes, continere populos, incredibili quodã priuilegio facillimè posset. Itaq; non sceleribus dediti, non perditissimis moribus instituti, non deniq; illi, qui nullo Dei agebantur timore, ac metu, resistere valebant viuacitati, & efficaciæ sermonis eius: sed confestim mutatâ sententiâ, animisq; conuersis, in aliam se viuendi transferebant formam, vt ex audacibus mansueti, ex impijs pijssimi, & ex petulantissimis fierent morum grauitate præcipui. Mulierum quoq; leuitates, lasciuias, atq; omnis generis pompas, ita deuotione coercuit, vt abiectis illis pompæ sæcularis illecebris, ac periculosissimis lenocinijs, ad religiosam vitam plurimæ se

mæ se conferrent. Sequebantur illum plurimi quòcunq; abijsset, ejus præstantiâ, & sanctitate illecti, perq; Hetruscorum civitates omnes, hujus viri celebrabatur nomen. Cùmq; permulti, relicto sæculo, ad religiosam se contulissent vitam, Monasterium Sancti Dominici in monte Fesulano constituit, in quo discipulorũ haud negligendum numerum adunauit; quam domum deinceps, non minimo sumptu, Barnabas Alliorum clarâ familiâ ortus extruxit, & in pluribus ornauit. Quo in loco, egregijs virtutum exemplis, religionis cœpit instituta, ac cerimonias renouare, ac plurima memoratu digna gerere, quibus civium animos, miro devotionis suæ exemplo, ad vitæ sanctimoniam inuitabat.

CAPVT TRIGESIMVMQVARTVM.

Primus in Italia religiosæ observantiæ instaurator.

NEq; verò hoc in sæculi hominibus solũ illi facere concessum est: sed cùm religiones omnes, penè ad tantum dissolutionis veniissent, vt paulò minùs Religiosi à sæculi distarent hominibus, iste in Italia primus, spiritus sui feruore, animos omnium sic accendit, vt collapsas, & jam pridem in ruinam corporis, & spiritus proruentes religiones, suis sermonibus restauraret, & optimis institutis in pristinam formam redigeret. Ajunt, eo tempore Florentinæ domus Abbatem, Gvasconum nobili familia natum (& ob id fortasse non ita religioni, quam esset professus, deditum, vt

decebat)

decebat) hujus prædicatione, quam casu audierat, mente, ac animo sic fuisse mutatum, vt ipse inter primos annumeratus sit, qui, prætermissis omnibus Prioris vitæ præludijs, ad religionis obseruantiam, summa omnium admiratione, regressus, mira deinceps deuotione, & sanctimonia vitæ tempus omne absumpserit, & ita profecerit, vt plurimos, ad longa vsq; tempora perseuerantes, condiscipulos in domo Domini adunare curauerit. Idem verò Pisis, & apud Lucanos ejus operâ gestum est: deindè Cortonij etiam, & ad Fabrianum oppidum, vnde Romam ejus deuotionis fama perlata est. Indè vlteriùs prætergressus, Venetias vsq; concessit, qua in vrbe clarissima, tantam & nobilium, & populi gratiam est consecutus, vt diutissimè in eorum memorijs vixerit, tenuerintq; non solùm ejus gesta, sed etiam scripta, summâ veneratione dignissima. Plurimi quidem ex Vrbis Florentiæ & Venetorum nobilibus, relicto sæculo, religiosam delegêre vitam. Nobiles quoq; fœminæ nonnullæ, spiritus feruore tantoperè sunt accensæ, vt in ea vrbe egregium nobilium mulierum Monasterium constituerit, quod Corporis Christi titulo nuncupauit. Cujus tanta dignitas, vt aliud nullum Venetijs esse ferretur, longo tẽpore, quod illi regularis vitæ obseruantiâ posset æquari. His creditur præclarum charitatis edidisse librum, vernaculâ quidem linguâ compositum, sed multa elocutione, & sententiarum grauitate præcipuum. His primas ex Monasterio, quod Pisis est, contulit matres, cui quidem plurimum adjumenti, & fauoris dedit, quandoquidem insignes matronas Venetijs, & Ianua venientes, in eo recipiendas misit. Ex quibus egregium

Monaſterium Sancti Petri Martyris, quod in Florentina vrbe eſt, prodijſſe videtur, quod omnium, humilitate, & religioſæ vitæ converſatione clariſſimum extat. Nam & primam hujus Monaſterij matrem, quam Prioriſſam dicunt, ex Veneto patre, viro nobiliſſimo natam ferunt. Sed & plurimi ejus ſtudia imitati, & in noſtra religione præſertim (nam alios nominare longiſſimum eſſet) maximo fuerunt & noſtris, & vniverſæ Dei Eccleſiæ adjumento, atq; decori, videlicet Ioannes Maſius Florentinus, Laurentius Piſanus, & Antonius, ſive Antoninus, deinde Præſul Florentinus: Andreas Duecius, Bartholomæus Lappaccius, & Ioannes Pictor, & permulti alij, quorum virtute, atq; doctrinâ, plurimum noſtræ religioni dignitatis accreuit, & gratiæ.

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

Commendatio S. Vincentij Ferrarij de B. Ioannis præſtantia: libri editi, vis Prædicationis.

AD cumulum quoq; ejus laudis, & gloriæ facit, quòd cùm Sanctus ille Vincentius Ferrarius, Hiſpanus Valentinus, vir doctrina & ſanctitate præcipuus, Ianuam ſive Genuam, verbum Domini populo nuncians, adveniſſet, eumq; hortarentur Florentini cives, Florentiam ſe conferret, hoc reſponſo illos ab ea petitione dimouit: *Non ſe ad has Ciuitates miſſũ, alteri, nimirùm F. Ioanni Dominici, à Deo eas creditas eſſe, cujus doctrinâ, atq; vitæ integritate ſuos mores componerent, atq; emendarent.*

Neq;

Neq; verò hoc facere verbis ſatagebat ſolùm: ſed etiam ſcripto plurima refellebat crimina, & objurgabat delicta, in faciem eos arguens, quos vidiſſet in Domini leges nimiùm audaces. Nam cùm Poeta Collutius (in alijs vir excellens) de fortuna & fato, quendam edidiſſet librum, in quo non ſatis probè de fide videbatur ſentire, poeticâ forſan licentiâ ductus, cùm quandoq; is liber ad ejus deveniſſet manus, paſſus nequaquam eſt impunè illius abire ſententias: ſed mòx adverſùs eum edidit librum, quem *Luculam* appellauit, in quo omnia ejus maledicta purgauit, vt facilè eo ipſo, & illius errores, & hujus pietas, atq; eruditio deſignentur. *Commentaria* quoq; *in Eccleſiaſten* deſcripſit: *Et in Cantica canticorum meditationes egregias, & ſuper Magnificat almæ Dei genitricis, laudes multa deuotione conſpicuas.* Suarumq; *prædicationum* terebantur manibus *libri*, quorum lectione nil dulcius, nec quicquam eorum eruditione præſtantius. Sed *ſuper Epiſtolas Pauli*, ad quas miro afficiebatur amore, & *pro Pſalmorum explanatione*, nequaquam negligenda deſcripſit, quæ tantâ ſunt dignitate referta, vt longè mirabile conſiderantibus videatur, tantam in homine virtutis, & intellectus gratiam extitiſſe. Tanta verò fuit, & ita excellens, vt etiam cùm prædicaret, permulti ſcriptores adeſſent, qui ea, quæ diceret, ſummo ſtudio & auiditate, literis commendarent, ne ſcilicet nunc primùm audita citiùs elaberentur. Multa quidem inerat homini dignitas, multa auctoritas, atq; populos ita ducebat, vt pueros ſolent pij parentes, nummo, vel pomo, quò voluerint, permouere. Neq; ita is, qui improbo eſt confectus amore, amatam deſideratamq; faciem contuetur,

nec

nec ita narrantis pendet ab ore, vt populi in ejus auditionem omnes faciebant. Semper enim se noua, semper meliora atq; cultiora, quæ prædicaret, arbitrabantur ex homine audituros. Nam præter eloquentiæ venustatem, qua naturali quodam priuilegio excellebat, opinione quoq;, & odore virtutum omnes ad sanctimoniam prouocabat. Nihil quidem in homine durum, nihil asperum, nihilq; obtusum: sed ea, quæ viderentur difficillima fore, illa ejus pronunciatione, atq; explanatione facilia euadebant, & dulcedinis, & suauitatis plena. Cùmq; multa sibi darentur, vt fieri prædicatoribus solet, illo innata quadam ad egenos pietate, ita omnia distribuenda curabat, vt plurimorum miserias propria compassione leuaret. Ejus proinde operâ puellæ nuptui tradebantur, pro eisipso procurante dotẽ; vinculis vt liberarẽtur captiui, efficiebat, varijsq; detentos ærũnis, sua providẽtia, atq; solatijs refouebat. Consolationi autem eorum, qui angustijs, & calamitatibus tenerentur, tàm egregiè erat svavitèrq; natus, & aptus, vt nulla vis ægritudinis esset, nec adeò grauis dejectio animi, nec ita acerba consternatio mentis, quam non ad modestiam, seu temperantiam, sua exhortatione atq; suasu reuocaret. Iratorum quoq; hominum, & ad injuriarum vltiones, atq; vindictas ardentium, odijs, dissidijsq; fedandis adeò præstans, vt quosq; exacerbato etiam animo, & maxima iracundia æstuantes, ad patientiam, ad tolerantiam aduersorum, ac denique ad pacem, conciliatis inuicem animis, prouocaret. Nec quisquam ejus ætate fuit, qui tanta in animos hominum posset efficere, quantum in omni re, & persuadendo, & arguendo

ualebat. Itaq; cum ſæculi hominibus de rerum mundanarum contemptu, atq; deſpicientia, de diuinibus beneficijs, de ſupernæ felicitatis conſecutione, de toleraudis ac perferendis præſentis vitæ laboribus', de diuturna mortis expectatione, deq; alijs hujuſcemodi ſanctiſſimis conferebat rebus, quibus in eorum mentibus ſæculi hujus amorem extingueret, & ad cœleſtis patriæ deſideria animos inflammaret. Quocirca juvenum tantopere excitabat ingenia, vt permulti nobilium filij, ejus adhortationum ſuauitate pellecti, de gremio quodammodo auellerentur parentum; filiæquè, relicto dulci matrũ ſuarum complexu, ſæculi abjectis illecebris, atq; pompis, ad religionis ſtatum deuotione maxima demigrarent. Tantum quidem illi tribuebatur ab omnibus, vt tanquam ex Deo dicta, omnia Ioannis Dominici verba ſuſciperent, quæ nulla ratione tranſgredi oportere, ſinguli rectè ſentientes putant. Qua ex re nonnulli ciuitatum primarij pro filiorum (vt arbitrabantur) amiſſione, tanta in eum indignatione concitati ſunt, vt nec etiam ab ejus contumelijs temperarent, ſæpiſſimèq; in ſuis conſilijs agitarent, eum à ſuis ciuitatibus deturbare. Ille verò, vt erat mitis, & innocens, ita eorum calumnias tolerabat, vt Stoicorum quempiam, qui nulla (vt volunt) paſſione moventur, putares. Cumq; pro ea, quam prædicabat, veritate (ex qua plerumq; non mediocriter homines indignantur) plurimis eſſet infenſus, nihilominus pro innata charitate, qua ſingulis erat affectus, complectebatur omnes, nec animum remittebat, quo minùs illa proferret, quæ ſalutaria hominum animis viderentur. Ita & arguere cum modeſtia, vt eorum animos

ſibi,

sibi, & alijs conciliaret, illa ipsa mansuetudine consueuerat: quodq; in homine mirabilius fuit, quantò permultis erat infestior, eò illorum quisq; ad eum audiendum accedebat ardentior. Subitò quidem omnium in se mentes & oculos convertebat, memoriâ nequaquam retinentes, quæ paulò ante aduersus hominē cogitassent. Nam cùm ad aquas Diuinæ gratiæ, quæ illius ex ore fluebant, accederent, vt serpentes solent aquas ingressi venena relinqnere, ita profectò eveniebat istis, qui extra Ecclesias positi, virum præstantissimum laniabant, cujus tamen ad prædicationes auidissimè concurrebant.

CAPVT TRIGESIMVMSEXTVM.

Ad dignitates Ecclesiasticas pro Ecclesiæ necessitatibus promotio.

CVm summus Pontifex Gregorius XII. apud Lucam versaretur in summis rerum difficultatib⁹ constitutus (quòd tempora diri schismatis essent) jamq; pridem Ioannis Dominici clara m accepisset famam, necessarium fore sibi hominem arbitratus, ac præterea Florentinæ cupiens gratificari ciuitati, eum Raguſinæ Ecclesiæ præsidem declarauit. Ille verò, vt erat mitis, & bonus, eam dignitatem suscipere renuebat, cupiens magis animarum saluti intendere, quàm humanis fauoribus ad hæc fastigia promoueri. Cæterùm videns Pontificem ita decreuisse, annuit quidem voluntati ejus; nunquam tamen voluit ob humilitatem

consecrari, sperans se denuò, sedatis perturbationibus, ad ordinem redituru[m].

3. p. hist. tit. 22. c. 7.

De hac re agens S. Antoninus Archiepiscopus Florent. B. Ioannis Dominici discipulus, & author veracissimus, ita narrat. *Anno Domini 1406. de mense Nouembris, Innocentius VII. migrauit ad Dominum, graui infirmitate à Domino visitatus. Vt autem fuit transitus Innocentij Florentiæ nunciatus, vir religiosus Ord. Prad. per cuncta laudabilis Fr. Ioannes Dominici, egregius Pradicator, potens in opere, & sermone coram Domino, & omni populo, qui pluribus continuatis quadrageſimis Florentiæ pradicauerat in Eccleſia Cathedrali, & S. Mariæ nouellæ, & bis in die cum maxima gratia, & fructu, propter fragrantem odorem ſanctitatis ejus, & facundiam, & ſapientiam, vt feruidus zelator Eccleſiaſticæ vnitatis, tunc moram trahens cum multis Fratribus in Conuentu S. Dominici Feſulanenſis diœceſis, ab eo funditùs ædificato, acceſſit ad Magiſtratum Florentinum, exhortans ipſum, & perſuadens operam dare, cum eligendo Pontifice pro vnione fienda. Qui eum non ſurda aure audientes, decreuerunt communi conſilio ad curiam deſtinare, futuram electionem preuenientes. Quo facto, pedeſter, vt humilis, & pauper, Romam profectus eſt, inuenitq; cum applicuiſſet, conclaue Cardinales intraſſe, qui conſiderantes pericula magna, quæ poſſent contingere in mora electionis, demùm decreuerunt electionem ſequi, per chirographum factæ promiſſione, juramento, & voto à quocumq; Cardinalium, vt ſi contingeret eum eligi, daret omnem operam, & diligentiam abſq; fraude, & dolo vllo ad vnionem efficiendam, etiam ſi oporteret eum propter hoc Papatui cedere. Electo igitur Angelo, & Gregorio XII. nuncupato, immediatè renouauit promiſſionem*

juramenti,

juramenti, & votum, quod ipſe cum cæteris ante electionem fecerat. Quod cùm per literas ſignificari mandaſſet Principibus, & Communitatibus plurimis, omnes gauiſi ſunt gaudio magno valdè, ſpe futuræ vnionis eum ad cœlum extollentes. Præfatus autem Joannes Dominici, in publico poſtmodum Conſiſtorio, opportunitate ſibi data, ex parte Communitatis Florentinæ coram Gregorio, & Cardinalibus tàm ſcientificè, quàm luculentèr ſermocinatus eſt, ſupplicans, exhortans, & perſuadens rationibus pluribus ipſam vnionem, quantum in eo erat, conſequendam: ad quod Communitas ipſa offerebat ciuitates ſuas, & caſtra pro loco, & omne auxilium, & fauorem. Cognoſcens autem Gregorius prefati Fr. Ioannis ſcientiam, ſanctam conuerſationem ejus in Domino, cujus olim familiaritatem habuerat Venetijs, cum in minoribus eſſet, nec ignorans ſapientiam, facundiam, & induſtriam ejus in agendis (erat enim tenaciſſimæ memoriæ, vt penè omnia in mente recenter haberet, qui ferè cuncta perlegerat) ei mandauit, vt à curia non recederet, frequenter accerſiri faciens in conſilijs ſecretis. & alio loco: *expleto ſermone cunctis gratiſſimo, Gregorius, qui ejus & prudentiam, & vitæ ſanctitatem Venetijs nouerat, vt Angelum Dei ſibi deſtinatum ad tantum opus ſuſcepit, nec licentiam ad Ordinẽ redeundi concedere voluit: ſed non ſe ingerentem, vel ambientẽ ad ſuſcipiendũ Archiepiſcopatũ Raguſinũ coegit: poſtea etiã eũ ad Cardinalatũ exaltans.* Pontif. quippe Greg. jura Rom. Eccleſiæ ad ſe deferenda credens, quandoquidem verorũ Pontificũ ſucceſſor exiſteret, Benedict⁹ verò intruſus, enitebatur optimis viris ſtatũ ſuũ, & Eccleſiæ cõfirmare. Itaq; Raguſinum Præſulem ſibi jungere ſtudens, nihil veritus propter aliorum Cardinalium contradictionem, modò

tit. 23. cap. 11. §. 3.

viros

viros optimos in Eccleſia collocaret, quatuor Lucæ conſiſtens Cardinales creauit, alterum ſancti Sixti titulo præficiens, Raguſinum videlicet Antiſtitem Ioannem Dominici, & Magiſtrum Lucam ex Humiliatorum religione, virum egregium, alioſq; duos præſtantes viros & excellentes, quibus exiſtimauit ſtatum ſuum quam maximè roborari. Sed longè ſecus, ac ſperaret, euenit. Indignati etenim Cardinales cœteri, atquè de fuga cogitantes (timebant enim, ne qua uis à Pontifice inferretur) non minimum anxietatis Pontifici attulerunt. Ciuibus quoq; Florentinis, maximèq; rempublicam gubernantibus, vel quòd facto iſto haud dubiè & Pontificis, & Ladislai Regis Siciliæ augerentur vires, vel quòd alijs pro ſuo arbitrio eam voluiſſent dignitatem conferri, vel certè quòd jampridem ſupra memoratis cauſſis Ioanni Dominici infenſi animi eſſent, non ſatis grata horum promotio fuit. Populares quidem ſummis hominem laudibus extollebant, ſuis quidè virtutibus Ioannem Dominici ad Cardinalatus gloriam perueniſſe vociferantes, fieriq; tali homine poſſe, vt hiſce malis, & ſciſſionibus ejus opera, & ſuaſu finis imponeretur. Cœteri calumniabantur, dicentes, hypocritam hominem, ac ſimulatorem, mundi gloriam fere contemnendam magnificè ſuaſiſſe, ea verò idcirco vigilia jejunaſſe, vt hilarior intereſſe poſſet feſtiuitati. Atq; his & hujuſmodi verbis in præſtantiſſimum invehebantur virum. Ille autem nec dignitate elatus eſt, nec horum calumnia dejectus. Neq; ob eam, quam conſecutus eſt dignitatem, aut priſtinam deuotionem, & ſanctimoniam vitæ remiſit, aut corporis habitum commutauit: ſed eadem viro humilitas,

militas, eadem victus austeritas, non alia illi in conversatione facilitas fuit, quàm ante habuisset. In summis autem rebus cùm esset præter suam voluntatem constitutus, ea tamen omni studio & facere, & dicere meditabatur, quæ existimaret Ecclesiæ Christi, & proximorum saluti conducere. Sed cùm multæ difficultates adessent, ne vna quidem die res tanta poterat in summa hominum, & sententiarum varietate componi. Sed neq; rationi consentaneum fuerat, recedentibus à Pontifice ob eam indignationem Cardinalibus alijs, vt ipse quoq; abiret, à quo nuperrimè esset ea dignitate ornatus. Quis enim laudasset hominem, si hodie Cardinalis declaratus, postridie se Pontificis aduersarijs conjunxisset? Quod enim vnio sibi gratissima fuerit, ex his quæ deinde gessit, facillimè intelligi potest. Itaq; vnioni aduersatus est nunquam, sed eam cupidissimè exoptabat: habendam tamen esse & temporum, & hominum rationem, volebat. Cùm ergo à Gregorio ferè omnes Cardinales abscessissent, cum solis quatuor derelictus, Luca Senas se contulit: sed ij, qui cum Benedicto XIII. Avinione se pro Pontifice gerebant, omnes profugerant. Pisis itaq; pro Concilio congregando convenientes, vtroq; Pontifices ad indictam diem conuocauêre. Ea vbi Pontifex Gregorius intellexit, Cardinales omnes, qui Pisis conuenerant, vt Concilium aduersùs Pontifices celebrarent, vt hæreticos & schismaticos, & sanctæ Ecclesiæ inimicos, omni Ecclesiastica dignitate priuauit, & ita scribendum Christianis Principibus, & populis censuit, congregationem illam, non Concilium, sed conciliabulum appellans, quòd nullius Pontificum auctoritate

constaret.

constaret. Deinde vt plurimos in sententiam suam traduceret, nouos alios Cardinales, bonosquidem, ac seniores viros creauit; tametsi minimum ea res roboris Gregorio, aut fidei attulerit, quòd scribentes ij Cardinales, qui Pisis erant, adversùs Pontifices, plus fidei apud homines obtinerent. Gregorius autem Pontifex, vt quietiùs viueret, Ariminum se contulit. Qui verò Pisis erant Cardinales, cœteriq; proceres, & legati, omnes adversùs ambos Pontifices pro sanctæ Ecclesiæ vnione se certare putãres, cum nullus veniisset, his omnibus, quæ videbantur ipsis facienda, peractis, tandem in eos, vt in hæreticos, ac schismaticos sententiam protulerunt. Deinde 17. Calendas Iulij Anno Domini 1409. pronouo eligendo Pontifice in Archiepiscopatu incluſi, summum Pontificem Petrum Cretensem, Mediolanensem Archiepiscopum, eruditum & præcipuum virum ex Sacro Minorum Ordine, elegerunt, cui Alexander V. nomen impositum est. Quibus ita gestis, plurimæ Regum, & Principum legationes Venetijs convenerunt, quarum altera quidem pro Gregorio, aliæ pro Benedicto, plures pro Alexandro erant: ita ut, quod rebantur apud Pisas congregati schisma per novi Pontificis electionem tollendum, majores vires acceperit, non jam duobus, sed tribus pro Pontificibus, Gregorio, Benedicto, Alexandro habitis: magisquè exarsit, cùm decem mensium interuallo, mortuo Alexandro, ab illius assecla Balthasar Cossa, Appulus, Legatus Bononiensis, electus est Pontifex anno Christi 1410. idibus Maij, Ioannesq; 23. nuncupatus.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMSEPTIMVM.

Ad res Ecclesiæ componendas seriò agit cum Gregorio, vt Pontificatui resignet.

IN hac verò rerum omnium perturbatione summo studio, & diligentia nitebatur Ioannes Dominici, Gregorio Pont. suadere, vt Pontificatui pro Diuina voluntate resignaret. Memorabat autem intueri illum oportere, cum multo conatu curasset, quæ suo statui viderentur salutaria esse, quonam pacto omnia inania evasissent; fore, si ipse cessisset, vt pax, & tranquillitas tandem Ecclesiæ redderetur. Nec debere illum, dum rebus suis intenderet, Ecclesiasticæ vnioni cum summo sui dedecore impedimento esse: quin eò libentiùs eum debere in hac ipsa re consentire, quò semper & viri optimi, & mansuetissimi nomen habuerit, cujus conseruandi, prudenti homini non minimam operæ pretium est, sollicitudinem esse: pro communi quoq; reipub. bono bonis omnibus priuata etiam sua commoda esse relinquenda. Quocirca, Pontificatui, quem aliquando vel morte esset amissurus, si cederet, eum immortalem famam, & æternum nomen esse acquisiturum. *Ego quidem ò Pater beatissime, non alia de caussa existimo Deum me tibi comitem præstitisse, nisi vt qui alijs suaserim multis, tibi quoq; pro animi salute suadeam. Quis enim apud te mea pro caussa stabat, vt me nil tale aliquid cogitantem ad tantum culmen promoueres? Deinde, Pater Sanctissime, credisne tantas animo-*

rũ à tua beatitudine alienationes ex Diuina voluntate non prouenire? Nonne & ciues tui debuerant, omnibus etiam alijs contraria sentientibus, in tua deuotione manere? Sed & meæ ciuitatis ciuium, quos nuper vna binis Cardinalibus honestasti, quis nam tibi voluntates ademit? Non sunt hæc omnia nisi Diuinæ voluntatis indicia? Sed etsi omnia pro nobis viderentur humana militare jura, nonne Diuina voluntas apud nos semper his omnibus debet esse præstantior? Ad nostram siquidem salutem semper ille aspirat. Diuersis autem vijs, & artibus idipsum, vel ignorantibus nobis, vel certè nolentibus, pro bonitate efficere consueuit. Et hos quidem aduersis in cœlestia horrea, contritis his primùm paleis, reponendos curat; alios verò secundis rebus ad sempiterna perducit. Quid igitur amplius expectandum censes? nonne melius est, integris adhuc rebus, ultrò ad id venire, quò veniendum nihilominus esse & præterita, & præsentia omnia probant? Nam & defuturis quis dubitat? Roma in periculo est, quæ diutius in fide permansit. Viterbium amisisti, nepotem tuum, quem ciuitati præfeceras captum nuperrimè accepisti. Omnia verò aduersarijs tuis secunda, tibi singula, etiam quæ videbantur tutissima, aduersantur. Itaq; Pater beatissime, non pertinaciter censeo cum diuina voluntate pugnandum. Quippè Dathan, & Abiron, qui pro Pontificatu aduersus Moysen summa pertinacia pugnauere, scis quali, quaue acerba animaduersione puniti sunt. Magis autem temporali, ac perituro Pontificatu cedens, Dauidi illi sanctissimo similis esto, quem cum filius exegisset regno, ille verò profugus abiret, Semei Geracite insultante Regi, lapides in eum & terram mittente, conuitijsq; plurimis maledicente, princeps vnus in eum voluisset irruere, regis injurias ultũ ire, caue

enfeceris,

nefeceris, inquit. Dominꝰ enim præcepit illi, vt malediceret David. Quis scit, si pro his maledictis Deus misereatur mihi? 2. Reg. c. 16.

Suadeo ergo tibi, Pater beatissime, omnia tua in diuina voluntate ultrò reponas, ne uidearis tùm cedere, cùm amplius rem ipsam retinere non possis. Vicarius Christi es; ad arbitrium ejus, & retinere, & tandem linquere dignitatem decet. Ipse tibi, si ei placuerit, auxilio erit, ipse cauſſam, & dignitatem tuam tuebitur, ipseq; mutabit hominum voluntates, quo certè loco, & tempore, & modo ſibi uidebitur, qui omnia hæc pro ſuo arbitrio temporalia verſat. In eum ergo omnia tua reiicias, ipſe te foue-bit, & nutriet: ipſe, ſi non has perituras hominum dignitates, aliam tibi gloriam pro hac tua humiliatione in cœleſtibus re-ſeruabit. Erat Gregorio mite, & perhumanum ingenium, & ad optima quæq; promptiſſimum, facilèq; his rationibus conſenſit; ad ea paratiſſimum ſe eſſe oſtendens, modò non ipſe ſolus, ſed & cæteri Pontificatui reſignarent. Vtquè res feriò ageretur, Ioannē Dominici ad Sigiſmundum Hungariæ, & Boemiæ Regem, virum Catholicæ fidei zelo, animi magnitudine, & prudentia ſingularem an. ſui Pontif. tertio, Chriſti verò 1409. Legatum miſit, qui cum eo de ſtatu Eccleſiæ ritè componendo conferret. Sunt enim authenticæ literæ Ioannis Cardinalis S. Sixti Legati Greg. 12. datæ Budæ pro indulgentia 140. dierum, Eccleſiam S. Mariæ in inſula Danubij, Corpuſq; B. Margaritæ Virginis viſitantibus, & cæt. anno Pontif. ejuſdem Gregorij tertio, quas agentes de Sancta illa Virgine integrè proferemus. Cum autem is electus fuerit ad finem anni 1406. Pontifex, liquet annum illum fuiſſe Chriſti 1409.

CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

Legatus iterum pergit ad Sigiſmundum, Regem Romanorum, & Hungarorum.

INterim mortuo Alexandro, Ioanne autem 23. viro quidem, vt ex Leonardo Aretino ait D. Antoninus, in temporalibus magno, in ſpiritualibus verò nullo, in ejus locum ſuffecto, peropportunè etiam Sigiſmundus ipſo anno 1410. Romanorum, haud ſanè Imperator, vt pleriq; ſcribunt (cum Imperium anno duntaxat Chriſti 1433. capeſſiverit) ſed Rex fuit inauguratus. Tum verò Ioannes Dominici, Raguſinus Antiſtes, & Cardinalis, multis verbis rem ipſam apud Gregorium proſecutus eſt, vt animum ad Eccleſiæ unitatem intenderet. Quod cùm ab eo facilè impetraſſet, Sigiſmundus verò omnem, operam ſuam promiſiſſet, ejusq; rei cauſſa è Germania in Gallias vemiſſet, & literis, & nuncijs rem ipſam ſtudioſiſſimè proſequebatur. Tandē ex Pontif. voluntate rurſum ſe contulit Raguſinus Cardinalis ad Sigiſmundum, de hiſce rebus ſanctiſſimè conſulturus. Omnibus autem ſpectatis, & cognitis, rem omnē in Ioanne 23. eſſe conſebant. Quippè cùm jam Gregorij voluntatem accepiſſent in Eccleſiæ unionē vehementiſſime inclinatam, ſi Ioannem ad hoc usq; perduxiſſent, omni procul dubio rem omnem ſperabant ſe eſſe conſecuturos. Itaq; ſecretioribus literis Ioannis animum cautiſſimè temperandū eſſe decernunt. His geſtis,

cùm

cùm Raguſinus Cardinalis ad Gregoriũ revertiſſet, jamq; rerum expectaretur euentus, cæpit Sigiſmundus (vt conuenerat) rem ipſam cum Ioanne ſummo ſtudio agitare. Ne verò Ioannes Eccleſiaſticæ unitati videretur impedimento eſſe, Legatos duos ad Sigiſmundum miſit, qui multa cum Imperatore tractantes, nullo tamen pacto rem tantam poſſe componi, niſi Generali Concilio facto cenſebant; pro quo ſanè celebrando Conſtantia Germaniæ Ciuitas tandem eſt conſtituta. Cum ergo Raguſinus Cardinalis tùm jam apud Gregorium multa ſuaderet, quæ ſalutaria magnoperè viderentur, maximè verò vt literas, & mandata ad Synodum perferenda perficeret, jam tempus eundi commemorans eſſe, verbis ejus altera ex parte commotus Pontifex reſpondiſſe fertur. *Tu quidem nobis, ô Raguſine Frater, ea verbis tuis ſuades, quæ nos jam dudum nobis ipſis perſuaſimus ſæpè. Neq; enim vſq; adeò hanc concupiuimus ſedem, vt non magis Deum amauerimus, animæq; noſtræ ſalutem. Quæ ergò nunc tibi referemus, non idcirco ſint dicta, vt nos exiſtimes vlla ratione Diuinæ velle voluntati obſiſtere, ſed magis, vt pro hominum ingratitudine hoc extremo loco queramur. Nemo enim adeſt, qui doleat vices noſtras, nemo hujus miſeretur ſenectæ, nemo hos deinceps reuerebitur canos. Quæ ſi ab alienis reciperem tolerabilius id forte fuiſſet. Sed quid ego vel ciuibus meis, vel tuæ ciuitati feci, vt tàm acerbè, tàmq; atrociter in me debuiſſent conuerti? Iam enim non vt Pontifex, ſed vt priuatus loquor. Prætereo, quòd Venetus ſim ciuis, quòd in eos beneficia multa contulerim, quòdq; ſemper eos in honore habuerim. Et profectò longè pro eis majora feciſſem, ſi vel voluiſſent, vel certè poſtulaſſent. Nunc autem cum Dauide ſanctiſſi-*

Pſ. 68. mo dicere poſſum. Extraneus factus ſum Fratribus meis, & peregrinus filij matris meæ. *Ciuibus quoq; tuis, nonne Pontificatus mei annis tribus, tres Cardinales conceſſi? Equidem meo tempore id conſecuti ſunt, quod ante nunquam, vt q; experimento ipſo probabunt, in poſterum fortaſſe nunquam erunt habituri.*

Pſ. 68. *Tandem verò* ſuſtini, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, qui conſolaretur, & non inveni. *A Ioanne hoc ſuo ſimulacro videant, annis quinque quot ſint conſecuti, nominentq; eos nominibus ſuis. Qui ſi Ladislao adhæſi, fateor (teſte Deo) non alia me fecisſe ratione, quam vt Eccleſia cauſſas tueretur. Et quandoquidem omnes in me ferebantur, fideliorem certè huic ſedi reperi neminem. Quantum ad Pontificatum attinet, ego jam a modò ſenex, pro vobis potiùs, & veſtra, quàm mea commoditate hactenus illum retinui. Exiſtimabam praterea jus ſuum tueri vnicuiq; eſſe conceſſum. Nam niſi leges omnes habeant tempore, & negocio iſto peruerti, jus, faſq; ſemper pro meo Puntificatu ſtetit. Sed quando ex ſignis (vt ſæpe retuliſti) ſeeus eſt ab aterna lege prouiſum, meliori certè conſilio credo; equidem volente Deo, libenti animo cedo, etiam ſi mille lites, & hominum controuerſiæ adeſſent. Cæterum, Raguſine, vide, ne nos ſoli in cauſſa iſta miſeri euadamus. Noſti inſidias hominum, noſti mores, & ſtudia quanta ſint, & qualia. Ego enim in hoc angulo meo relictus atq; deſertus, documentum poſteritati ero, ne quis in humanis rebus, longè aut in hominum fide, aut in eorùm pollicitatione confidat. Ita ergo diſpone ſingula, vt eorum animorum ſaluti, & Eccleſiaſticæ tranquillitati, tandem verò & noſtro honori, quàm prudentiſſimè atq; cautiſſimè conſulas.* Ea vbi ſenior verba perfecerat, Raguſinus Cardinalis, Pontificē conſolatus, bono eum animo eſſe reſpondit.

Quò

Quò autem magis, Beatißime Pater, ingratos homines eſſe probaſti, eò maximè diuinam debes agnoſcere voluntatem, quæ ſi ita diſpoſuit, parendum eſt. Honorem autem ſanctitatis tuæ tuebimur omni ſtudio, & conatu. Tu modo binas literas facito, alteras quidem mandata communia continentes, alteras verò priuatas, in quibus ſingularia quædam in tempore aperienda, committantur; fore, vt Ioannes Pontifex, ſi ad Synodum venerit, primis fallatur, continentiæ aliarum ignarus.

CAPVT TRIGESIMVMNONVM.

Cardinalis Raguſinus, Carolusq; Malateſta ad Concilium Conſtantienſe accedunt.

His igitur in hunc modum geſtis, omnibuſquè comparatis ad iter, Raguſinus Cardinalis, & Carolus Malateſta, vir armis, & literarum peritia clarus, à Pontifice exorata venia, ejus benedictione percepta, non ſine lacrymis ab illo digreſſi Conſtantiam verſus iter direxere. Ioannes initio menſis Octobris 23. Anno ſalutis 1414. Bononia Veronã ſe contulit. Diſſuadebatur autem ei à pluribus, ne ad Synodum, vt promiſerat, properaret, idq; multis rationibus aſtruebant. Verùm ille, vt conventa ſeruaret, nullo modo potuit à ſententia dimoueri. Ferunt autem eum ſæpè dixiſſe, altiori quadam, & majori ſe virtute agi, qua, etiam ſi vellet agere ſecus, non poſſet, cùm illò properaret. Igitur tranſmiſſis alpibus, tandem Conſtantiæ proximus factus eſt. Sigiſmundus Rom. Rex ei obuius fuit, multaq; eum

reverentia,

reverentia, & honore profecutus, Conſtantiã vſq; deduxit. Quò poſtquam ventũ eſt, Synodo jam incepta, venerunt & Raguſinus Cardinalis, & Carolus, plena ſecũ Gregorij mandata ferentes. Tanta verò hominum millia in eo loco convenerant, vt ſupra quadraginta equorum millia fuiſſe ferantur. Confirmata autem Gregorij auctoritate Synodo, cum jam mandata Pontificum ſcrutarentur hi, qui præfecti negocio erant, attuliſſentquè Raguſini Cardinalis, & Caroli communes literas illas, vt earum tenorem Ioannes Pont. inſpexit, fertur dixiſſe ſuis, *Gregorium Fraternè Raguſinum Cardinalem tractaſſe.* Ignorabat autem quid in ſecretioribus haberetur. Itaq; cùm Raguſinus, qui ſancta quadã aſtutia fallebatur, exiſtimaret jam ſe periculum evaſiſſe, ſecurior factus, cùm inſtaret, quo iſta omnia conficienda erant modo, cœpit Ioannes Pontifex longè magnificis, & ampliſſimis rem exornare verbis, omneſq; ad capitis vnitatem hortari, paratiſſimùm ſe afferens fore, ſi alij cederent, etiam Pontificatui reſignare. Ad idem Sigiſmundus, optimis, & pijſſimis hortabatur verbis, Pontificis mentem plurimùm laudans, fidemq; verborum ejus depoſcens. At ille, non alia, quàm vidiſſet Gregorij mandata adeſſe exiſtimans, jurejurando, ac literis coram tota Synodo ſe facturum promiſit, ſi modo Gregorius ipſe verè ac ſyncerè ceſſiſſet. Iam enim de tertio Pontifice actum erat, quandoquidem nec veniſſet ad Synodum convocatus, nec legatos etiam deſtinaſſet. Tùm verò aſſurgens Raguſinus Cardinalis cũ Carolo, coram toto illo conventu hujuſcemodi orationem habuit. *Etſi virtutes omnes, Præſul ampliſſime, tuq; Rom. Rex inuictiſſime, & vos, qui adeſtis,*

ſtis, omnes, qualis, quantuſuè homo ſit, adſtruant, atq; probent, nulla tamen eſt, quæ ita homines prodit, vt fides facit. Et quidem fide ſaluati ſunt omnes, eademq; ſaluantur. Per fidē enim ſancti victoriā ſunt conſecuti, per fidem juſtitiam operati, perq; fidem æternas promiſſiones adepti. *Et verò quamuis ea in rebus multis poſitæ ſit, in nulla tamē re magis, quàm in capitis vnitate conſiſtit. Nā & vna fides, & vnū baptiſma, vnus* Deus, *& Pater omnium, magiſterq; vnus, & legislator exiſtit.* Vnū præterea corpus multi ſumus, omnes qui vno pane, & vno calice participamus. *Neq; verò plures partes in inconſutili tunicæ ſua paſſus eſt fieri Chriſtus: nec, cùm alia veſtimēta diuiſerint, eam ſcindere, aut diuidere impÿs illis conceſſū eſt: ſed illam ſortiri, vt vnius tantum vſui eſſe poſſet, Spiritu Sancto illis (vt arbitror) inſpirante: quatenùs hoc exemplo futuris hominibus ſuaderent, ab ejus tunica ſciſſura quam maximè eſſe cavendum. Poſtremò, cùm vnica ſit,* & incontaminata virgo *mater Eccleſia, vni duntaxat viro copulanda profectò eſt, quandoquidē, Apoſtolo teſte,* & virū ipſius vnius eſſe vxoris oportet. Quos autē Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Quæ omnia, cùm ingenti, ac ſummo deſiderio cuperet noſter ipſe Gregorius, diſtulit tamen in hanc vſq; horam, & diem, quòd hominum non cerneret animos, ad eam rem, vt opportunum fuerat, eſſe diſpoſitos. At, vbi ex multis ſignis diuina voluntas illi innotuit, pro Eccleſiæ tranquillitate, ac pace nos ſuos legatos ad hanc ſanctam Synodum deſtinauit, vt ejus nomine, in Dei, & Eccleſiæ manibus omnia reponentes, ea diſponatis, & de illius dignitate, & de cæteris omnibus, quæ vniuerſorum conducere ſaluti videantur.* Ea cum dixiſſet, coràm ſecundis explicatis, & in omnium audientia lectis, adjunxit: *Pontificatui*

Ad Hebr. c. 11.

Ad Epheſ. c. 4. 1. ad Cor. c. 10. Io. 10.

2. ad Cor. c. 11. 1. ad Tim. c. 3. Mat. c. 19.

ergo, & omni quod habuisset, aut habere potuisset, juri, ejus nomine liberè cedimus, & syncerè, ac sine dolo renũciamus, humilitatis, & operis à Domino præmia percepturi. Et adjecit. *Ego quoq;, qui illius hic Legatus assisto, cùm meo jam functus officio sim, & pileo, & dignitati ab eo mihi collatæ sponte, ac vltrò resigno.* Ea cùm Raguſinus dixiſſet, obſtupuit Ioannes, ac planè totus obriguit, deprehenſum ſe, ac circumuentum omnino intelligens; nullamq; ſibi deinceps ſuper eſſe viam ratus, pro tempore pauca reſpondit, ſe pro cauſſa ſua cogitaturum. Cum verò Raguſinus Cardinalis ad inferiorem locum, alios inter Epiſcopos ſe contuliſſet, Sigiſmundi hortatu, & Patrũ, qui aderant, auctoritate, illũ & Cardinalatus dignitati, & Conſilij præſidentiæ reſtituendum, atq; honorandum cum ingenti gloria decretũ eſt.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Quid egerit pro ſchiſmate tollendo in Concilio.

TAq; jam nihil in ea Synodo gerebatur, nihil apud Rom. Regem, vbi Raguſini Cardinalis auctoritas non interceſſiſſet. Maxima enim apud Sigiſmundum ejus dignitas habebatur, plurimumq; Raguſino Cardinali tribuebatur ab omnibus. Iam verò, remotis omnibus, quæ videbantur Synodum impedire, liberiùs cuncta gerentes, ambos illos, videlicet Benedictum, & Ioannem, veluti ſanctæ Eccleſiæ teterrimos hoſtes, vtq; hæreticos, & ſchiſmaticos, omni honore, ac dignitate priuauerunt anno ſalutis 1415. Deinde

plurimas

plurimas pro ſanctæ Eccleſiæ reformatione inſtituerunt leges. Cum tandem omnia ſatis ex ſententia viderentur eſſe compoſita, ad novum eligendum Pontificem convenerunt. Ea verò electio, hac maximè ratione fuit præ alijs omnibus admiranda, quòd non, vt aliæ fieri conſueuerunt, à Cardinalibus ſolis eſt facta, ſed ab ijs, & ab vna quaquè natione, quæ ad eam viros egregios electores deſtinauit. Nec minimas Ordo Prædicatorum, ad eam vnius Eccleſiæ totius Capitis electionem partes contulit, cùm in ea, præter Fratrum Ioannem Dominici Cardinalem, etiã Fr. Leonardus Statius, Magiſter Ordinis Generalis exiterit. Addit Ioannes Carolus Fratrem Dominicum Archiepiſcopum Toloſanum, quem tamen in decreto electorum Concilij Conſtantienſis non reperio. *Tertio igitur Idus Nouembris, anno ſalutis 1417. ingenti omnium frequentia, & aſſenſu, Oddonem Columnam, in ſummum Pontificem elegerunt, quem Martinum V. appellauere quòd ipſa Sanctiſſ. Epiſcopi Martini die fuiſſet electus.* Qui mòx Eccleſiæ, & Chriſtianorũ compoſitis rebus, ſolutaq; Synodo, ad Italiam remeans, ſumo honore, plauſuq; ſuſceptus eſt. Igitur in hac ipſa Synodo plurimũ apud omnes valuit Raguſini Cardinalis auctoritas, cùm ſermonis elegantia, & virtute, tùm prudentia, & ingenio ſingulari. Nã illius ex ore omniũ videbatur pendere ſententia. Quippè & adire omnes, quoſq; hortari, præclaras in omni re ſententias facere, & apud ſingulos miræ dignitatis exiſtere ſolit° erat. Maximè autem in perſuadendo, quæ vellet, ſolertiſſimus habebatur. In quo tàm excellenter alios anteibat Raguſinus Cardinalis, vt laudes ejus vniuerſa Synodus prædicaret.

Concil. Conſt. Seſſ. 41.

Accedebat ad hoc ampliſſima probitatis opinio, quæ ita omnium animis erat inſerta, vt quæcunq; diceret, quæcunq; conſuleret, quaſi ex diuino oracvlo viderentur accepta. Ferunt eum ob inſignem de eo apud omnes famam, nonnullas ad Pontificatum voces fuiſſe ſortitum. Sed, qui ſui contemptum ſemper adamaueret, nihil illum ſuffragia omnia poterant delectare, id vnum præ oculis habentem, vt, ſchiſmate ſublato, Chriſti Eccleſiæ foret in tempus omne conſultum.

CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

Quanta auctoritate Ioannes apud Regem Rom.

TAnta præterea erat hujus viri apud Regem Rom. Sigiſmundum auctoritas, tanta fides, tantaq; deuotio, vt eum ſuis omnibus intimioribus conſilijs perpetuò adhiberet, non mediocri aut vulgari, ſed arcta & intima cum Raguſino Cardinali familiaritate ſuſcepta. Mira quoq; ad illum Procerum erat reverentia; ad illumq; veluti ad Patronum, & ſuæ quique ſalutis alumnum confluebant. Itaq; ſi interpretandæ leges, ſi ſtatuta condenda, ſi diſcordiæ componendæ, ſi ſalutaria cõſilia, pro animarũ præcipuè beneficio forent hominib⁹ conferẽda, nemo eo ingenio major, nemo circũſpectione ſolidior, nemo ipſo habebatur illuſtrior. Nulla in gerendis rebus animi ægritudine agebatur, nec hominum gratia plus apud eum valebat, quàm tuitio rerum, quæ ad ejus perferrentur manus; qui ſciret, juſtitiam, quæ omnia refert in Deum, humanos quoſq; reſpectus, vbi animi ſalu-

tem

tem adesse non viderit, abijciendos putare. Cumquè talis esset, ac tantus, vt pro maximis, quæ ad eum deferebantur rebus, immensas posset coaceruare diuitias, vel saltem suis elargiri cognatis, maluit tamen in terra minus egere, quam plus habere, vt ditior, & copiosior esse posset in cœlo, ijs duntaxat contentus, quæ sua dignitas postularet. Si quid autem necessitate majus adesset, id totum egenis, ad quos miro afficiebatur amore, tribuendum curabat. neque è ditiores facere suos, sed illa solùm, quæ viderentur eorum conditioni, atq; fortunis consentanea, eis conferre studebat. Sed & qui apud illum viuebant, tales erant, vt esto quis ignoraret, cujus domini familiares essent, ipsa eorũ compositio, & aspectus, miro eos proderet modo. Tales inquam erant, vt non aulam, sed religiosorum familiam referre viderentur.

CAPVT QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

Sigismundus à Martiuo Pontifice Legatum postulat Ioannem Cardinalem in Hungariam, contra hæreses recèns exortas.

ITaq; ob eas res non poterat Sigismundus ejus familiaritate satiari, quin imò, quò sibi majori quodã nexu copularetur, Pontificẽ postulauit, vt eum Legatum in Hungariam destinaret. Ejus autem legationis causa fuit hæresis, quæ inter ejus regionis fideles astuta se quadam malignitate diffuderat. Capita autem illius hæresis habebantur duo: aliud quidem eorum,

qui

qui de Christi paupertate fidei contraria sentiebant, quæ ortum habuisse Ionnis XXII. temporibus fertur ab ijs, quos Fraticellos vocabant: aliud eorum, qui Nicolaitarum more, fœminarum vsum promiscuum esse volebant, quæ simplicis animæ hæresis dicta est; & cum noua esset, & carnalibus hominibus abundè placeret, mortalium multos infecerat. Ex illis duabus, perditi homines hæresin vnam condentes, & permultos alios subinferentes errores, Boemiam, Hungariam, Poloniam à vera fide auertebant; & in perniciem tantam eruperant, vt inuicem se armis tueri, atq; defendere auderent, tumultusq; multos, & seditiones periculosissimas excitarent. Pro hac igitur hæresi excindenda, funditusque extirpanda, Ragusinus Cardinalis Sigismundi rogatu in Hungariam, Boemiamq; Legatus dimittitur, ad quæ loca, Synodo jam perfecta, vnà cum eodem Rege cùm peruenisset, inuenit hæresin tantoperè confirmatam, multorum Principum, & Procerum fauoribus roboratam, vt nec adhortationibus, nec optimis virtutum exemplis, non solertissimis disputationibus, nec Ecclesiæ interminationibus, aut pœnis à concepta jam pridem pertinacia dimouerentur. Apparebat igitur Viro sancto eos non nisi armis, violentia, & supplicijs esse ad veritatem fidei reversuros. Suadebatq; Sigismundo, vt ex lege in contumaces ageret, paruamq; illam scintillam tempestiuè extingueret, ne incendio postmodum adaucto, nullus esset remedio locus. Noluit Sigismundus seueritatem legum in pertinaces proposita exercere, vana spe adductus aliarum rationū, quibus existimabat aliquando illos ad vnitatem fidei posse reuerti.

CAPVT

CAPVT QVADRAGESIMVMTERTIVM.

Legatus, remedio frustra tentato in hæreticos, Budam se confert, vbi infirmatur, moriturq́.

VBi vidit Ioannes, Rom. Regem in sententia persistere, se verò minimum ibi fructificare, ne sancta canibus videretur dedisse, quibusdam in eis locis interminationibus factis, Budam se recipere statuit, totius Hungarici Regni sedem, vt illam in religione, & integritate fidei catholicæ conseruaret. Sed cum ibi quasi jam animo præsagiret, ociùs sibi vitæ terminum affuturum, multa diligencia, & studio cœpit Diuinis rebus incumbere, vigilijs, orationibus, jejunijs, quotidianaq́; sacrificandi consuetudine, quod sibi temporis superfuisset, insumens. Et quasi publica jam videretur cura liberatus, rem suam incredibili devotione gerebat. Insignis in eo pietas, & miserorum compassio fuit, nulliq́; rei parcebat, vbi cerneret eorum miserijs posse subuenire. Itaq́; egregia illius fama & in ea Vrbe, & circumjacente Provincia breui amplissimè diffusa est, ita vt cuncti eum ob vitæ sanctimoniam, omni reverentia, & honore dignissimum judicarent. Itaq́; sic cursu consummato, cum febri ardentissima correptus, tandem vitæ finem sibi adesse sentiret, ad Proceres omnes, ac domesticos, qui vndecūq́; convenerant, vt in tanti Viri transitu collacrymarent, quasi ei supremum officium præstaturi, in hunc modum lectulo insidentem verba fecisse B. Præsulem scribunt.

Quamuis ego multa, Fratres, & filij mei, in præsenti vita pro mea, & aliorum salute ex Deo consequi desiderauerim, nihil tamen tantoperè concupiui, vt ab hujus miseria carnis dissolvi & esse cũ Christo. Quarum rerum ea quæ sum consecutus viuens, hoc fecit bonitas Diuina, non virtus mea. Quæ verò non sum adeptus, mea potiùs volo existimare causa prouenisse, quàm aliorum. Homo quidem peccator cum fuerim, si me Deus ita non exaudiuit, vt cupiebam, scimus, quia peccatores Deus non exaudit, vt fœlix cæcus ille natus referebat. Quod cum ita sit, vtrisq; & bonis, & peccatoribus, terminus vita desiderabilis esse debet. Bonis quidem, vt laborum suorum præmia, longè meritis suis percipientes majora, bonitatẽ Dei in semetipsis agnoscant: malis verò, vt jam tandem aliquando desinant esse peccatores. Hac ergò extrema causa, non virtutis propriæ confidẽtia, ego peccator opperiebar mortem, cupiebamq; ab his peccatorum nexibus liberari. Quod cum intelligam, me in proximo consecuturum, Deo immensas gratias ago, cujus ope gratiam, atq; misericordiam me habiturum spero. Id vt facilius adipiscar, oro, atq; obtestor, vt si quid aliquando in vobis deliqui, veniam mihi, atq; indulgentiam præstare, atq; condonare dignemini. Cauete autem, ne meiforta ſsis opinione ducti, huic corpusculo funeris pompas, cum è vita excesſero, faciatis insignes; sed, vt Fratrem decet, apud venerabiles illos Sancti Pauli primi Eremitæ Fratres, meum, oro, corpus deponite: ipſi me ferent, & mihi apud Dominum sanctis illis suis orationibus suffragentur. Terræ igitur, tanquam propriæ matri, vos vnà cum eis bos mandabitis artus; funebres autem illas pompas, in suffragia, & orationes pro animi mei salute conuertite. Id enim & Deo erit acceptius, & neceſsitati meæ scio futurum esse melius.

Ad Phil. c. 1.

Io. c. 9.

Quod

Quod autem vobis Fratribus, & filijs meis in hoc meo deceſſu relinquam, nihil inuenio, niſi vt pacis, & fidei ſemper jura ſeruetis, & mei memoriam veſtris orationibus inſeratis. Ea cum dixiſſet Antiſtes, collacrymantibus cunctis, ipſe pariter lacrymatus eſt. Deinde omnibus ad Dominum conſalutatis, & ad pacis deoſculationem vera charitate, atq; omnium, qui aderant, deuotione ſuſceptis, demùm extenſa dextera, Pontificali eos benedictione conſolatus eſt. Et cùm omnia jam & publica, & priuata munera eſſet proſecutus, veluti jam ſuo videretur functus officio, cunctis valedicens (jam pridem ſacroſanctis Sacramentis omnibus deuotiſſimè roboratus) ac ſi ſubito arriperetur ſomno, felix ille ſpiritus relicto corpore, ex hac lutea domo, ad non manufactam, angelicis comitatus obſequijs evolavit. Fuit vir in omni genere virtutis excellens, apud quem in ſpirituali vita omnis mediocritas ſordida ſemper videbatur, & erat.

CAPVT QVADRAGESIMVMQVARTVM.

Funus, & miracula ejus poſt mortem.

IVm verò ad ejus tranſitum commota omnis Ciuitas eſt, omnes artium officinæ occluſæ, ſinguliq; ad ejus funus in multa deuotione, & lacrymis concurrerunt. Præcedebant autem ex more Religioſorum omnium familiæ cordialibus lacrymis plenæ, quæ tanto patrono deflebant ſe jam deſtitutas eſſe, cui ſimilem non exiſtimarent ſe facilè reperturas. Circa vene-

rabile autem corpus ejus ingens erat luminum, ac funalium multitudo, familiareſq; ejus lugubri veſte induti feretrum ambiebant, nec ſegniores illis lacrymæ erant, quàm ſi parentis, aut filij funera celebrarent. Proſequebantur autem funus, magiſtratus primùm, deinde proceres omnes, nobilium poſtremò, & popularium ſexus vtriuſq; innumera multitudo, qui omnes, vt in proprio funere, lamentabantur, atq; dolebant. Deportatumquè eſt venerabile corpus ejus ad templum Sancti Pauli primi Eremitæ, quæ domus in ſubvrbano erat ciuitatis Budæ, ibiq; omnibus ritè perfectis, tandèm inſigni ſepulcro traditum eſt. Miraculis poſt mortem ad ejus tumulum illuſtratum, teſtantur omnes vitæ illius deſcriptores, nemine inficiante.

l. cit. S. Antoninus. *Ad cœlos migrauit ſepultus in monaſterio Fratrum S. Pauli primi Eremitæ, vbi dicitur miraculis clarere.* Io: Carolus, ex quo bonã partem vitæ hujus S. Viri

l. c. ipſis ejus verbis decerpſimus. *Ferunt autẽ ineo templo ad ejus venerabile corpus prodigia fieri multa, plurimaſquè ibi imagines aſtare, prodigiorum teſtimonia referentes, quæ meritis hujus B. Viri fideles eſſent conſecuti.*

li. 4. bibliotheca l. c. Sixtus Senenſis. *Sepultuſq; eſt in templo Diui Pauli P. Eremitæ, miraculis multis coruſcans.*

Ferdinandus Caſtillus. *Parietes ſacelli, in quo corpus B. Viri jacebat, cereis, imaginibus, tabulis, alijſq; monimentis, voti cauſſa, ad annum uſq; Chriſti 1540. quando Turcæ, Buda occupata, ejus oſſa diſſiparunt, ſacraq; omnia violarunt, conſpicui extitere.*

l, c. Io: Michael Plodius. *Sanctè obijt Budæ, Su. Pont. Legatus, ubi gratias, & miracula multa patrauit, pleriſq;*

risq; à variis infirmitatibus ad illius sepulcrum curatis; ob quam causſam sacelli parietes, cereis olim, uotisq; tegebantur. Corpus ejus dispersum fuit, uti etiam omnia sacra pessundata anno 1540. Turcis eam Vrbem occupantibus.

Abraham Bzovius. *Maximam opinionem sanctitatis apud omnes reliquit, quam etiam miracula ad ejus sepulcrum patrata, testata sunt, & merita illius viri apud Deum quanta sint, abundè declararunt.* l. c.

Pro his, quæ referunt Castillus, & Plodius, Turcas, reliquias sanctorum, resq; sacras Budæ pessum dedisse, facit etiam quod nuper scripsit Author libri de Rep. & statu Regni Hungarici, Turcarum Principes, in ea Vrbe, publica balnea (quæ & viuentibus gloriosa, & mortuis sibi salutaria putant) exædificasse, incrustata monumentis marmoreis, quæ antea in templis Christianorum fuere posita, imaginibus tamen, si quæ insculptæ fuerant, resecatis, & toto opere perpolito; et, quæ loca Hungaris, incolumi & florente Buda, uoluptatis domicilia fuerunt, ea religiosè, *superstitiosè*, Turcas ornasse: flagitiosè contra prophanasse, quæ antea fuerant sacrosancta. pagina 61.

Migrasse ex hac luce B. Io. Dominici anno Christi 1418. scribunt S. Antoninus, Sixtus, Bzouius, alijq;, quibus potiùs credendum esse arbitror, quàm Ioanni Carolo, ad annum 1420. & Plodio, semel ad annum 1420. & alias ad 1419. obitum illius referenti præcipuè cùm S. Antoninus illis temporibus vixerit, ac pro magistro suo, viroq; tanto sollicitus, eam temporis circumstantiã non videatur potuisse ignorare. Licet enim ipso anno 1418. absolutum fuerit Concilium Constantiense, illoq; absoluto, ll. c. Plo. p. 1 l. 1. col. 125. & 2. p. l. 2 col. 222

Conc. Const. sessio. 45.

B. Vir cum Sigismundo Romanorum Rege in Hungariam profectus sit, quia tamen absolutio illa fuit die 22. Aprilis ejusdem anni, ut constat ex actis ipsius Concilij, octo adhuc mensium interuallo omnia ea præstari potuerunt, quæ à B. Ioan. Dominici pro legationis suæ munere facta, ac cœtera itidem, quæ ante ejus obitum contigisse narrantur.

Quòd sepultus asseritur in templo S. Pauli primi Eremitæ, est omnium de illo scribentium sententia. An verò Ecclesia illa Ordinis nostri fuerit, non item. Asserit Plodius: sed reliqui, Sanctus cumprimis Antoninus, disertè docent fuisse Ord. Fratrum S. Pauli primi Eremitæ, qui in Hungaria (in qua etiamnùm loca aliquot obtinent) quondam maximè floruere, pietate, domorum, religiosorumq; virorum frequentia. Nec semel id adstruit Sanctus Antoninus, nam alio præterea loco ab illo, quem proximè dedimus, ita scribit: *Sepultus est autem in Ecclesia Fratrum S. Pauli primi Eremitæ regulariter viuentium.* Cur verò apud illos Religiosos B. Ioan. Dominici sibi sepulturam elegerit, caussam reddit Ioannes Carolus, quòd Prædicatorum Ordo Cœnobium tempore illo non haberet in Vrbe Buda. Quæ sanè ratio admitti non potest, cum Budense nostri Ordinis Cœnobium, non solùm dignitate, propter Regiam aulam, Generaleq; Provinciæ Hungaricæ studiũ, sed & antiquitate præcipuum extiterit, quando generalia in ipso Ordinis totius Comitia anno Christi 1254. sub Vmberto Burgundo, V. Generali Ordinis Magistro in eis electo, habita fuere. Regularis fortasse pietas, virensq; observantia, qua tunc, S. Antonino teste, Religiosi illi San-

Plod. p. 2. l. 2. col. 222. V. append. 2. ad Syn. Strig. a. 1629

3. p. tit. 22. c. 7.

cti

cti Pauli primi Eremitæ vigebant, Sanctum virum illexit, vt sua illis ossa cuperet demandata, quò vel ea ratione, suũ in eos amorem, ipse regularis vitæ, quæ ob totius Europæ pestilentiã corruerat, in Ordine suo primus per Italiam reparator, apud omnes faceret, relinqueretquè testatum.

CAPVT QVADRAGESIMVMQVINTVM.

Encomia nonnulla, quibus B. Ioannes Dominici à Sancto Antonino, aliisq; celebratus est.

MIræ sunt laudes quibus B. Ioan. Dominici à viris illustribus commendatur. Sanctus Antoninus inter alia sic ait. *Frater Ioannes Dominici de Florentia Cardinalis Ragusinus, vltra dignitatem eximiam in Ecclesia Dei, in scientiæ, & sapientiæ sermone, ac morum sanctitate effulsit. 16. ætatis suæ agens annum, vel circa, Ordinem ingressus est Prædicatorum, litterarum ignarus, sed egregiæ indolis. Qui otia horrens, totum se studio lectionum tradidit, somni tempus vigilijs occupando. memoriæ tenacissimæ, vt nihil obliuisceretur apprehensum, & perspicacis ingenij, tempore breuiori doctissimus in Logica, Philosophia, & Theologia euasit, nec etiam expers juris Canon. & Matheseos. Qui tamen sub jurejurando testatur in libro, quem Luculam noctis appellauit, se in nulla scientia habuisse Doctorem, unde, quasi alter Augustinus, per se omnia didicit, & intellexit, quæ legere potuit. opera ejus protestantur scientiam ejus. exhibebat in materia, & modo euangeli zandi magnam grauitatem, & quasi Majestatem. Vox ejus sonora,*

quaſi tuba, nec extollebat, nec ſupprimebat, ſed valdè imprimebat, non ſolùm apertè docens, & delectans, ſed & flectens, corda etiam obdurata emolliens. Rariſſimè allegabat Poetas, vel Philoſophos, cùm tamen dogmata eorum in mente haberet, & ſententias eorum, ſed ſacra pagina erat teſtimonium ſuæ doctrinæ, quam nouis, & miris expoſitionibus decorabat. Vitiorum rigidus, ſed honeſtus objurgator. Deuotus, & feruens quotidiè celebrabat. Humilis in habitu, inceſſu grauis, ſtatura magnus, aſpectu gratioſus, pauperibus, & ignobilibus affabilis, mediocribus communis, magnatibus reuerendus. Conſilio magnus ad omnem materiam, facie jucundus, & cum grauitate. Pudicißimus, & circũſpectus, ita ut nunquã ſiniſtra vel minima ſuſpicio de eo oriretur in hominibus. Nec ſolùm ſimplex, vt nemini machinaretur dolos, vel hypocriſim oſtentaret, ſed & rectus, vt aliorum non ſupplantaretur inſidijs. Tantus paupertatis amator, vt non ſolum argentum, & aurum ei deeſſet etiam in via, aut in veſtimentis duplicatis, ſed nec libros ad legendum, & predicandum, nec bibliam poßideret. In abſtinentia cibi, & potus auſterus ſibi, & in vigilijs nimius, vt inſomneitatem aliquando incurreret periculosè, ſingularitates euitans. Zelator religionis etiam in ceremonialibus, in laboribus plurimis, indefeſſus in legendo alijs, in predicando populis, in audiendis confeßionibus. Primus ſuſcitator obſeruantiæ regularis in Italia, quæ jam collapſa erat in Ordine Predicatorum. Defuncto Innocentio Papa VII. à Dominio Florentino deſtinatus ad curiam, vt futuro Pontifici ſuaderet vnionem Eccleſiæ, coram electo Gregorio XII. ſermonem fecit in publico conſiſtorio ad vnionem exhortans, & Ciuitates quaslibet offerens Communitati ſubjectas ex parte ejus, pro loco ad id efficiendum conueniendi,

expleto

expleto ſermone cunctis gratiſſimo, Gregorius, qui ejus & prudentiam, & vitæ ſanctitatem Venetijs nouerat, vt Angelum Dei ſibi deſtinatum ad tantum opus ſuſcepit, nec licentiam ad Ordinem redeundi concedere voluit, ſed non ſe ingerentem, vel ambientem ad ſuſcipiendum Archiepiſcopatum coegit, poſtea etiam eum ad Cardinalatum exaltans. In eo plurimos labores, & perſecutiones ſuſtinuit, factus in deriſum populo Florentino, cui priùs fuerat acceptiſſimus, quia noluit acquieſcere injuſtitiæ quorundam ſatraparum, non ſincerè vnionem tractantium. Sua virtute, & prudentia ſuſtentauit curiam Gregorij. acceſſitq; ad Imperatorem Sigiſmundum in habitu transformato cum paucis tanquam Plebanus, & cum eo tractauit modum ad vnionem efficiendam, quæ demùm ſecuta eſt, cujus non modica cauſa ipſe fuit, à Gregorio vice ſua ad Concilium Conſtantienſe legatus. Peracto Concilio, & vnione ſecuta in Martino V. ibi canonicè in Papam electo, & coronato, ad requiſitionem Sigiſmundi miſſus eſt Legatus in Hungariam, ad extinguendam hæreſim exortam Boemorum. Qui profectus illuc, videns gentem illam obduratam in ea hæreſi, verbis, nec diſputationibus poſſe reduci, conſuluit Imperatori, vt illos gladio exponeret, cum ad huc debiles eſſent in potentia, ne fortè multiplicati poſtea domari non poſſent. Durus viſus eſt Imperatori ſermo iſte, & carnaliter compatiens corporibus eorum ne occiderentur, & regnum illud deſolaretur, non acquieuit fortè ſperans per alium modum ab erroribus reuocandos. Pergens igitur Ioan. Dominici in Ciuitatem Hungariæ Budam, infirmatus grauitèr, ſpiritum ſuum Domino commendans, ad cœlos migrauit, ſepultus in monaſterio Fratrum S. Pauli primi Eremitæ cum honore decenti, vbi dicitur miraculis clarere. Obÿt autem anno Domini 1418.

ætatis suæ 63. Cardinalatus vero sui anno 12. vel circa. Sic D. Antoninus, Sanctus discipulus pro Sancto Magistro suo laborans. Magnæ sanè virtutis argumentum sanctum adeò habuisse discipulum, & ab illo tam seriò commendari: at nec minor S. Ant. gloria, tã S. sortiti Præceptorem.

Ioannes Carolus. *Ioannes Dominici, Raguſinus Antiſtes, ac S. Sixti Cardinalis, vir omnium ſua ætate clariſſimus, ac præſtantiſſimus, cujus ſi Religio noſtra omnis in æuum lacrymis proſequeretur funus, ne minimam quidem ejus meritorum partem certè videretur, vt debuerat, perſoluiſſe.*

Sixtus Senensis. *Ioannes Dominici, tit. S. Xisti Cardinalis, Archiep. Raguſ., patria Florent., Ordine Dominicanus, Antonini Archiepiſcopi Florentini præceptor, vir Sanctitate, ſcientia, & hetruſca eloquentia effulgens, tantaq; ingenij ſolertia, & memoriæ tenacitate præſtans, vt ipſe in libro, quem Luculam noctis inſcripſit, interpoſito juramento affirmet, ſe in nulla ſcientia præceptorem habuiſſe, ſed exemplo Auguſtini, omnes perſeipſum diſciplinas adidiciſſe, & intellexiſſe. Hic cùm ad Concilium Conſtantienſe à Greg. 12. pro unione Eccleſiæ miſſus eſſet, peracto Concilio, & unione inita, hortatu Sigiſmundi Imperatoris, à Martino Papa V. Legatus in Pannoniam mittitur ad extinguendas hæreſes Boemorum nuper exortas. quò profectus, cùm reperiſſet animos ita in hæreſi obduratos, vt nec exhortationibus flecti neq; ullis aut precibus, aut minis poſſent ab incepto reuocari, deſperatis rebus, contulis ſe Budam, Pannoniæ Regiam, ubi mœrore animi contabeſcens, mortalitatem exuit anno Dom. 1418. ſepultus q; eſt in templo D. Pauli primi Eremitæ, miraculis multis coruſcans.*

Ioan. Michael Plodius. *B. Ioan. Dominici, gloria*

Hetruſcæ Prouinciæ, & Sanctæ Eccleſiæ ornamentum. & inter alia: *maledicta, injuriasquè ingenti animo perferebat, nulli vindictæ, ſed ſoli tolerantiæ ſemper intentus.*

Verinus Poeta.

Verin. lib. de illuſtratione Vrbis Florentiæ.

Dominici plebea domus, ſplendore Joannis
Emicat illuſtris, morum probitate, vel ipſa
Doctrina inſignis, vitæq; exemplar honeſtæ
Dominici Sancti, Feſulanam condidit ædem,
Cardineumq; apicem ſola virtute recepit.

In Conventu Feſulano Hetruriæ, B. Ioannis Dominici curâ è fundamentis erecto, viſitur ejus effigies cum hoc Epitaphio: *B. Joannes Dominici de Florentia, Archipræſul Raguſinus, & Presbyter Cardinalis, Regularis vitæ in Italia reparator, ac cœnobij hujus fundator.*

Porrò illud in hoc maximo viro præter cætera commendatione apprimè dignũ, quod in diriſſimo, periculoſiſſimoq; ſchiſmate, quo Chriſti Eccleſia diſcindebatur, tantum divinæ gratiæ munere valuerit, vt S. Antonini teſtimonio (quod & acta ipſa confirmant) magna unionis pars, cauſſaq; fuerit; quamuis etiã ex noſtris, S. Vincentius Ferrarius, Prædicator ille Apoſtolorum ſimillimus, qui ſuis concionibus populos à Benedicti obedientia revocavit, Fr. Leonardus Statius Magiſter Ordinis, Fr. Dominicus Archiepiſcopus Toloſanus, Fr. Petrus Ripa Archiep: Corinthienſis, Fr. Ludovicus Valliſoletanus, Ioannis II. Regis Caſtellæ Confeſſarius, & pro eodem Regno in ipſo Concilio Legatus, Fr. Antonius Acoſta, Luſitanus, & Fr. Ioannes Nucibo, alijq; in eadẽ arena ſtrenuè deſudarint. Vt proinde non immeritò gloriari debeat Hungaria, quòd

Fern. in 3. con. pred. a. 1417 Grav. to. 3. præſer. fol. 305

in tantis neceſſitatibus, per Sigiſmundum, ſuum, & Romanorum Regem, ac deniquè etiam Imperatorem, & per ſuum Raguſinum Cardinalem, adeò validè Eccleſiæ Catholicæ ſubvenerit, vt ferè ipſis, ſecundùm Deum, illa ejus vnionis, paciſquè tranquillitas aſcribatur; quodquè ad cumulum illius laudis, & gloriæ, die feſto S. Martini Sabarienſis, Epiſcopiq; Turonenſis, cujus precibus, & interceſſioni res illas difficillimas Optimus Rex Sigiſmundus ſæpiſſimè commendarat, tantam vnius Eccleſiæ Catholicæ capitis electionem, Deus Clementiſſimus voluerit celebrari.

Haud dubitem, Pie Lector, complures etiam alios viros ſanctitate præclaros ex noſtro Ordine Hungariæ Regnum colluſtraſſe; quanquam hos tantum, quos mea interim aſſequi potui diligentia, vt cunq; deſcripſerim.

PARTIS SECVNDÆ DE REBVS PROVINCIÆ HVNGARIÆ ORDINIS PRÆDICATORVM.

Liber Secundus.

NOn virilis ſolùm, ſed fœmineus etiam ſexus ſub Ordinis Prædicatorum inſignijs in Hungaria gloriosè Deo militauit. Virgines enim, & mulieres Sanctæ, mundi regno, omniq; ornatu, ac delicijs ejus, propter amorem æterni Sponſi Chriſti Ieſu, contemptis, ad ſacra Monaſteria convolantes, adeò ſpiritualis vitæ profectu conatæ ſunt, vt virtutum omnium, ac totius ſanctitatis perfectione conſpicuæ, vniverſis eandem religioſam perfectionem optantibus, exactiſſima ſe ad ævum omne præbuerint exemplaria. Quamuis verò eæ plurimæ, ac ferè innumeræ extiterint, illuſtriores duntaxàt, & quarum memoriam injuria temporum abolere non potuit, ex optimis Authoribus, ſinceriſq; monumentis, ſeruata annorum ſerie, deſcribemus.

De Beata Helena Hungara, Virgine. ob. 1270.

CAPVT PRIMVM.

Vita B. Helenæ prorsus admiranda.

VEsprimium, Vrbs Hungariæ celebris, post Iaurinum, primò Fratres Prædicatores suscepit, cœnobiumq; ad annum Christi 1222. eis extruxit: nec ita longè post, etiam Sanctimonialibus ejusdem Ordinis asceterium sub Sanctæ Catharinæ nomine collocauit: in quo vitam planè cœlestem, & angelicam sanè plurimæ, sed Beata cumprimis Virgo Helena exegit, indequè, mortalitate exuta, cœlestibus choris est adjuncta. Fuit illa natione Hungara, vsq; ad miraculum ferè admiranda, ac Magnæ illius Margaritæ, filiæ Belæ Quarti, Regis Hungariæ, Virginis Sanctissimæ Magistra; cujus sanctitas, quanta, & qualis esset, Christus Sponsus, multis, præclarisquè indicijs ostẽdit. Vehementissima enim Passionis suæ contemplatione correptæ, stigmata sua in manibus, & dextro latere mirabiliter impressit, quæ tamen paulò antequã moreretur, obducta fuerunt. Cũ die festo S. Francisci vulnus dextræ ejus manui imprimeretur, aureus circulus in vola, lilium candidũ inclusum continens, apparuit. Quod cùm aspexit, vociferari haud semel audita est. Ne, quæso, fiat istud mi dulcissime Iesu: ne, oro, istud mi Redemptor appareat. Frequentiùs, cùm oraret, corpore in aera eleuabatur: cœlestes quoq; melo-

diæ

diæ circùm illam perſonantes, nec non Sanctorum plurimi illi colloquentes audiebantur. Crucifixi, & Deiparæ Virg. imagines, ex altaribus, alijſq; locis ad ipſam, vnà etiam in manus, & brachia illius deſcendebant. Lumina cœlitùs accenſa coram illa apparebant: epiſtolæ auro divinitùs in manibus ejus ſcriptæ, legebantur. Nocte concubia orante, & in extaſim rapta, Cruci affixa Chriſti imago ænea ſe à ſtipite explicauit, inq; amplexus Beatæ Helenæ, non ſine ingenti ſonitu delapſa, nulla vi accurrentium Sororum, & admirandum ſpectaculum contuentium, auelli ab ejus brachijs potuit; ſed ipſa die ſequente circa meridiem ſenſibus reddita, eam ſuo loco repoſuit. Ingenti devotionis ardore erga ſacram Euchariſtiam flagrabat; quam cùm à Confeſſario habere nequiret, Saluator ipſe viſibilis ſuis manibus Virgini porrigebat. Spiritu Prophetiæ claruit. Tantæ efficaciæ fuit ejus contactus, vt non tantùm ægritudines corporeas à plurimis depelleret, ſed & herbas aridas virori priſtino reſtitueret, ac floribus vernantes redderet, quas ſtatim convellebat, ne ab alijs aſpicerentur. Fœliciter deniq; ex hac mortalitate migrauit in Monaſterio præfato Sanctæ Catharinæ; cui morituræ, Salvator, magno & admirabili cœleſtium comitatu ſe præſentem exhibuit, & miſcens cum ea colloquia, ad perennem immortalitatem euocauit, evocatamq; multis miraculis illuſtrauit. Paralytici namquè, & contracti, ſanitati reſtituti; obſeſſi à dœmone, liberati; alijq; curati. Propter quorum frequentiam, & magnitudinẽ, cum poſt annos ſeptẽdecim corpus ejus in aliũ locũ transferretur, imprimis, Sepulcro effoſſo, terra aliquot palmos in aere ſuſpenſa ſu

pra

pra ejus cadaver, ne ab ea obrueretur, reperta est. Deinde ex illius corpore cum quidam nonnihil recidere tentasset, viuus sanguis effluxit. Ex vulnere quoq; lateris tunc sua sponte aperto, odorati liquoris vena instar balsami purissimi scaturiuit, quæ totam viciniam fragrantia sua mirum in modum recreauit.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd B. Helena Magistra fuerit Sanctißimæ Virginis Regiæ Margaritæ.

Castill. cent. 1. li. 2. c. vltimo Plod. t. 1. p. l. 3. co. 496 Bzov. t. 13. a. 1270. n. 16. Rast. de Vitis SS. & BB. Or. Prad.

QVæ hactenus dedimus de B. Helena, ex bonis authoribus, Ferdinando Castillo, Ioan. Michaele Plodio, Abrahamo Bzovio, Seraphino Ractio alijsq; accepta sunt. Equibus Bzovius, & Plodius mortuam anno Christi 1270. testantur, ipso scilicet anno, quo & Sanctissima Virgo Margarita, secundùm ipsos, alioq; plures, ex hac vita recessit, cujus fuisse Magistram B. Helenam, Plodius, Castillus, Indiculus ad Ordinis Priuilegia, alijquè tradiderunt. Nec hujus rei fidem elevat, quòd in manuscripta historia vetustissima Vitæ S. Margaritæ, Magistra ejus dicatur fuisse Olympias Comitissa, vt inter colloquendum R. P. Iacobus Nemethi Hungarus, ex Soc. Iesu, objiciebat, neq; enim propterea tantorum authorum testimonium infirmum existimauerim. Cùm enim B. Margarita in Monasterio Vesprimiensi Sacræ Religionis habitū induerit, in eoq; per annos septē (vsq; ad 10. quippè ætatis suæ annum, quando ad Monasterium in insula B.

Virg. Deip. à Bela Rege Patre extructum eſt translata) permanſerit, dubitari nequit, quin Sanctiſſimæ alicujus Matris, quæ in vita ſpirituali, & religioſa, cunctiſq; Ordinis inſtitutis, & ceremonijs exactiſſimè verſata eſſet, diſciplinæ fuerit demandata. Atquè adeò ea indubiè fuit B. Helena, quæ omnium virtutum, & gratiarum decore florebat: quam etiam putem Magiſtram fuiſſe Olympiadis Comitiſſæ, quæ vidua vnà cum B. Margarita monaſterijũ ingreſſa, poſt paucos dies habitum religioſum accepit. Neq; enim vlla ad Ordinem ex ſæculo veniens, ſtatim incipit eſſe magiſtra, quæ vitæ, & perfectionis monaſticæ priùs debet eſſe diſcipula. Eadem tamen ſoror Olympias, vt tanquam nutrix, B. Margar. curam ſemper geſſit, ita in B. V. Deip. Monaſterio, per omnia ejus egit magiſtram (erat enim jam matura ætate, ac prudentiſſima) cui B. Margarita, præcipuo humilitatis exemplo, ad mortem vſquè voluit eſſe ſubjecta. Beata namquè Helena in Veſprimienſi, vt diximus, monaſterio vitam mortalem exegit. Poſtquam hæc ſcripſi, reperi etiam in Petri Ranzani, ex Ordine noſtro Epiſcopi, opere, quòd de rebus Hungaricis conſcripſit, hujuſce rei confirmationem. Is enim, agens per occaſionem Regis Belæ, de S. Margarita, ita ait. *Eſt in Oppido, cui nomen eſt Veſprimium, monaſterium, fama benè, beateq; viuentium præclarum, in quo per id tempus erat multitudo fœminarum Virginũ, Deo caſtè ſanctèq; ſeruientium, ſub regula, & inſtitutis, atq; habitu Fratrum Prædicatorum. Is locus eſt viſus præcipuè idoneus, vbi regia puella Jeſu Chriſti ſacris initiaretur. Ejus itaq; parentes, Deo factæ promiſſionis non immemores, eam illuc honeſto comitatu perductam, Religio-*

Ranz. de rebus Hung. Indic. 15.

ni B. Dominici denouerunt. Suſcepto deinde in tam tenera ætate Virginum habitu, adhibita ei fuit quædam ex illarum contubernio, quæ circa omnes ſeipſam bonorũ operum præbebat exemplum. Ab ea voluit Monaſterij Antiſtes, quam vocant Prioriſſam, educari puellam, ita ut ab ipſa diſceret ſpiritualia cantica, & cætera, quibus conſtitutis horis, ac temporibus pſalleret, vt dignis Deo dicatæ Virgini moribus informaretur. Helenæ illi nomen fuit. Quæ adeò ſanctè omnem ſuam egit vitam, vt, dum viueret, non ſolum multis claruerit miraculis: ſed moriens etiam, ac poſt mortem, vt in hanc etiam diem, ſanctitatis oſtendere ſigna nequaquam deſierit. Vndè & à Veſprimienſibus hodie quoq; Beata Helena nuncupatur. Tali itaq; ſancta puella vſa magiſtra, vitæ illius integritatem imitari, quantum pueriles pati poterant anni, adnitebatur, matremillam appellabat. Quicquid autem ei ab illa faciendum conſtituebatur, ſiue jejunandum, ſiue per noctem vigilandum, orandumq; Deum, ſiue dandam operam alicui vili ſeruitio, vt ſit in Virginum monaſterijs, abſq; vlla mora exequi humiliter, & alacriter, obedienterq; ſtudebat. Hæc Ranzanus, rerum Hungaricarum ſedulus indagator, qui triennium apud Matthiam Corvinum Legatum egit, eiquè opus præcitatum inſcripſit. Notandũ verò potiſſimùm illud, quod ait, vſquè ad tempora, quibus hæc ſcribebat, in Hungaria Beatam Helenam miraculis effulſiſſe. per triennium porrò ad mortem vſq; Matthiæ, cujus & orationem in funere habuit, manſit Ranzanus in Hungaria, ab anno ſcil. 1487. ad annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum nonageſimum.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Monumenta, & authores, quibus B. Helenæ stigmata comprobantur.

IN astruendis stigmatibus corpori Beatæ Helenæ à Christo Sponso impressis, vniversi scriptores vnà consentiunt. Nam præter jam memoratos, breue Chronicon Generalium nostri Ordinis post Constitutionum declarationes, in Fratre Vgone Campano 16. Magistro Generali ait: *Beata Soror Helena de Hungaria, quæ habuit quinque stigmata Christi, & magnæ perfectionis mulier in Hungaria; Sanctimonialis Ordinis Prædicat. fuit. Hujus discipula Beata Margaritæ, Regis Hungariæ filia, similiter sanctimonialis, mirabilibus virtutibus fulsit.*

Indiculus post Priuilegia Ord. à Gen. Magistro Fr. Stephano Vsusmaris edita tit. Virgines, sic habet. *Soror Margarita, & Helena de Hungaria, hæc magistra, illa discipula, & Regis filia, vtraq; virtutibus refulgens. Helena tamen stigmata Domini Jesu in corpore passa est: magnum sanctitatis insigne.*

Et in alio catalogo post Ordinis Martyrologium, jussu Magistri Generalis, Fratris Hieronymi Xavierre, qui postea fuit, Sac. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ita scribitur. *Soror Helena nostri Ordinis Sanctimonialis in Hungaria, Virgo omnium virtutum corona redimita, illud quoq; à Domino pro magno munere est consecuta, vt dolorum quinq; vulnerum*

Domini Noſtri Jeſu Chriſti in corpore ſuo ſentire meruerit.

li. 15. c. 59. Thomas Bozius, de ſignis Eccleſiæ, poſtquàm S. Patriarchæ Franciſco Aſſiſiati divinitùs impreſſa ſacra ſtigmata commemorauit, ſubdit: *Idem contigit S. Catharinæ Senenſi, Helenæ Virgini Hungaricæ, quæ fuerunt ex Ordine Sancti Dominici.*

diſput. pro S. Cath. Sen. imaginibus. §. 8. M. F. Vincentius Iuſtinianus. *Diua Helena Hungarica, præſtantis ſanctimoniæ fœmina, & Diuæ Margaritæ Hungariæ Regis filiæ magiſtra, eiſdem plagis compuncta fuit, vt Leander Bononienſis, & Fœlix Caſtel Francus literis conſignarunt.*

in Voce Turtur. p 2. c. 12. M. F. Dominicus Gravina. *Helena ſimiliter Hungarica ſtigmatibus refulget, cujus diſciplinæ tradita Margarita Regis Hungariæ filia, ad ſummum ſanctitatis gradum peruenit.*

l. 13. hiſtor. Eccleſ. ad an. 1270. n. 3. c. 18. Ioannes Fridericus Mateneſius. *Beata Helena, Virgo Ord. Prad. quæ ſtigmata Domini Jeſu, ipſomet Chriſto imprimente, in manibus, & dextro latere recepit.*

M. F. Hyacinthus Coquetius, in opere verè aureo, quod nuperrimè editum, *Viſcera materna B. Virg. in Ordinem Prædicatorum* inſcripſit, in quo de ſtigmatis, Ordinis noſtri hominibus impreſſis, ediſſerit, idem diſertè confirmat.

Quod & antiqua monumenta, picturæquè teſtantur. Vt enim alia mitram, Ticini, ſiue Papiæ, quæ eſt Galliæ Ciſalpinæ, Inſubriæq; Vrbs inclyta, & olim Longobardorum Regum ſedes, vetuſtiſſima, atq; celeberrima omnium facultatum Academia, hodieq; clariſſima, in celebri templo S. Thomæ, ad altiſſimum fornicis arcum, à

centum

centum quinquaginta circiter annis cernitur Beata noſtra Helena cum ſtigmatibus, quæ recipit à Chriſto Crucifixo, hiſceq; verbis, *Beata Helena de Hungaria, Virgo.* Nec verò eſt, cur quiſpiam ea ſuper re contendat, ſacrorum vulnerum priuilegium ita alicui conceſſum exiſtimans, vt id etiam alijs diuinitùs præſtitum eſſe diffiteatur. Nam, præter alios plures, quorum meminit Iuſtinianus præcitatus, vel ex vno Ordine noſtro ſupra ſexdecim perſonas ex certiſſimis monumentis ijs inſignitas probat Coquetius loco prædicto, videlicet, præter Helenam noſtram, etiam Gualterum iuniorem Argentinenſem, Iacobum Ravennatem, Catharinam Senenſem, Brigittam Barauam, Oſannam Mantuanam, Luciam Narnienſem, Columbam Reatinam, Mariam ab Ajofrin Toletanam, Mariam à Sancto Dominico, Columbam Trocaſani, Catharinam Ricciam Florentinam, Hieronymam Caruallo, Mariam Raggiam, Blancam Guſmanicam, Catharinam Raconiſiam, Vrſulam Aguiriam Valentinam. Lege authorem, mirabere, & ſi amas, lætabere.

Coquetius mat. viſc. c. 18.

De B. Helena noſtrorum quidam ſic ex tempore eecinit.

Quàm benè præciuuit (viuit poſt funera virtus)
Quiſquis is eſt, probat hoc nobile Veſprimium.
Nam (taceo reliquos) Helenæ *decoratur honore*
Cui Diuinus amor ſtigmata ſacra dedit.
Hujus cœleſtem terreno in pondere vitam
Morbida jam, vitæ reddita turba docet.
Balſama quæ lateris ſpirant è vulnere, decunt,
Non aliter redolent lilia, non roſulæ.

F. Hyacint. Schäffler Ordi. Pr. SS. Th. Lector.

DE BEATA MARGARITA, BELÆ QVARTI REGIS HVNGARIÆ FILIA, VIRGINE SANCTISSIMA.

IN gestis Sanctissimæ Virginis istius conscribendis, ob peculiarem, qua erga illam, Dei gratiâ, feror deuotionem, omnem conatum, ac diligentiam adhibui, vt nihil egregium omitterem eorum, quæ reperiri possent apud vitæ, & operum illius scriptores, qui sanè multi sunt, & præclari. Nam ex Ordine nostro de illa scripserunt,

Author vitæ M. S. antiquissimæ hungarico idiomate, quam vnà cum sacris ejusdem S. Virg. Reliquijs, Sanctimoniales, rabiem immaniſſimi Turcæ fugientes, ex Insula Danubiana B. Virginis Deip. Tyrnauiam detulerunt; & à R. P. Iacobo Nemethi, Hungaro, sæpè memorato descriptam, mihiquè commodatam, latinè vertendam curauit A. R. D. Michael Kaldi, Parochus Sopronienſis, ac deinde Lector Iaurienſis, vir omni laude insignis, & Ord. nostri benefactor, ac Pater spiritualis.

Garinus, S. Theol. Doctor, qui ex fuſioribus veraciũ teſtium dictis vitam ejus in compendium redegit Auinione, anno Chriſti 1340. *Apud Surium 18. Ianuar. Indic. 15.*

Petrus Ranzanus, Siculus, Epiſcopus Lucerinus, libro de rebus Hungaricis, in Bela Quarto.

Georgius Eppius, V Vimpinenſis, S. Th. Lector, de Perſonis illuſtribus Ord. Prædicatorum.

Seraphinus Ractius, S. Theol. Doctor, In vitis Beat. Ord. Præd.

Ferdinandus Caſtillus, S. Theol. Doctor, Philippi 2. Regis Hiſpan. Concionator, qui omnium fuſiſſimè, & elegantiſſimè geſta illius conſcripſit. *Cent. 1 lib. 3.*

Ioannes Michael Piodius, S. Theol. Doctor, & totius Status Mediolan. S officij Inquiſitor Generalis. *de Vir. ill. p. 1. l. 3. col. 497. & ſeqq.*

Thomas Maluenda, S. Theol. Doctor, in annalibus Ord. Præd. Centuria prima. *a. 1245. to. 13.*

Abraham Bzovius, S. Theol. Doctor, & Annaliſta Pontificius poſt Cardinalem Barenium. *a. 1270*

Scripſerunt & alij; Laurentius Surius, Carthuſianus, qui Garini ſtylum aliquantisper immutauit. *to. 1. 18. Ianua.*

Petrus Ribadeneyra, Toletanus, S. I. Theol. *2. p. ſeris ſanct. 28. Ianuar.*

Reverendiſſimus Ioannes Tomko, Epiſcopus Boſſinenſis, libro de Sanctis Illyricis, Romæ approbato, & impreſſo. Præter hos authores, qui ex profeſſo Sanctiſſ. Virginis Margaritæ geſta ſtylo proſequuti ſunt, alij plures per occaſionem, & ſtrictiùs illius meminerunt, quos ſuo loco non præteribimus.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Ortus Sanctiſſimæ Virginis Margaritæ.

BEatiſſima Margarita, patre Bela, hujus nominis Quarto, Hungariæ Rege, à Sancto Stephano, decimonono: Avo Andrea ſecundo, Sanctæ Eliſabethiæ parente: matre verò Maria, Theodori Laſcari Græcorum Imperatoris filia, orta eſt anno Chriſti 1242. Ita enim, ex eo, quod vniverſi ferè rerum ipſius deſcriptores affirmant, ſuæ ætatis annos 28. natam, anno Chriſti 1270. ſi ij nec dùm completi, aut vero 1271. ſi completi, obijſſe, ſubducta numeri ratione, colligitur. Cùm vtero geſtaretur, graſſantibus tùm per Hungariam Tartaris, votum Parentes ejus emiſerunt, ſi Deus Regnum liberaret, & filiam impertiret, eam Sacrarum Ordinis Prædicatorum monialium cœtui, ſe perpetuò conſecraturos, cùm primis, quòd nulla è Regia Hungariæ ſtirpe monialis, religionis intuitu monaſterium primùm ingreſſa, retroactis temporibus extitiſſet. Licet enim Helena, filia Belæ II. qui cœcus eſt dictus, in Egmundenſi Monaſterio jam multò antea vitam duxiſſet, non tamen ex primaria Deo vacandi intentione, ſed ſuæ potiùs cuſtodiæ cauſſa illud ingreſſa; quanquam Deo poſtea inſpirante, ſacram ſit Religionem amplexa. Audivit Deus pias preces, & filiam conceſſit, ac deniq; Hungariã etiam à Tartaris liberauit. Neq; enim verum illud eſſe poteſt, quod aliqui ſcriptis tradiderunt, Tartaris à Rege Bela de-

Caſtill. & Ribad.

victis,

victis, & ex Hungariæ Regno depulſis, natam Sanctam Margaritam, cùm Tartari ab anno 1242. per triennium regnum illud incendijs, rapinis, cœdibuſq; adeò devaſtarint, vt Bela ipſo anno 1242. ingenti prœlio, quo maxima pars nobilitatis Hungaricæ, cum innumera plebe concidit, fuſus, fugatuſq; in Dalmatiam cum Conjuge, Proceribus, & gaza ſe receperit, ibiq; tamdiù delituerit, quoad Tartari ad ſuas ſedes rediere, vt ex Hungaricis, Poloniciſq; annalibus Maluenda benè notauit. Quare votum, à Bela, & conjuge Maria conceptum, illud fuit indubiè, ſi Deus Hungaricum Regnum à Tartarorum oppreſſione liberaret, ipſiſq; reſtitueret, natam ex ſe filiam Deo in Religione Dominicana conſecraturos, quod & factum. In Dalmatia, in Arce Cliſſienſi, in qua Reges poſt fugam degebant, editam Infantem, haudquaquam ambigimus; Deo, tam inſigni prole, aliarum duarum eorundem Regum Catharinæ, & Margaritæ filiarum, morte in eadem Arce, ipſo anno 1242. ſublatarum, jacturam compenſante. extat enim, Tomko teſte, ſupra portam majorem nobiliſſimi templi, olim à Diocletiano Principe impuro Jovi dicati, jam verò Chriſtiana pietate Metropolitanæ Eccleſiæ in Spalatenſi Vrbe decori, tumulus, carmine (quod hujus rei fidem faeit) more illorum temporum hujuſcemodi addito.

Malu. a. 1245 c. 18.

Catharina fulgens, & inclyta Margari-
Jn hoc tumulo jacent abſquè vi- } *ta.*
Bela Quarti filiæ Regis Hungaror-
Ac Mariæ Laſcari Regis Græcor- } *um.*

A perfidis

A perfidis Tartaris erant tunc fuga
Mortua in Cliſsio, ac Spalatum translata } *id.*
Sub annis Domini mille cum ducent
Quadraginta duo insuper prabens legent } *is.*

Bapt. Aegnatius in Theod. Lascaro.

Ex quo obiter colligere licet, non rectè ſcripſiſſe Aegnatium, Theodoro Laſcari ſolam Irenem filiam fuiſſe, quam Ioanni Batazio in matrimonium junxit. Apparet etiam, poſt Catharinam, & Margaritam extinctas, atq; adeò non ante annum 1242. Beatam noſtram Margaritam in lucem prodijſſe. Id enim nomen Margaritæ repetitum indicare videtur, quo parentes dilectæ filiæ defunctæ memoriam, in ſacro Baptiſmate (vt conſuetudo obtinuit) innouare voluerunt. Quòd autem Margaritam potiùs quam Catharinam innovarint, ea fortaſſe ratio fuit, quòd jam tunc ob caput S. Margaritæ Virginis, martyriſq;, ex Oriente ab Andrea Belæ parente delatum, præcipua ad Divam illam Reges incitarentur pietate; ſi non jam inter patronos, ac tutelares Hungariæ delegerant, vti nunc factum videmus.

CAPVT QVINTVM.

Educatio pietas, ac prophetia in tenella ætatula.

IGitur anno prædicto ad finem vergente nata B. Margarita, & more juſtituto; regio, inſigniq; cura, & pietate educata, à prima jam ætatula ingentibus diuinæ gratiæ muneribus ita excelluit, vt præter tenellam corporis ſtaturam, oriſq;

habitum,

habitum, vix vlla infantis veſtigia in illa extare viderentur. Quare adhuc bimula, Patris victoriam contra Ducem Auſtriæ, per Spiritum Prophetiæ prædixit, vt alio loco narrabimus. Cùm annum tertium puellula ageret, Regina Olympiadem Comitiſſam, relictam Comitis Thomæ Bodomarei, fœminam prudentiſſimam, accerſiri curauit, eiq́; filiam Margaritam ex tunc educandam, cuſtodiendam q́; tradidit; quam illa curam, ingentem fauorem, & gratiam arbitrata, libentiſſimè ſuſcepit. Inde poſt ſex menſes, Regina, aſſumptam filiam cum Olympiade, Veſprimium ad Monaſterium Sanctæ Catharinæ, in quo Sanctimoniales agebant Ordinis Prædicatorum, induxit, ibiq́; (inſtar vereris illius Annæ, Elcanæ conjugis, quæ ſuſceptum ex voto Samuelem, cùm jam eſſet ablactatus, in domum Dei adductum, ei perpetuò dedicauit) ſanctam prolem, Deo, Beatiſſimæq́; Virgini Deip. vt cum Rege vouerat, obtulit, & conſecrauit: iterumq́; illam Olympiadi commendans, rogauit, ne eam deſereret, ſed ſimul in monaſterio commaneret; quod illa promptiſſimo animo exequuta, quarto deinde die ſacra Religionis indumenta ſuſcepit. Vix credi poſſet, quanto à toto cœnobio Sancta Virguncula excepta fuerit gaudio, cujus cum ætate, virtus, ſingulariſq́; pietas in dies augeſcebat. Dimidij anni ſpatio preces horarias Beatiſſimæ Virginis Deip. non ex codice, ſed ab alijs ſacris Virginibus pſallentibus duntaxat auditas, perfectè memoriæ mandauit, ac recitauit. Ludos pueriles, quibus illa ſolet ætas gaudere, reſpuens, alijs ludentibus, orationi vacabat. Quòd ſi vrgeri ab alijs puellulis videretur, dicebat, mecum venite, 1. Reg. c. 1.

& templum priùs ingreſſæ, B. V. Deip. Angelicam precatiunculam recitantes, ſalutemus: deinde luſitemus. Nulla recapiebatur niſi feria, nullis aures accommodabat, niſi grauibus, & ſpiritualibus. Crucem aliquando conſpicata, cœpit, quid rei eſſet, ex ſororibus ſciſcitari. Illis ajentibus Signum eſſe Crucis, in qua Deus Dei filius, carnem humanam indutus noſtræ cauſſa ſaluris, prerioſum ſanguinem ſuum fudiſſet, ad eam protinùs accurrit, ibiq; proſtrata adorauit, amplexibus excepit, oſcula fixit, elataq; ad Crucifixum voce, dixit, Me tibi perpetuùm, Domine, credo, atq; committo.

CAPVT SEXTVM.

Quadrimula S. Ord. Præd. ingreſſa, Virtutibus fulget.

IAm verò quadrimula, exoptatum ſacræ Religionis habitum popoſcit & flagitauit, eumquè tanta grauitate, & reverentia ſuſcepit, vt circumſtantes dederit in ſtuporem. Quo ſuſcepto, juxta ætatulam, ſumma cum pietate ad omnem religioſam obſeruantiam vitam inſtituebat. Potiſſimè verò precibus operam dabat; à quibus cùm magiſtra, ne corpuſculum plus nimio gravaret, cuperet quadantenus revocare, tamdiù plorauit, donec ipſa lacrymis puellæ innocentiſſimæ victa, liberam ei faceret in oratione perſeuerandi poteſtatem. Porrò quinquennis, vbi vidit cœteras Sorores cilicia ad carnem geſtare, mòx virtutis æmula, quaſi ætatem pœnitentiæ opportunam ageret, à Ma-

giſtra

giſtra, vnum ex his ſibi geſtandum ardentibus adeò precibus depoposcit, vt ei cedere neceſſe fuerit, quamuis, ob corpuſculi teneritudinem, ne conficeretur adhuc immatura, id illi poſtea ſit ademptum. Sed nec ſic conquieſcere potuit, quin cilicino funiculo vteretur, eo virgineos lumbos ad nudam cuticulam incingens. Summoq; deſiderio præſtolabatur, quò tandem vegetiori ætate cilicinam veſtem poſſet aſſumere. Hinc vbi ſeptimum ætatis annum attigit, aſperâ ſatis aſſumptâ, in Adventu Domini, Quadrageſima, Jejunijs quatuor temporum, Vigilijs ſolemnitatum Chriſti, & B. V. Deip. Apoſtolorum, & præcipuorum Sanctorum corpuſculum afflictabat. Cernens etiam Sanctimoniales, potiſſimùm à Completorio, ſanguine, propria, & aliena peccata expiantes, ſeſe flagellis acritèr cœdere, ad Magiſtram humiflectens, flagellum inſtanter depoſcebat, tùm in ſacriſtiam ſecedens, ſeipſam validè pro viribus vellicabat. Viliſſimis veſtibus lætabatur; quæ ſi è meliore materia ei darentur, deferre eam pudebat: ſi verò à Præfecta geſtare juberetur, lotione ſcutellarum, & vaſculorum, in culina quàm citiùs maculare ſtudebat. Si quando Regis filia vocaretur, maledictũ, & probrum objectum ſibi eſſe cum lacrymis querebatur. Quantam mihi, mea Mater, (dicebat Magiſtræ) faciunt injuriam: namq; me Regis filiam appellant. Mirandum proinde non erit, B. Margaritam perfectionis religioſæ ſtructuram ad ſublimia adeò evexiſſe faſtigia, quæ in humilitate, ejuſdem immò etiam Chriſtianæ perfectionis alphabeto, tàm ſolida, profundaq; à tantilla ætate jecerit fundamenta.

CAPVT SEPTIMVM.

In nouum Monaſterium à Patre extructum inducitur.

HÆc, aliaq; id genus, Sanctæ Virginis Margaritæ egregia fuere in Ordine tyrocinia, quæ vbi parentes ejus notare cœperunt, ad inſulam Danubij, quæ priùs Leporum, ab eo tempore B. Virginis, ac poſtmodùm Beatæ etiam Margaritæ Inſula nominata eſt, Monaſterium inſigne, ad Dei, Beatiſſimæq; Virg. Deip. Mariæ honorem è fundamentis erexerunt, & ad finem perductum, regijſq; muneribus locupletatum, conſecrandum curarunt. Ad hoc Sancta Margarita, annum decimum ſuæ ætatis agens, ex Monaſterio Veſprimienſi cum nonnullis pijs alijs Sororibus devecta eſt. Ex ijs, vt colligere eſt ex indiculo Sororum pro proceſſu Canonizationis S. Virginis, quem inferius deſcribemus, fuerunt Sorores, Catharina, quæ jam ſupra annos triginta in Veſprimienſi Cœnobio vitam egerat, prima B. Margaritæ latinitatis Magiſtra : Eliana, quæ tantundem temporis ibidem vixerat. Agatha Veſprimienſis, Alexandra, Benedicta, Cæcilia, Helena. Eliſabetha, filia Sor. Olympiadis, Socia B. Margaritæ, ſimul enim ex vno libro ſtuduerant, ſimul tàm in choro, quàm alibi manſerant. Iudith, quæ etiam S. Margaritæ Socia fuerat, ſimulq; colloquentes, quid legiſſent, viciſſim examinabant, & oratiunculas perdiſcebant. Fortaſſis & aliæ ex eodem Monaſterio, quæ ad meam notitiam non venere. Fortè etiam plures ſub no-

vum

vum recentis cœnobij incolatum ad ſacrum habitum ſunt receptæ, vt ex eodem indiculo facilè colliqueſcit; nam & brevi tempore adeò excrevere Sorores, vt numerum ſeptuagenarium implerent. Cui verò ex Ordinis Fratribus Sanctimonialium præfectura, & cura tunc primum demandata fuerit, hactenus non legi, niſi quòd Ranzanus ſcribit, Fr. Vmbertum, virum pientiſſimum (qui inter, eos recenſetur, quos antiquitas Beatorum vocabulo indigitauit) eruditiſſimumquè, à Bela Rege vocatũ, Monaſterio fuiſſe præfectum, idq́; muneris vſquè ad Sanctiſſimæ Margaritæ in Ordine profeſſionem, adeoq́; biennium tenuiſſe. Verba ejus ſunt. *Abſoluto igitur opere, accerſit in Hungariam Vmbertum, Theologum doctiſſimum, ac religione præſtantem, qui per illud tempus erat Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter. Huic Rex, & Regina, à ſe conſtitutum tradunt Monaſterium, petuntq́; vt ab illo eorum filia à Veſprimienſi ad hoc in Inſula, quam dixi, ſtructum cœnobium transferretur, adhiberenturq́; ei ex omni numero ſelectæ, quot viderentur eſſe neceſſariæ, atq́; vtiles virgines, cum quibus Deo, Beatæq́; Mariæ in Sancti Dominici Religione famularetur. A templo autem in honorem B. Virg. condito indidit Rex loco nomen, vt diceretur Inſula S. Mariæ, quæ antea vetuſto vocabulo inſula Leporum cognominabatur: quamquam eam hodie vulgus B. Margaritæ inſulam vocitant. Vmbertum, vt talem, tantumq́; depoſitum theſaurum diligenter fideliterq́; ſeruaret, illi Monaſterio præfecerunt Antiſtitem, qui regiam, ſanctamq́; puellam, ac cœteras Deo dicatas Virgines regeret, ita ut illæ, non quæ ſunt mortalis hujus vitæ, ſed, quæ eſſent cœleſtia, ac futura beatis parata bona, aſſiduè, & quantum pateretur humanæ im-*

becillitas,

becillitas, meditarentur. Quod & ille mirum in modum exequi studuerunt. Et quanquam inter se, benè sanctè q; viuendo, plurimùm certarent, quænam ex ipsis esset, quæ Deo seruiret feruentiùs: comperit tandem earum prudens Antistes, Beatam Margaritam, in cunctis, quæ essent puritatis, sanctitatisq; atq; integritatis vitæ, cæteris antecellere. In Hungaria verò tantus vir, rogante, suadenteq; Rege, tamdiù demoratus est, donec Sancta puella peruenit ad duodecimum annum ætatis, quo idonea esset, & decreto Sanctorum Rom. Ecclesiæ Patrum de more profiteretur Religionem. & cœt. Sed planè hæc Ranzani narratio in aliquibus vera esse non potest; nam tempore ingressus B. Margaritæ in novum Beatissimæ Virginis Deip. cœnobium, anno nimirum 1252. quando illa agebat decimum ætatis annum, Vmbertus, Ordinis nostri Generalis Magister adhuc non erat, qui biennio post, anno 1254. in Capitulo, Budæ, Hungariæ vrbis præstantissimæ celebrato (post mortem B. Ioannis Teutonici, qui obijt Argentinæ 1253. pridie Nonas Nouembris) inijt Magistratum, vt nostri Ordinis annales perhibent vniuersi. Idem etiam Vmbertus, ex Prouinciali Franciæ factus est Generalis, vt ijdem tradunt annales: non igitur tempore illo potuit in Hungaria Sanctimonialium curæ præesse. Itaquè cui tunc primùm ex Patribus cura illa sit demandata, mihi hactenus non est omninò exploratum quamuis dubium non sit, virum omni sanctitate, & eruditione præstantem ad eam fuisse delectum. Plurimo fanè tempore Fr. Marcellus, qui etiam Hungaricam Prouinciam moderatus est, B. Margaritæ spiritualis Magister, ac ductor fuisse, in ejus vita M. S. haud semel traditur:

num

num verò à principio ingreſſus ejuſdem S. Virg. in novum monaſterium, eam curam ſuſceperit, non memini me legiſſe. Quod autem biennio tranſacto, duodecimo ſcilicet ſuæ ætatis anno, ſolemnem Religionis profeſſionem B. Margarita Soror emiſerit, & quidem in manus ejuſdem Vmberti, Generalis jam electi in Capitulo, habito in Hungaria, petentibus Regibus, vt eò Profeſſionis ſolemnitas eſſet auguſtior, & ipſorum in Ordinem amor, charitaſquè teſtatior, concors ſcriptorum omnium ſententia eſt. In ipſa porrò ſolemnitate Profeſſionis, Bela Parens, regia Deo, Deiparæq; Virgini munera obtulit; è quibus adhuc viſuntur candelabra duo ex lapide pretioſo jaſpide, calix cũ patena, lõgitudine duorũ palmorũ, & ampliùs, latitudine ampla, vnionibus, auriq; pigmẽto inſignitèr ornatus: veſtes ſacerdotales, quas caſulas dicunt, auro, gemmiſq; rigentes, in quibus Crucifixi extat imago, pretioſis margaritis, vnionibuſq; conſtructa: quæ ſecum moniales noſtræ, cum B. Margaritæ reliquijs, alijſquè rebus charioribus, ex Inſula Danubij, à facie inhaniſſimi Turcæ fugientes, olim Tyrnauiam, ac demum Poſoniũ, (eò translatæ) ab an. circiter vigeſimo detulerunt. De ipſis Sanctimonialibus, quæ fuerint B. M. Magiſtræ, dictum.

Sup. à pagina 114.

CAPVT OCTAVVM.

Profeſſa, quàm egregiè virtutibus claruerit.

IGitur Ordinem S. Margarita profeſſa, tàm multis atq; excelſis claruit virtutum inſignibus, vt non modò Sororibus reliquis, ſanctæ obſer-

vantiæ, totiusq; perfectionis exempla præberet: sed & virgines alias, atq; matronas genere illustres, magnatum, ac Principum conjuges, ex omnibus regni partibus pertraheret, quæ de illius moribus vehementer ædificatæ, partim idem vitæ genus amplectebantur, partim ejusdem sepietati, ac precibus demississime commendantes, ad plagas suas remigrabant. Sive enim corporis castigatione, sive moderatione affectuum, sive constantiæ, justitiæ, prudentiæ, religionis, proximi, Deiq; dilectionis, cunctarumq; virtutum, donorum, & gratiarum Spiritus Sancti ornamentis adeò excellebat, vt ejus vnica vita totius rectè viuendi rationis compendium, & exemplar exactissimum omnibus esset, & porrò sit. Vulgaribus, monasterio consuetis cibis, ijsq; nusquam priuatim, sed in communi semper refectorio vtebatur, nisi matre, vel sororibus monasterium visitantibus, & id sanè quàm rarò, nec nisi obedientiæ vi à Matre Priorissa adacta. Quod si cibus delicatior, aut paulò generosius vinum sibi apponeretur, respuebat. Crebrò mensæ cum reliquis assidens, majori temporis parte, quo illæ vescebantur, obvelata facie, secum tacitè perorabat. A festo exaltationis Sanctæ Crucis vsq; ad Pascha, pro more Ordinis, quotidie jejunabat. Si quando Priorissa, eam, quòd esset imbecillæ, tenerrimæq; constitutionis, cogere vellet vti dispensationibus, tamdiù plorabat, donec illa lacrymis victa, jejunare permitteret. In pervigilijs solemnitatum Christi Domini, Pentecostes, Beatissimæ Virg. Deip. Apostolorum, aliorumq; Sanctorum celebriorũ, per totam etiam Quadragesimam, & omnibus totius anni quartis, & sextis ferijs, vt plurimùm so-

lo pane,

lo pane, & aqua contenta, jejunabat. Toto triduo ante Paſcha nihil omninò cibi, vel potus deguſtabat. A carnibus toto vitæ tempore abſtinuit, niſi graui, patenteq; infirmitate detenta. Ægritudines namquè ſuas omni diligentia occultabat, ne propter eas hærere in valetudinario, & carnes ſumere cogeretur. Quare grauem aliquando fluxum ſanguinis per dies quadraginta perpeſſa, interfuit eum reliquis communi cœnaculo, cubauit in dormitorio, omniaq; monaſterij officia, perinde ac ſi ſana fuiſſet, obiuit, id vnica ſecretò reſciente Sorore, cui vetuit, ne alijs ediceret.

CAPVT NONVM.

Lecti veſtiumq; aſperitas, cilicij, & diſciplinarum uſus.

ANte lectum, quem alijs perſimilem habebat, expanſo ſuper pauimentum corio, lapideq; pro cerulicali appoſito, tantillum quieſcebat: quamquam cum ad matutinas preces media nocte conſurgendum erat, tunc lectum intraret, vt ita ſemper lecto jacuiſſe crederetur. Lineis ad carnes nunquam uſa eſt. Veſtes, quibus induebatur, viliores, rudiores, aſperioreſq; erant veſtibus cœterarũ, quas nunquam per totam quadrageſimam, rarò etiam admodùm alijs temporibus permutabat. Inde propter vetuſtatem, longioremq; illarum uſum, ſordium, vermiumq; moleſtijs afflictata, cùm rogaretur, vt mundari, ac repurgari eas ſineret, dicebat, Ne ſit, diſectiſſimæ Sorores, iſta res vobis curæ. Permit-

tite, quæso, corpus meum, amore Domini nostri Christi Iesu, ab his vermibus lacerari. Quod obsequium adeò ipsi Sponso Christo perplacuit, vt cuidam ex Seraphico Ordine S. P. Francisci Religioso, præ cæteris, sanctitatis fama præstanti, in visione ostenderet, vermes illos in uniones, lapillosq; pretij inæstimabilis, quibus exornaretur Virgo Sancta, permutatos, sicut ipse aliquibus postea reuelauit. Apparet hinc, non esse in quibusdam genium vnum omnium Sanctorum, cùm aliquibus sordes semper displicuisse, alios autem cum multo merito eas non abhorruisse legatur: quod exẽplo vno, vel altero ostendere non erit difficile. Nam de S. Simeone Stylita scribit Theodoretus, cum S. Meletij Episcopi iussu catena quadam ferrea, qua erat sponte alligatus, à fabro solutus fuisset, pelleq; hirsuta, qua tibiã texerat, ne rigor ferri eam morderet, ablata, plusquam viginti ingentes cimices, qui in ea nidificarant, & continuis Sanctum virum morsibus cruciarant, fuisse repertos, quos tamen tortores adeò multos invicta patientia tulit, vt ad nova tormenta pro Christo ferenda se præpararet. Et de S. Thoma, Cantuariensi Archiep. legimus, vbi sacrum ejus corpus post mortem Clerici suis vestibus exuissent, asperum repertũ cilicium nudis ejus artubus appressum, quod, vt erat densissimum, sic à collo ad vsquè genua erat protensum, totquè pediculis scatebat, vt qui tot mordaces bestiolas de suo corpore pauisset, novum sustinuisse martyrij genus videretur. Mitto hujusmodi sordes, propter Deum, lubentem, gaudentẽ S. sustinuisse Seraphicum Patriarcham Franciscum, quicquid aliquis ex Theologis contenderit inficiari.

Theod. li. SS. PP. c. 26.

Ribad. 29. Decemb.

V. Cæsar. l. 11 de locis c. 6. Malm. a. 1219. c. 25.

A duo-

A duodecimo ætatis anno, asperrimum cilicium, de setis equinis, porcinisq; multis nodis, retis instar, contextum, semper gestauit, sub quo ferreo cingulo duorum digitorum latitudinis (quod adhuc Posonij apud Clarissas cum particulis cilicij, & flagellorum cernitur) lumbos arctissimè præcingebat. Porrò ad cilicij molestias hilari, jucundoq; animo perferendas, animata vehementer fuerat S. Thomæ, jam memorati Archiepisc., & Martyris exemplo, quem vestem cilicinam, sibi à Beatissima Virgine Deipara collatam, ad nudam carnem, à collo ad talos vsq; deferre solitum intellexerat. Proinde Sorores ad cilicij frequentiorem vsum cohortari solebat. Soccos, siue calceos, clauiculis quibusdam ferreis, cum Sorore Agnete ita sibi concinnarat, vt, sive staret, sive incederet, pedum plantas pungerent, & cruentarent: quæ interim, quasi rosarum flores calcaret, amore Christi Sponsi succensa, lætabatur. Disciplinas, & flagellationes, quarum oblectamentum à tenella ætate suxerat, adeò jam grandiuscula frequentauit, vt corpus suum, flagellis, ex virgis, asperis sentibus, spinis herinaceis confectis, acritèr singulis noctibus verberaret. Potissimùm autem in Parascene, Natiuitatis Christi Dom. Assumptionis B. Virg. Deip. & solemniorum festiuitatum pervigilijs durè adeò se cœdebat, vt ex tenerrimo ejus corpusculo sanguinis riui copiosè manarent. Mirum proinde erat, vnde tantum illi supperetet sanguinis, quem adeò frequenter, largèq; fundebat. Si fortè viribus destituta, aut debilitate brachiorum (exqua quatuor ante obitum annis præcipuè laborauit) nequiret in seipsam flagris animadvertere, Socias advocabat, à qui-

bus id obſequij acciperet: & licet horrerent, ejus tamen in re hac authoritati contradicere non auſæ, obtẽperabant inuitæ; inter cœdendum, non abſq; magno commiſerationis affectu lugentes. Inter eas verò Sorores, quas ea de cauſſa vocare ſolebat, recenſentur, Eliſabetha, Olympiadis filia, cui dicebat, tunde me fortiter, & acriter ſine compaſſione flagella: Benedicta, quæ illam vſq; ad graviſſimam ſui defatigationem aliquando cœcidit: Sabina, cui plura arcana fidentiùs S. Margarita committebat. Propterea mirabile quid in hoc genere coràm illa diuinitùs factum eſſe narratur. Semel S. Margarita ad ſecretiorem locum in denſiſſimis tenebris cum Sor. Sabina, vt ibi manibus ejus flagellaretur, intrauerat: quando copioſa lux de cœlo deſcendens, locum illum adeò illuminauit, ac ſi ſol intra illius parietes radios ſuos cohiberet, tamdiùquè manſit, donec acri verberatione expleta, ſuas Virgo Sancta veſtes aſſumpſit. Semel, Chriſti comprehenſionem, & alligationem vehementiùs conſiderans, cum Sorore Anna reſtes canabinos elaborauit: dein rogauit eam, vt ijs brachia ipſius nuda ligaret, arctiùſq; conſtringeret: quod Anna (quamquã coacta illius imperio) ita præſtitit, vt tenerũ S. Virginis corpuſculũ propè diſcindi videretur.

CAPVT DECIMVM.

Virginalis puritatis cultrix inſignis.

VIrginitatem corporis, & animi illibatam ad ſupremam uſq; vitæ horam cuſtodiuit. Pudoris ita amans, vt balnea, corporiſq; lauacrum nunquàm admiſerit, nec pedes ſupra talos

perluerit.

perluerit. Magnorum propterea Principum Poloniæ, juxta Bzouium, & alios, Regis: juxta Garinum, & Ribadeneyram, Ducis, cum S. Virgo adhuc septem circiter esset annorum: deinde, majori ætate, Caroli Regis Siciliæ, & præterea Regis Boemiæ, qui sibi illam Sponsam magnis votis depoposcerant, nuptias constantissimè refutauit. Quòd Regem Boemiæ attinet, Ranzanus dicit fuisse Georgium: belli tamen, de quo statim, circumstantiæ, Othocarum videntur indicare. is enim fuit, qui ad annum 1260. Bonfinio teste, cum Bela pugnauit, quo etiam anno, vt M. S. codex vitæ B. Margaritæ tradit, de illius cum Rege Boemiæ conjugio vehementiùs est actum. Etenim cùm Rex Bela, & Rex Boemiæ post grauissimum bellum in finibus Hungariæ gestum, in quo Hungari cæsi, & fugati sunt, ad prænunciatum annum 1260. pacem iniuissent, in signum pacis, ac fœderis, Rex Boemiæ Regi Belæ, de more amicorum, dona, & munera largitus est. Bela verò, unàq; Conjux illius, post alia, quibus Boemum honorificentissimè exceperunt, eum ad B. Virg. Deip. monasterium deduxerunt, filiam Margaritam inuisuri. Quam Boemiæ Rex primùm intuitus, specioso formæ illius decore oblectatus, sui impotens, cœpit deperire. Præclara namq; pulcherrimaq; corporis forma, ac venustate, quamuis rudi, laceroq; amictu, S. Virgo fulgebat, longèq; pulchriùs, humilitate, cunctarumq; virtutũ splendore micans Angelũ præferebat, agens tunc ætatis annum decimum octavum. Affirmabat Boemus, se, regnumq; suum Belæ subjectum iri, modò sibi Margaritam desponsaret. Ajentiq; Belæ, hanc ejus voluntatem, petitionemq;

Bonfin. dec. 2. l. 8.

tionem q; irritam esse, quòd virgo, quam optabat, jam esset ab infantili ætate, immò & antequam nasceretur, Deo consecrata, jamq; ante plures annos Ordinem Prædicatorum professa: reponebat ille, id haudquaquam obstare, quòd impossibile non esset, ab Apostolica Sede super eo vinculo dispensationem obtineri, quemadmodum non semel in consimili rerum statu fuerat impetratum. Tùm Bela, bona pacis, tumultuum, & procellarum sedationem, vim armatam Regis Boemiæ, contra insultus Tartarorum (quorum instantem reditum tùm anxius trepidabat) opportunam considerans, multis præterea cùm muneribus, tùm pollicitationibus victus, Boemo dixit: si mea filia Margarita, prætia summi Pontificis dispensatione, in connubiũ consenserit, annuam & ego petitioni tuæ. Nec mora. Procuratur ocyssimè dispensatio. Accedens deinde Margaritã Bela, præsente Regina, connubij illius bona in tantis præsertim regni necessitatibus, recensere, Pontificis facultatem præsto esse, assensum virgere. At Virgo Sancta, cœlestis, immortalisq; Sponsi amore, cui se per omnia consecrarat, terrenum, periturumque sponsum promptissimè repudiauit. Christus namq; illam, opem, & gratiam suam lacrymis, precibusque continenter implorantem, ab omni sæculi hujus amoris æstu illæsam ita seruauit, vt à Sancto proposito diuelli non posset. Cum autem Rex ea de causa sæpiùs eam visitaret, multisq; aliquando verbis ad assensum eam pellicere conaretur, S. V. honoro, humihq; sermone parentem sic allocuta est. *Dilecte parens, quid frustra laboras? Desine, rogo, carnalia mihi conjugia proponere. Tu namq; à primis meæ ætatis annis,*

immò,

immò, & antequam naſcerer, me Ieſu Chriſto deſponſaſti. Nunc autem Deo facta promiſſionis oblitus, ita mutaſti ſententiam, vt horteris me, abdicato cœleſti Sponſo, violatáq; mentis, & corporis puritate, nubam homini peccatori. Religionem, quam profeſſa ſum nunquam deſeram; corporis, mentisq; mundiciam, quam regum Regi dedicaui, nunquam maculabo. Memoria teneo, cum tu, agentem ſeptimum ætatis annum, Polonorum Regi me deſponſare tentaſti: credo equidem te meminiſſe, quid tunc tibi reſponderim. Dixi enim, illi me, dum viuam, velle ſeruire, cui me Sponſam abineunte ætate deuouiſti. Quòd ſi tua voluntati, quæ adverſabatur juſtitiæ, nequaquam geſſi morem, aſſentiam ne tibi nunc, cum ætate ſim grandior, atq; adeò ſua facta cùm prudentior, tùm præcipuè gratiæ diuinæ capacior? Deſine igitur, Pater, me à propoſito Religionis auertere. Nam regno, & opibus, ac cæteris, quæ pollicetur Boemus, cœleſte regnum, Chriſtiq; omnis ſuauitatis delicias antepono. Malo igitur emori, quam tuis parere conſilijs. Vrgente Rege coram Regina aſtante: *Nonne parentes tui ſumus, & ex præcepto diuino parentibus reuerentiam, & obedientiam debes?* Reſpondit: *Ego te, Rex, Patrem, ac Dominum; te, Regina, Matrem, ac Dominam agnoſco, & veneror in ijs, quæ ſecundùm Deum ſunt, & ad ejus vergunt honorem: in ijs verò, quæ Deo contraria ſunt, nec te, Rex, Patrem, ac Dominum: nec te, Regina, Matrem, & Dominam dicam eſſe meam. Siquidem Chriſtus ait, ſi quis non reliquerit patrem, aut matrem propter me, non eſt me dignus, nec poteſt meus eſſe diſcipulus.* Cernens Bela filiæ conſtantiam, receſſit. Sed nec ſic ceſſauit vexatio. Non multò enim poſt, Rex Boemiæ, viros dignitate præſtantes ea de cauſſa Legatos, ijſdem, quibus antea, pollicitationi-

Matt. c. 10.

bus,

bus, misit ad Belam, vrgens ad postremam rei expeditionem. Tunc Regina, Fr. Marcellum Provincialem acciri curavit: cui dixit. *Mi Pater, Rex ob ingentes caussas filiam nostram Margaritam Regi Boemiæ nuptui tradere decreuit: ibis igitur ad illam, vt Regis parentis voluntate renunciata, mentem illius expiscère.* Provincialis, monasterium adiens, Margaritam Virginem cum Matre Prioriſſa, & Sorore Olympiade adeſſe jubet, præſentibus, mandata Reginæ referens, Virginem, cujus ſit deliberationis, & animi ſciſcitatur. Cui S. Virgo candidè, ac reſolutè reſpondet. *Certiſſimè ſcito P. Reu. malle me extrema quæcunq; pati, ac millies mori, quàm in hoc genere parentibus obtemperare. Nulla ratione, nulla vi à profeſſione mea me patiar auocari.* Aliquandò ad Olympiadem, aliaſq; Sorores ajebat: *Tamdiù me parentes ſuper conjugio vexabunt, vt ſemel me narium, & labiorum præciſione, oculorumq; euulſione omninò deformem.* Matri etiam dixit: *Abſit, vt me nuptui tradatis: malo toto corpore fruſtratim diſcerpi, quàm fidem Chriſto datam frangere: malo omni humanæ maledictioni ſubeſſe, quàm profeſſionem meam deſerere.* Vt verò ab hujuſmodi infeſtationibus liberaretur, obnixè rogauit P. F. Marcellum Provincialem, vt Sacrum velum cum virginali benedictione quàmcitiùs exciperet. Quod & magna peractum ſolemnitate; ad quam Archiepiſcopus Strigonienſis, Vacienſis, & Nitrienſis Epiſcopi, Magnates plurimi, matronæq; convenerunt. Tùm enim Virgo Sancta, cum tribus alijs Sororibus ſibi ſanguine junctis, magno apparatu velata eſt, & conſecrata, tertia die Pentecoſtes, ad altare Sanctæ Eliſabethæ amitæ ſuæ, frequenti etiam Eccleſiaſticorum, & Religioſorum præ-

ſentia.

ſentia. Ea ratione Cacodœmonis prælium diſſipatum: aſtus, vires, machinationes, quas contra S. Virginem apparauerat, confractæ: nullaſq; deinceps pro hiſce conjugijs tentationes, aut moleſtias tulit. Cùm rumor percrebuiſſet, Tartaros iterum in Hungariam adventare, qui inter cœtera mala, ſacras etiam virgines violarent, dixit Margarita. *Ipſa ſcio quid faciam; labia mihi, nareſq; detruncabo, vt vbi me adeò deformem aſpexerint, miſſam faciant.* Sed quid mirum Margaritam carnales illecebras in tantum exoſas habuiſſe? Cùm tot divinis inundaret ſolatijs, tantoq; afflueret gaudio in ſpiritualibus contemplationibus, vt omnes terræ voluptates, cupedias, illecebraſq; merum crederet fel, præ delicijs ſpiritualibus, quibus occupata fuit vel à prima ſtatim pueritia, & adeòquidem copioſè cumulatèquè, vt non corpore, aut ſanguine, ſed materia cœleſti conſtare videretur.

CAPVT VNDECIMVM.

Paupertate, & obedientia præſtans.

PAupertatis amantiſſima erat, ac ſtudioſiſſima. Veſtes, quibus induebatur, rudiores, aſperiores, vilioreſq; veſtibus cœterarum, quamuis omnium amictus in eo cœnobio eſſet pauperrimus, ideſt religioſæ paupertati conuenientiſſimus. Quem enim pannum pro ſe veſtienda ſubmiſſum accipiebat, cum pauperibus cõmutabat, vt hunc illæ, inuicemq; illa lacernas eorum ſuſciperet. Proinde illi veſtimenta, & tibialia

pervetuſta, quæ pañi fruſtulis à Sorore veſtiaria neglectis, ſarcire ſolebat. Cùm pallium lacerum aliquando geſtaret, & novum eadem veſtiaria Soror illi exhiberet, illa recuſans, rogauit, vt ex duobus aliquot vilioribus, veteribuſq; pallijs, vnum ſibi aptari, atq; ſarciri curaret. Semel Rex parens eam inviſit, qui ne offenderetur, quod ex laceratis manicis carnes Sanctæ Virgini prominerent, opus fuit, vt aliæ ei quam citiùs aſſuerentur. Velum illi ſemper inueteraſcebat. Quòd ſi novum illi, vel paulò ſubtilius præberetur, ipſum geſtare renuens, craſſiori, vilioriquè commutabat, ita vt ſæpiùs ancillarum velo tegeretur. Calcei ejus, in ipſa etiam vehementiori hyemis aſperitate, viles, ac laceri: de quo à Prioriſſa admonita, quoniam, ſi id Parentes ejus intelligerent, ſe haud dubiè incuriæ redarguerent, rogabat eâ humillimè, vt ita ſibi liceret incedere. Obedientiam religioſiſſimè ſeruans, quod Prioriſſa indiſcriminatim, comunitèrq; demandabat, prima Margarita ſic exequebatur, vt ad promptè, hilaritèrq; parendum omnes ſuo provocaret exemplo. Quodam æſtiuo tempore, dùm Provincialis Fr. Marcellus, poſt reditum è Generali Capitulo, monaſterium inviſeret, Sorores, contra ſacram ſilentij ſtrictiſſimam obſervantiam colloquia miſcere, deprehendit: quamobrem haud mediocriter indignatus, illas redarguit, minitanſq;, pro violatione pœnam daturas, abſceſſit, nulloq; pacto die illa adigi potuit, vt rediret. Tum B. Margarita, Sororem Olympiadem, & Sororem Margaritam, Gulielmi Ducis filiam, ſubmiſit ad ferream feneſtram, P. Provincialem humiliter deprecari, vt eandem quam alijs, ſibi quoquè ob violatas ſi-

lentij

lentij leges, mulctam injungeret, nec vlla ratione indulgeret. Quare Provincialis, die poſtera capitulo ſororibus indicto, eas ſeuerè objurgans, juſſit in medio refectorio, humi nudæ ſedere, panemq; & aquam ſola jejunare. Quod B. Margarita æqua ſubmiſſione cum alijs impleuit.

CAPVT DVODECIMVM.

Mira ejus humilitas, & manſuetudo.

ADmiranda in S. Margarita humilitas, ſuiq; abjectio, toto vitæ tempore eluxit. Nam etſi Regum tantorum filia erat, nullo tamen magis erubeſcebat, quàm cùm ſe dici filiam Regis audiebat, perinde ac ſi tantum regiæ proſapiæ decus, dedecus ſummum exiſteret. Videbatur ſibi omnium in toto cœnobio degentium abjectiſſima, viliſſimaq;. Lætabatur, ſi monaſterij rebus, & negotijs vel infimis occuparetur. Non Sanctimonialibus modo ſororibus, ſed famulabus etiam, & ancillis, quaſi coancilla, etiam ſupra vires, famulabatur: & quò altiori gradu cunctis eminebat, eò humiliùs, & demiſſiùs vniuerſis ſe ſubmittere cõtendebat. Hebdomadariam ſe in culina adhibebat, Sororibus coquebat, ollas, ſcutellas, orbes, cœteraq; utenſilia diligentèr abluebat: piſces purgabat magna brumæ aſperitate, itaut glacialis aquæ rigore, teneræ virginis manuum delicata cutis abrumperetur, manuſq; cruore maderent. Culinam emundabat, ligna humeris importabat, aquam hauriebat, itidemq; aſportabat. Refectorij hebdomada-

riam frequentiùs seſtatuens, omnib⁹ humillimè ac promptiſſimè miniſtrabat, nec quicquam præguſtabat, donec Sorores refectæ ſurrexiſſent è menſa. Si Sorores prandentes ejus miniſterio non egerent, ad Capituli locum ſecedens, coram Chriſto proſtrata feruentiùs orabat. Vbi illæ ſurrexiſſent, cum ancillis quaſi coancilla parcè cibum ſumebat: deinde eluuies efferebat, cunctaq; mundabat. Sacrum odæum, ſiue chorum, ſæpiſſimè verrebat, claustrum, dormitorium, Sororum cellas, & quoſuis earum angulos, ſub lectis etiam, & ſcamnis incuruato poplite, expurgabat. Hortum aptabat; ipſa ſeceſſus loca diligentiùs emundare gaudebat: ſi aliud non occurreret, lanas lauare, & nere ſolebat. Quotannis die cœnæ Domini, obtentâ à Prioriſſa licentiâ, Sororum, quæ erant numero ſeptuaginta, ancillarumq; pedes, piè, humiliterq; genuflexa lauabat, veloq; capitis ſui abſterſos exoſculabatur. Cuivis hominum, & Sororum, honora hilaritate aſſurgebat, nullius vitam, vitæue merita ſciſcitabatur, vel temerè judicabat: ſed ſui ipſius contemptu magis magisq; proficere contendebat, primo ac firmiſſimo totius vitæ ſpiritualis jacto ſibi humilitatis fundamento, quam nouerat virtutum omnium matrem eſſe, atq; nutricem. Si generis ſui nobilitatem commendari audiret, ad ſanctimoniam illorum, qui ea claruerunt, enarrandam ſermonem vertebat. Humanas etiam virtutum ſuarum laudes plurimùm abhorrebat. Hinc cum juuenculæ Sorori ſtupenti, quòd S. Margarita pallore, & macie penè eſſet confecta, reſpondiſſet Soror Helena; ſi tu cilicium continenter geſtares, flagellis te cœderes, jejunijs, ſolo pane, & aqua contenta,

macerares,

macerares, in precibus integras noctes duceres inſomnes, aliaq; faceres, quæ ego illam facere noui; næ tu quoquè non minus eſſes exhauſta: ab audiente S. Virgine ſic reprehenſa eſt: malè feciſti amica Soror, quòd iſta prodideris; non ego poſthac tibi ſecretiora mea concredam. Ad mortem uſq; ſub diſciplina Sororis Olympiadis, volens, lubenſq; perſeuerauit, non vt deprauatos mores diſceret Virgo innocentiſſima, ſed quò perfectiſſimæ demiſſionis, & humilitatis veſtigijs hoc etiam pacto magis inſiſteret, Chriſtumq; Sponſum imitaretur, qui humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem. Rara itaq; in illa manſuetudo, vt nihil unquam in ſe dictis, aut factis commoueretur. Dum ſemel lauacri aquam ex refectorio cuperet exportare, nec ſola valeret præponderis gravitate, ſubſidio Sororem Cunegundem vocavit, quæ cum aduenisſet, & eluuiem unà cum B. Margarita efferret ex janua, decoram ejuſdem S. Virginis faciem ipſa eluuie (ſtomachata fortaſſe) cæpit reſpergere. Id ſancta Virgo læto ſuſcipiens animo, atq; ſubridens, nihil aliud dixit, quàm, Soror mea quid agis? Aliquando etiam ab Olympiade Magiſtra ſua de immoderata deuotionis ratione acriùs reprehenſa in hæc verba: Quid agis Soror? immoderatiùs te afflictas, debilitasq;: continenter ſiſtis in oratione humi proſtrata, genis, & naſo in morem ſuis terram euertens. Quid? an humi quærendus Deus? S. Virgo eadem verba in ſpeciem contumelioſa, magna manſuetudine, abſq; ullius prorſus perturbationis ſenſu tulit. Semel etiam in ſolemnitate Sanctorum omnium, priuſquam Sancta Sacramenta Pœnitentiæ, & Commu-

nionis,

nionis cum alijs ſuſciperet, ad quandã, cui, quòd à triduo ſibi nihil loquuta eſſet, ſe offenſam ſuſpicabatur, acceſſit S. Virgo, & ad ejus pedes prouoluta, veniam eſt deprecata. Quod cernens Soror quædam Catharina, cauſſam inquiſiuit, cui illa. Veniam ab hac Sorore contendo, vt ſi quo à me læſa ſit crimine, ignotum velit, priuſquam Confeſſionem, Sacramq; Communionem accedam. Nullo vitæ tempore S. hujus Virginis ſermonem quiſpiam injurioſum, detractorium, aut ſeueriorem unquam audiuit. Quinimmò ſi ab aliqua offenſaretur, proſtrata pedibus offendentis, præter legem, ac morem, veniam deprecabatur, pacis, & patientiæ ſtudioſiſſima. Si fortè inter Sorores nata fuiſſet aliqua diſſenſio, hanc illa prudenter amanterq; componebat. Mira proinde fruebatur animi tranquillitate, ſerenitateq; ſimillima Olympi, quam ſicut nulla tempeſtas, nulluſq; turbo conturbat, ſic illam neq; aduerſa, neq; proſpera variabant.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Charitas in Proximos.

CHaritate erga proximos ardentiſſima flagrabat. Cùm Parentes Reges, Rex Frater Stephanus, alijq; cognati, ei mitterent aurum, argentum, purpuram, ſtrenas, munuſcula, nihil ipſa contingere auſa, per Prioriſſam, & Prouincialem Fr. Marcellum, virum doctum, prudentem, & pium, ſuumq; Patrem ſpiritualem, ac directorem, illa pauperibus mo-

naſterijs,

naſterijs, Eccleſijs, religioſis, alijſq; indigentibus diſtribui curabat. Pannum pro veſtibus pretioſiorem cum pauperculis Sororibus de Prioriſſæ facultate commutabat, viciſſim ab eis vilia, vt prædiximus, ipſarum indumenta recipiens. Per Chori feneſtellam pauperes contuita, ſtatim ad Prioriſſam properans, vt pro indigentia eleemoſinam eis faceret, exorabat. Vidit aliquando hominem inopem, & nudum in acerrimæ hyemis algoribus, mòxq; tunicam exuens, eam cum Prioriſſæ licentia pauperi dedit. Quoties etiam ex eadem feneſtella miſerabiles, claudos, cœcos, mancos, varijſq; morborum generibus laborantes conſpicaretur, vehementer ingemiſcens, vbertim lacrymari ſolebat. Quærentibus autem ex ea Sororibus, quænam eſſet cauſſa lacrymarum, his reſpondebat verbis. *Miſeret me egenorum, quos video, & vehementer afficior dolore, quòd opem illis afferre non poſſum. Cæterum ago, habeboq; dum viuam, Conditori meo gratias, quòd abſq; vllo membrorum corporis mei defectu, me & fecit, & in hanc diem pro ſua benignitate ſeruauit. Quò fit, vt multò magis, quàm hi, quos cernimus, ſim ego ſuæ in me clementiæ obnoxia.* Si qua Soror ob mortem, ægritudinem, aut alios adverſos amicorum caſus defleret, ex Apoſtoli conſilio cum ea deflebat, eamq; confortans dicebat inter alia: *vtinam, Soror optima, dolor hic me, non te, occupaſſet.* Ad ægrotantes cumprimis maximo commiſerationis affectu ducebatur. Nam prima illas noverat, & ad inſeruiendum ſe offerebat. De nocte conſurgens auſcultabat, nùm aliqua propter dolorem aliquem ingemiſceret; ſi quas deprehendiſſet, accedens, quibuſdam vinum, alijs panniculos, juxta affectionis vim

ad Rō. c. 12.

calefaciebat,

calefaciebat, affectiſq; locis applicabat. Si qua præ debilitate, aut infirmitate officium ſuum nequiret perſoluere, B. Margarita perſoluebat. In valetudinario, quod rarò, ob Sororum multitudinem, infirmantibus vacabat, adeò frequens omnia charitatis obſequia exhibebat, vt cunctarum mater, & nutrix, communi elogio vocaretur. Capita, & pedes earum lauabat, capillos abradebat, veſtes purgabat, lectos ſternebat, hauſtam aquam ad culinam deferebat, rurſuſq; calefactam per aream ad valetudinarium referebat, medicamenta applicabat, cibos exhibebat: vomitum ipſum, ſi vaſculum non ſuppeteret, vola excipiebat, ventris onera efferebat. Nihil horrebat, nihil erat tam humile, & aſpernabile, quod non ſuſciperet lætamente peragendum. Quare à Prioriſſa, vt in hyemis rigoribus, in æſtatis caloribꝰ, omniumq; temporũ majoribus incõmoditatibus, ſibi infirmis miniſtrare liceret, impetrauit. Quædã ex ancillis lethaliter ægrotabat ulceroſo, & cruento corpore, à reliquis Sororibus, putorem ulcerũ aſpernãtibus, neglecta: ejus curam ſuſcepit S. Margarita, manibus ſuis eam abluit, caput mundauit, capillos abraſit, in omnibuſq; illi ſtudioſiùs inſeruiuit. Cuidam Sorori guttur vaccino ſtercore obligandum erat, præſtitit id libentiſſimè Virgo Sanctiſſima, quod cæteræ detrectauerant. Soror quædam Eliſabetha, procero, magnoq; corpore, cùm ſenio, tùm longa octodecim annorum ægritudine viribus deſtituta, lecto ſe mouere non poterat. Cùm ei die quadam Sorores, jam longo labore defeſſæ, inſeruire quadantenus gravarentur, rogavit B. Marg. Prioriſſam, vt ſibi decumbentis curam agere liceret. Annuit illa, ita ta-

men vt secum Sororem aliquam sociam assumeret. Quæ Alinkam vocauit. Accedunt: S. Margarita vbi longo morbo laborantem, eneruemq; Sororem affectu omni salutauit, & bono animo esse jussit, brachijs sustulit, sediq; collocauit. At verò Sor. Alinka, ob intolerabilem penè diſſenteriæ putorem, vomituſq; abominationem, ad partem ſeceſſit, ferre non valens. Cui S. Virgo, ſi nequis, Chariſſima, tolerare, recede, mihiq; hanc operam linque. Tum expurgato, ſtratoq; ægrotantis lecto, eam ſuis iterum brachijs ad illum repoſuit; ſtupente Alinka, quòd putorem adeò validum ferre, tantumq; hominem brachijs ſuſtentare potuiſſet, cùm tamen jam ſic illorum debilitate laboraret, vt aliorum manibus flagra neceſſariò ſuſciperet; id enim tertio ante mortem ejus anno factum memoratur. Dein arreptis linteaminibus, ſede, ac reliquis, quæ ſordibus maculata fuerant, ad aquã pergens, omnia ſuis manibus emundauit. Alia Soror, ſuilla viſcera flagitarat: procurauit ſancta Virgo, feces ipſamet eluit, parauit, ægræ appoſuit. Cùm ægræ Sorori carnes aſſaret, Soror Benedicta rogauit, vt ſibi eas aſſandas permitteret, quòd id eam diceret non decere: cui S. Virgo, ſi tu, Soror, hoc faceres, tuum eſſet meritum; abſit verò, vt meum apud Deum meritum ipſa deperdam. Carnes ad portam pro ægris Sororibus à ſe emendicatas, caniſtro ſuper caput portabat, ijſq; coquebat. Aliquando per altas niues è culina ad Infirmariam, pullorum gallinaceorum ollam deferens, cecidit, palliumquè, ſive (vt vocant) cappam, juſculo perfudit, ſurrexit tamen patienter, ægriſq; allatos cibos hilariter porrexit. Sæpè etiam aliàs per altas

niues, & lutum, seruiendi ardore festinans, cadebat tenera Virgo, rursumq; consurgens, ad ministerium læta pergebat. Semel cum alia Sorore pro carnibus perrexerat, cùm verò corbem non inveniſſet, scapularem vestem exuens, repositas in ea carnes gestauit: at vbi ad culinam ventum est, carnesq; extractæ, alterius Sororis scapulare, à carnibus infectum apparuit, Sanctæ Virginis veste pura emanente. Quando autem vestes ex ministerio maculabantur, non eas propterea deponebat, sed infectas etiam luto vsq; ad genua, dormiens, & vigilans retinebat. Nec Sororum, & ancillarum duntaxat curam gessit, sed pro extraneis etiam ægrotantibus fuit impensè sollicita. Namq; per Religiosum quendam senioulum, eos suo nomine perquiri, visitari, eorumq; necessitatibus, sumptibus à Regibus Parentibus per eundem acceptis, subueniri satagebat; per omnia in subleuandis pauperibus Sanctæ amitæ suæ Elisabethæ, *quæ manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*, virtutem assequi, studiosè, sanctèquè æmulata.

Prov. c. 31.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Cultus, & deuotio in Sanctos.

SAnctos, Sanctorumq; imagines, atq; reliquias omni veneratione, & honore prosequebatur. nam, vbicunq; locorum Christi Do. Virginis Deip. & cæterorum Sanctorum imagines cerneret, genibus flexis adorabat, neq; id, quæcunq; actio vrgeret, vlla ratione prætermittebat; vt propterea ob cre-

bras

bras ex pietatis officio genuflexiones, ei genua, & pedum tibiæ ingentem duritiem, & tumorem contraxerint. Quinq; Chriſti vulnera, lacrymis perfuſa, exoſculabatur. Crucem paruam cum ligno S. Crucis ſecum ſemper habebat, vt, ſiue quieſcens, ſiue vigilans ſemper Crucifixo frueretur. ex deuotione ad Crucem, vt plurimùm, ad altare S. Crucis, vel Crucifixi imaginem feruenter orabat. tanta etiam deuotione ad dulce Ieſu nomen afficiebatur, vt illud ferè ſemper haberet in ore, nec quippiam ſibi ſaperet, niſi eo reſonante conditum. B. etiam V. Deip. imagines cum ſumma dulcedine, & lacrymis, diſſuauiabat, & ante illas angelicam ſalutationem piè, ſanctèquè recitabat. Cujus eo flagrabat deſiderio, amore, & honore, vt cum ſuauę ejus nomen ab alijs inaudiret, aut ipſamet proferret, prono ad terram capite, reuerentiſſimè ſeſe inclinaret, nec alio ipſam titulo, quàm, *ſpem ſuam beatiſſimam, ſpem mundi*, & *Virginem Deiparam*, appellaret. Vitam, mores, exempla, miracula ejus auidiſſimè legebat, audiebat, enarrabat. Non ſolùm in peruigilijs Natalis Dom. & Annunciationis, (vt moſ eſt Ordinis Prædicatorum) ſed aliarum etiam B. V. Deip. ſolemnitatum, cùm ex Martyrologio eas pronunciari audiret, ad terram toto corpore proſtrata, ſumma cum pietate Deo gratias agebat. Vitas etiam aliorum Sanctorum libentiſſimè legere, vel audire conſueuerat: ingreſſaquè ſororum laborantium locum, eadem ipſis geſta recenſebat, hortaturq; vt illorum exemplo vitam quàm ſanctiſſimam inſtituerent. Legebat ſæpiſſimè vitas majorum ſuorum, non planè ſingulorum, ſed illorum, quorum fuetat vita,

Christiana pietate insignior. Qualis fuit vita S. Stephani, primi Hungarorum Regis, & Apostoli, qui fidei suæ professione, gentem suam ab idolorum cultu ad Christi fidem adduxit. S. Ladislai, Regis itidem, qui cùm gloriosum Hungariæ Regnum sanctè administraret, & contra illius grassatores, & paganos invictè defenderet, larga interim stipis erogatione, justitia, oratione, alijsq; virtutibus effulgebat. S. Emerici, cujus sancta, illibataq; virginitas, quam cum regalis generis Sponsa, forma, virtuteq; lectissima, Dei instinctu seruauit, toto orbe micabat. Sanctæ amitæ suæ Elisabethæ, quã sanctissimis meritis cumulatã, maximisq; miraculis fulgentem, Ecclesia in Sanctorum numerum scripserat. Secum igitur Sancta Margarita horum Sanctorum vitam, & merita corde voluebat: gaudebatq; & maximè lætabatur, tales se habuisse gentiles, quos sanctè vivendo posset imitari. Admiransquè virtutum opera, quibus vnusquisq; eorum Deo fuerat acceptissimus, seipsam hortabatur, & optabat, vt quemadmodũ illi, ita & ipsa, Deo piè, sanctèq; famularetur, illorumq; ad id à Deo impetrandum, efflagitabat auxilia. Sæpè verò dicebat, se in pietatis officijs adniti, vt Sanctam Elisabetham parentis suæ Sororem imitaretur.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Studium orandi perpetuum.

Randi studium B. Margaritæ assiduum fuit. Omni tempore ad matutinas (quas vocant) preces, media nocte surgebat, nec unquam ab illis, missa, cæterisq; precibus horarijs abfuit,

nisi

niſi graui prorſùs morbo impedita. Diù ante pulſum ad nocturnas preces conſurgens, ante lectum orabat; dato verò ſigno, ad lectulum ſe recipiebat, ne ab ea, cujus erat excitare, orans deprehenderetur. Inde iterum exurgens, ac muniens ſe ſigno Crucis, acceptam Crucem oſculabatur, oculiſq; apprimebat: atq; eam ſecum deferens, omnes præueniebat ad Eccleſiam; & ad aram S. Crucis, vel Crucifixi imaginem, donec Sorores chorum intrarent, preces fundebat. Poſt nocturnas preces, ad auroram ferè uſq; in orationibus perſiſtebat. Ab aurora ad prandium, auſcultando miſſæ ſacrificio, ſacriſq; precibus identidem vacabat: interim viq; adeò ſilentij tenax, vt nulli loqui vellet, ne ipſis quidem parentibus, fratribus, ſororibus, aut eorum nuncijs, niſi per Prioriſſam cogeretur. Contigit, vt dum oraret, Soror ejus ueniret ad eam, aſſerq; caderet ſuper caput orantis; at illa nec propter caſum aſſeris, nec propter aduentum Sororis, orationem abrupit. Summo frigore, & brumæ rigore, quandò reliquæ Sorores, perſoluto divino officio, ad hypocauſtum ſeſe recipiebant, ipſa ſola vnico amicta habitu, vel in choro, vel in ſacello in oratione perſeuerabat. Priuſquam ad prandium conueniret, coram Crucifixi imagine in loco capitulari ſemper orabat: loca ſecretiora, & monaſterij angulos, tanquã fundendis ad Deum precibus aptiores, potiſſimùm amans. In Refectorio (ad quod velato vultu, manibuſq; in crucis formam complicatis procedebat) ſi reliquis inſeruiret, jaculatorias preces ad cœleſtem Sponſum vibrabat, ſubinde, quando nulla ejus interim erat opera neceſſaria, ad Capituli locum in preces excur-

rens:

rens: si mensæ assideret, sæpè toto prandio, citra esum, orabat: sæpè, vbi paululum cibi degustasset, obducto velo, Deum contemplabatur. A prandio, si manibus illi operandum, aut alijs, sive sanis, sive ægrotantibus ministrandum non esset, orationi operam dabat. Post completorium, donec fores clauderentur, orabat in templo, quod vt seriùs fieret, sæpè custodem rogabat: ijs verò obseratis, in Capitulum ad Crucifixi imaginem se colligebat: demùm ostijs omnibus clausis, sæpissimè ante lectum vsq; ad gallicinium fundendis precibus vigilabat. Nunquam fuit Sanctæ huic Virgini tædio oratio, cujus tota vita perpetuum studium fuit orandi. In magni Natalis Christi Dom. millies orationem dominicam; in adventus Spiritus S. millies antiphonam, *Veni Sancte Spiritus &c.* in singulis quatuor præcipuarum B. Virg. Deip. solemnitatum pervigilijs, millies angelicam salutationem, cum totidem ad terram sui corporis prostrationibus, recitabat, ijsdem diebus tota nocte in templo vigilijs, & orationibus vacans. Propter assiduas in cubitos, ac genua prostrationes, vestes ijs locis erant illi detritæ, cutisq; in genibus duritiem, & callos obduxerat. Duabus ante Paschа hebdomadis, commemoratione Dominicæ passionis (cujus historiam vulgari idiomate sibi legi curabat, & exponi, cum gemitibus, & lacrymis, attentissimè auscultans) occupata, nunquam ijs diebus sedebat: sed vel stans erecta, vel jacens prostrata, orationi, humilitati, & fletibus ita vacabat, ac si Christum ante se pati videret. Quandoq; in die Palmarum, dum passio recitaretur in Ecclesia, sic corde, totisq; præcordijs commota fuit, vt omnes illicò

expira-

expiraturam putarent. In cœna Domini poſt pedum lotionem, diuina officia, cœteraſq; ejus diei functiones, integrum pſalterium Dauidicum ſenſim ac deuotiùs, Chriſti paſſiones contemplando, in choro perſoluebat. Cum Crux nudata in Paraſceue populo exhiberetur, tota humi procumbens, eam venerabatur, & adorabat, adeò vbertim lacrymans, tàmq; altum aliquandò vociferans, vt etiam extra templum poſſet exaudiri, & quo ſecùs faceret, ſibi imperare nequiret. Totam etiam illam diem feruentibus precibus, & lacrymis innocentiſſimam Chriſti mortem, quaſi ſola ejus cauſſa extitiſſet, plorando tranſigebat. In precibus, ex oculis, quaſi perpetuis fontibus, vberrimi illi lacrymarum riui manabant, vt genas inde aduſtas haberet; & velum quoq; capitis, atq; ſudaria ſic immaderent, ac ſi aquis merſa fuiſſent. Raptus, & ecſtaſes ſæpiſſimè patiebatur. Non rarò in die Paraſceues, pervigilio Aſſumpt. B. V. Deip. aliiſq; temporibus viſum eſt corpus ejus pluſquàm cubiti altitudine è terra eleuatum, longo tempore, nullis adminiculis, nulliuſq; ſenſus vſu, conſiſtere. Aliquando in pervigilio omnium Sanctorum, cùm in choro longiùs ante nocturnas preces oraret, concidit, jacuitquè velut exanimis, quoad Soror Helena æditua, quæ aderat, totum Davidis pſalterium, tractim, ad ſingulos etiam pſalmos, venias, & inclinationes faciens, recitauit. Quo perſoluto, Soror, crebrò, nutu, voceq; annuit S. Virgini, vt, humo ſurgens, modum faceret devotioni. Sed, cùm illa nullo ſigno annuere, aut renuere eam cerneret, territa ſatis, multumq; de vita illius addubitans, Sororem Olympiadem vocauit. Accurrit ocyùs illa, ſimulq;

cum

cum Helena, Beatam Margaritam velut mortuam contemplatur. Quæ tandem ad se rediens, objurganti magistræ Olympiadi nihil respondit. Helenæ verò sciscitanti, cur tanto animũ suum dolore percelluisset, præsalutans, subridensquè, ne doleas, inquit, perpusillum sic mansi: nimirùm Virgo Sancta bonas horas contemplationis, & raptus, breuissimam temporis morulam arbitrabatur.

Aliàs in aduentu Domini, cum nocte concubia oraret, rapta fuit in Spiritu, & flamma ignis verticem capitis ejus obtexit. Porrò Soror Helena (altera à proximè dicta) ei assistens, crebrò illam vocavit, sed cùm non responderet, cucurrit ad templum, vbi pleraſq; Sorores orantes invenit. Accurrentes illæ, diù ibi, cùm admirantes, tùm etiam varia signa, & strepitus, ad eam excitandam facientes, constiterunt: at illa in Deum correpta, nihil advertit. Vbi verò in se reversa, ex Sororibus intellexit, quòd ignis caput ejus operiret, illum manu discussit: sicq; flamma, odore suauissimo succedente, adhuc in eodem loco perseuerante, disparuit. Ipsa verò secretissimum silentium Sororibus indixit. Aliquando P. Provincialis Fr. Marcellus, ex ferrea fenestra per Sororem Stephanam jussit S. Margaritam acciri. Perrexit, eiq; in oratorio suo precibus operam danti nuncium retulit: sed cùm ea nihil responderet, redijt ad Provincialem. Iterùm ille misit pro S. Virgine, quæ septies, vel octies Provincialis nomine compellata, semper conticuit. Deniq; surgens, eũ diceret Stephana, grande Soror Margarita deliquisti, quæ me toties defatigasti; ait: & quamobrem me, Soror charissima, non vocasti? Cùm ex precibus rediret, tanta sæpè in ejus facie

venustas,

venustas, & splendor relucebat, vt eam Sorores aspicere non auderent, quemadmodum, neq; filij Israel Moysis Legislatoris faciem glorificatam, cùm à Dei colloquio de sancto monte rediret. Constat etiam, sæpiùs in oratione à Cœlitibus visitatam, cum ijs colloquia miscuisse; audierunt enim non rarò Sorores, dùm illa oraret, alios cum ea loquentes, quamquam voces ipsas intelligere non potuerint. Quanta porrò fuerit precum ejus apud Deum efficacitas, cum de miraculis per eam patratis differetur, abundè patebit. Nihil enim petijt vnquam, quod non pro voto impetrarit. Exod. c. 34.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Devotio eius ad diviniſsimam Euchariſtiam, & præparatio.

QVemadmodum Sanctissimum Christi corpus in divino altaris Sacramento devotissimè venerabatur, ita ut sub Sacrum ab elevatione ad communionem vsq; fleret vberrimè, &, præ devotionis vi, è corporeis sensibus abstracta, penè mortua videretur; sic eandem Sanctam Euchariſtiam perceptura, omni studio se præparabat, die antecedente, non nisi panem, & aquam præsumens, ac nocte tota in vigilijs, disciplinis, precibus, sacrisq; contemplationibus, cœlestis Sponsi adventum expectans. Instante communionis tempore, expansis manibus humi prostrata, magno fletu, summaq; pietate, ac desiderio, diviniſsimo se convivio aptans, ea dulcedine, & veneratione communicabat, vt sæpè Spiritu

rapta, ceu mortua appareret, nec rarò, inter cœlum, & terram pluſquam cubiti altitudine, nullis corporeis ſenſibus vtens, elevaretur. Poſt acceptam Euchariſtiam, ſi raptum paſſa non fuiſſet, tenebat ab vna parte mappulam ante facies ad Communionem accedentium Sororum, vt identidem Chriſti Sponſi præſentia, & contuitu frueretur. Ipſa quoq; die, qua communicaverat, in precibus ad noctem vſquè continenter perſiſtens, tunc primùm cibum modicè deguſtabat.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Proficiendi deſiderium, & documenta.

Ranz. in vita Sancta Marg.

DEſiderio magis magiſq; ſemper proficiendi S. Margarita, Collationum Patrum Ioannis Caſſiani lectioni plurimùm vacabat, auidiſſimèq; conciones, lectiones, & ſpirituales collationes auſcultabat: propterea q; haud rarò Concionatores abiturientes, quorum ipſa conciones adhuc libentiùs audiret, miraculosè, vt poſtea dicemus, retinuit. Aliquando in ſpirituali colloquio Pater Provincialis, Religioſus valdè, devotuſq; Dei famulus, ei revelavit, ſe multis olim precibus à Deo contendiſſe, vt ſibi declarare dignaretur methodum, qua priſci illi, Sanctiquè Patres adeò divinam ſibi Majeſtatem demeruiſſent, vt ſummam perfectionis vitæ ſpiritualis conſequerentur: experrectumq; nocte quadam, vidiſſe codicem aureis literis exaratum, clarèq; has audiſſe voces: *Surge Frater, & lege:* ſic lecto proſiliſſe, paucaq; hæc

verba,

verba, ſed cœleſtia, ac divina legiſſe: HÆC FVIT ANTIQVORVM PATRVM PERFECTIO, AMARE DEVM, CONTEMNERE SEMETIPSVM, NON SPERNERE, AVT IVDICARE ALIVM. Quæ documenta adeò altas in animo S. Margaritæ radiçes egere, vt quicquid faceret, aut cogitaret, identidem diſpiceret, quemadmodum Deum diligeret, ſemetipſam odiſſet, atq; contemneret, aliorumq; augeret æſtimationem. Hac via ad ſummam perfectionis hæc Virgo pervenit, vt eſſet omnibus norma, regula, & exemplar rectè viuendi. Hinc, ſi quid Sorores, minùs rectè facerent, eo dicto, *ſanè hoc non eſt in regula Sororis noſtræ D. Margaritæ*, invicem carpere ſolebant. Hinc illa magnæ perfectionis documenta. Sorori Catharinæ ſæpè roganti, vt ſe modum orandi edoceret, reſpondit: *Soror, Præbe corpus tuum, & animam tuam Deo, & cor tuum ſemper ſit apud eum, ita ut nec mors, nec tribulatio, neq; quippiam aliud te poſſit abſtrahere à charitate ejus: ſic benè orabis.* Quibuſdam dicentibus, de tanta auſteritatæ vitæ nonnihil ſibi parcere poſſe, quò diutiùs viveret, vitaq; diuturniore plus promereretur; vt nec adeò ſuam dignitatem contemneret, ait: *Qui nouit ſe diutiùs victurum, vitæ parcat ſeueriori, & in dies differat, quod hodie poſſit præſtare: ego ſanè, quamdiù viuam, & ſeriùſne, an ocyùs me Creator meus ex hoc mundo ſit auocaturus, ignoro. Honores autem, voluptates, quietemq; hebdomadariam, turpe eſt in clauſtris appetere. Clauſtrum enim non eorum locus, & habitatio eſt, qui inſtantis ſæculi bona volunt, ſed eorum, qui æterna, cœleſtiaq; ardentèr perquirunt.* Alijs auſteritatem obedientiæ, & orationis prolixitatem incuſantibus, reponebat; *Melius eſſe obedire,*

quàm obedere, plorare, & orare, quàm vorare. Sorores, vt pro egentibus, & infirmis, quos cernerent aliquandò, si aliter eis ſubvenire non poſſent, Deum rogarent, & ſaltem angelicam ſalutationem dicerent, hortabatur. Multùm propterea apud Reges, Belam Parentem, & Stephanum Fratrem, valebat authoritate, quos potiſſimùm rogabat, vt juſtitiam, quæ Deo gratiſſima eſt, *cujuſq; neglectu, regna transfert de gente in gentem*, maximè colerent: ne aras, templa, bona Eccleſiaſtica deſolari, tyrannide opprimi, aut militum ſinerent cupiditate expilari: vtq; pauperum, pupillorum, viduarum, aut qualitercùnq; afflictorum cauſſas tuerentur. Atq; in omnibus penè, quæ petijt, cùm à Regibus, tùm ab alijs, exaudita eſt; quando ob manifeſtam ejus ſanctimoniam, nullus propemodum ejus voluntati auderet repugnare.

Eccleſ. 10.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Peccatis, & ærumnis humanis, vehementer diſcruciabatur.

DOemonis arte, & prauorum hominum aſſenſu, & cooperatione, nefarius adeò belli tumultus inter Regem Belam Parentem, & Regem Stephanum filium, partibus hinc inde, citrà omnem juris, & æquitatis rationem, ſepoſitoq; diuinæ vltionis metu, diſtractis, concitatus eſt, vt Chriſti Eccleſiam, non modò paſſim in Hungaria, verùm etiam in pluribus alijs totius Coronæ plagis, Principum crudelitate, & tyrannide

premi,

premi, atq; diſpergi: clauſtra, ædeſq; Religioſorum pietate exui, & vaſtari: miſeros, innoxioſq; tantoperè cerneres afflictari, vt clamor eorum cœlorum cardines penetraret. Tanta clades, vt nulla ætatis, vel ſexus ratione habita, omnes nullo diſcrimine opprimerentur. Tanta nequitiæ exundantia, & ſcelerum multitudo, vt præter Tartarorũ tyrannidem, nihil ſeculũ illud ſimile viderit ejus temporis feritati. Hæc omnia S. Margarita intelligens, corpuſculum, jejunijs, cilicio, flagelliſq; multòplus ſolito macerabat, totaq; in fletum ſoluta, inquè preces, dies, ac noctes intenta, partim ſeditioſorum hominum ſcelus, partim afflictorum oppreſſionem, exitiumq; plorabat. Quin etiam Fratres, ac Sorores, ſui, aliorumq; Ordinum obſecrabat, vt ſeriò Divinam clementiam implorarent, quæ dexteræ ſuæ virtute iratorum Principum animos conciliaret, innocentes defenderet, Eccleſiam pretioſo Chriſti ſanguine redemptam tueretur, ac vindicaret. Porrò Sorores, B. Margaritæ, amariſſimè ea ſuper cauſſa plorantis, ferè pertæſæ, dicebant: Quid ad te ò Domina? quid tua intereſt, vt te tantoperè debeas afflictare? Tum Sancta Virgo, alto eximis præcordijs ducto ſuſpirio, *Eccleſia*, ait, *veri cujuslibet Chriſtiani hominis mater, membratim diſciſſa, miſerrimèquè lacerata, ſæuiſſimè vndequaquè affligitur, & quaritis, quid ad me? non inter ejus filias ego? non ea me de Sacro Baptiſmatis fonte vobiſcum genuit? Curitaquè vicem ejus, ac dolorem tantum non doleam?* Hujuſcemodi verbis Virgo Sancta non ſolùm ſe corripientium irritationem ſuperauit, ſed eas etiam ad ejuſdem commiſerationis ſpiritum inclinavit. Porrò ad pla-

candum

candum ſupremi judicis numen, nova pœnitendi inſtrumenta excogitauit; nam, præter cilicium, & cingulum ferreum, quæ geſtare conſueuerat, curauit ſibi per duas Sorores ex decoriatis Herinaceis, quos per Sororem Alexandram aluerat, pellem, atq; ex ea trium digitorum latitudinis cingulum clanculùm apparari, quo ſe poſtea Virgo, ſpinis, & aculeis ad nudum corpus introverſis, arctiùs conſtringebat. Reſiduis verò herinaceorum ſetis, virgis quibuſdam circumligatis, crebrò ſe per anciſſarum miniſterium faciebat flagellari. Tàm cingulum, quàm flagella hujuſmodi, Vir Sanctiſſ. Fr. Ioannes Vercellenſis, Magiſter Gener. Ord. ſextus, Sororibus, Fratribuſq;, qui ad Capitulũ Generale an. Chriſti 1273. apud Peſtũ convenerant, publicè oſtentauit. Nec irritæ fuere S. Virg. preces. Imperauit enim ventis Deus, & fecit tranquillitatẽ, qui *& concordiam in ſublimibus, & vnanimes inhabitare facit in domo.*

Iob c. 25. Pſ. 67.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Martyrij deſiderium.

MArtyrium pro Chriſto Sponſo ſubeundi, vehementiſſimo deſiderio S. Virgo Margarita flagravit. Cùm aliquando Sancti Iacobi Intercisi paſſionem, qua Regis Perſarum juſſu membratim in fruſta diſſectus fuerat, audiret, ardore patiendi, ait ad Sororem Helenam, ſociam ſuam: Soror mea, placentne tibi, quæ audis? & illa: Quin immò maximè mihi placent ò Domina. Sed quid me juvat audire, & non imitari martyrium? Cui Sancta Margarita: *O vtinam illis*

ego

ego temporibus vixiſſem: vtinam hæc etiam mihi ſors obtigiſſet, vt Chriſti Jeſu mei amore membratim, ac teſſelatim conciſa, poſt diuturnos artuum cruciatus, ac dolores, demùm hujus Sancti exemplo capite plexa fuiſſem. Hæc, dum diceret, ſummâ geſtiens lætitiâ, externo corporis habitu, internum animi ardorem exerebat. Eadem ingeminabat, quoties in Martyrum vigilijs eorum geſta legeret, vel audiret: *Vtinam,* inquiens, *tempus alicujus perſecutionis exiſteret, vt pro Chriſto Jeſu martyrio conſummarer. Vellem enim pro ejus amore detruncari, atq; comburi: &, vt cruciatus diutiùs perſeueraret, per membra ſingula laniari, omnigq; tormentorum genere examinari.* Singulariter autem Sanctas Virgines commendabat, quæ, fuſo ſanguine, teſtimonium dederant Chriſto, earum in ferendis ſupplicijs, optans, ſi fieri poſſet, ſe fuiſſe conſortem. Cùm fama vulgaret, Tartaros iterum in Hungariam adventare, *orabo,* dicebat, *ne veniant, vti ne noceant populo Chriſtiano: ſed, quod me attinet, vellem jam veniſſent, vt per eorum manus martyr effecta, migrarem ad Chriſtum.*

CAPVT VIGESIMVM.

Donum Prophetiæ.

FVit etiam Beata Virgo Margarita Spiritu Prophetiæ illuſtris.

Bimula adhuc, cùm Parens ejus Bela, poſt receſſum Tartarorum, ex Dalmatia in Hungariam redux, contra Fredericum Auſtriæ Principem, qui, præter æquum, & fas, ſibi, ac regno magnas irro-

garat injurias, duxiſſet exercitum, à Matre interrogata, quem bellum illud exitum eſſet habiturum, Deo, qui ex
Pſ. 8. ore infantium, & lactentium perficit laudem, vt deſtruat inimicum, ſic inſpirante, reſpondit: Parentem ſuum victorem è caſtris, adverſario interfecto, non tamen abſq; militum ſuorum jactura, rediturum. Vaticinium probauit eventus. Alamannis namq; ab Hungaris ſtrenuè dimicantibus magna clade profligatis, Fredericoq; ab Hungaro quodam milite ſingulari certamine cœſo, Rex in patriam regreditur, non exiguam tamen exercitus ſui paſſus jacturam. Bellum hoc extat in decadibus à Bonfinio deſcriptum.
Dec. 2. lib. 8. fol. 501

Sorori Petronillæ Novitiæ, de veſtium, ſæcularium què ornamentorum elegantia cogitanti, & ad ſæculum redire deliberanti, quid mente agitaret, indicans, eam in arrepto Sac. Religionis propoſito confirmauit. Rem fuſiùs narrat author vitæ M. S. his, quæ ſubijcio, verbis. *Soror quædam eximia ſtirpe orta, nomine Petronilla, D. Petri Tongai filia, ejuſdem Cœnobij B. Mariæ Soror, interrogata rigoroſè de vita S. V. Margaritæ, reſpondit venerandis Patribus Epiſcopis, ſummi Pontificis Commiſſarijs, quòd, dùm nice quadam cum Sororibus collationi accumberet, de more Ordinis, ante Completorium, capit corde, animoq; verſare, quàm deformi cappa, viliq; panno obuolueretur: è contra quàm præclaro, benèq; æſtimabili amictu apud parentem domi ſuæ veſtiretur, aut pro arbitrio veſtiri potuiſſet. Erat tunc Petronilla novitia, ac ætate florens, adeòq; hujuſmodi affectionibus moram fecit. Licet verò S. V. Margarita in collatione ita diſtaret à Petronilla, vt vix eam videret, nihilominus poſt collationem*

vocans

vocans eam ad ſe S. Virgo Margarita, cogitationum ejus, ac inanium cupiditatum ſeriem illi recenſuit, reprehendenſq; illam ſuaui, ac gratioſa manſuetudine dixit. Iam, video, pulchra es, & in veſtitu tuo decora tibi places. & docuit eam, ne de catero hujuſmodi cogitationibus pretium temporis inaniter deperderet. Tùm Soror Petronilla, pudore ſuffuſa, Sanctam V. humiliter rogauit, dignaretur pijs orationib⁹ ſibi eſſe ſubſidio. S. Virgo promptè id fecit, humanæ ſalutis plurimùm amans, & ſtudioſa.

Sororem quandam animo dolentem, quòd ſæculo renunciaſſet, ad ſanam mentem reduxit, cùm ei priùs totam cogitationum ejus ſeriem expoſuiſſet.

De hoc idem author, ſic habet. *Soror quædam Alinka nomine, illuſtris genere, D. Petri Aykai filia, quadam Dominica Aduentus, dùm in Refectorio cum Sororibus canaret, graui cordolio elanguebat: nulla Sororum quippiam de illa cogitante. Tùm Soror Alinka in corde ſuo dixit: ſi non eſſem monialis, ſed apud parentes meos, eſſent vtiq; plures, quibus ego, & valetudo mea curæ eſſent. Cæterùm, Sororibus poſt cœnam ſueto ordine ad chorum procedentibus, ſola manſit Alinka, cordolio depreſſa. Poſt gratiarum actiones redeunt rurſum Sorores. Igitur S. Virgo Margarita, accedens ægrotam Alinkam, dixit illi. Quî vales, aut quo morbo laboras, chariſſima Soror? Cui illa. Quî valeo? en vbi ſum. Et S. Virgo. Propter hunc dolorem Ordinem deſerere cogitas? & te pœnitet Religionis? & omnia ſubjecit, quæ Soror valetudinaria cogitauerat. Illa verò tribus diebus S. Virginem aſpicere ſummoperè verecundabatur, quòd ejus cogitationes cognoſceret. Id contigit tribus ante mortem S. Virginis annis.*

Aliam iræ ſtimulis concitatam, cogitatibus, quos

animo ſecum voluerat, indicatis, pacauit. Author præcitatus, ita. *Soror, genere nobilis, nomine Catharina, D. Andreæ Varadi filia, Cantrix in eo cœnobio, accumbens menſæ cum reliquis Sororibus, toto prandio, cujuſdam Sororis odio, liuore, & vindicta, ſub manſueta fronte feruebat. Hujus arcanos affectus S. V. Margar. diuina inſpiratione probè intellexit. Itaquè poſt prandium, & orationem, vocat eam ad ſe, & quærit, quidnam cogitaſſet ſub menſa. Cui Soror, renuens indicare, edebam, inquit, & de cibo cogitabam. Tùm S. Virgo, equa ſerie, cordis affectus, & cogitationes ei recenſuit, & in charitate commonefecit, ne deinc hujuſmodi affectionibus cor inflammaret, & laceraret, neuè animum liuore contaminaret. Soror autem S. Virgini ſummas gratias habuit, quòd ex Dei reuelatione ſalutem animæ ſuæ curaret, admonitionemquè grata, & humili mente acceptauit: rogans eam ſibi adeſſe precibus, ne deinceps hujuſmodi criminibus ſe redderet obnoxiam.*

Sociam, quæ ſecum iverat pro carnibus ægrotantium, cujuſq; veſtis infecta fuerat, propterea q; indignabatur, cogitationes ejus detegens, pariter ſedauit.

Sororem Sabinam, ex moleſtia illatæ ſibi injuriæ animo ſecum ſubirascentem, rogantemq; Deum, vt hanc à ſe turbationem depelleret, S. Virgo accedens, cauſſamq; totius commotionis aperiens, tranquillam effecit.

Tempus quoq;, & horam diei obitus ſui, longè ante præſciuit, & prænunciavit, vt ſtatim enarrabimus. Sap. 7. Sapientia enim illa, quæ *per nationes in animas Sanctas ſe transfert, prophetas, & amicos Dei conſtituit*, hanc etiam in Sponſam ſuam cumulatiſſimè gratiam effudit.

Nec hæreas, Pie lector, quòd S. Margarita ſupe-

riùs

riùs dixerit, se tempus suæ mortis ignorare. Ignorabat enī tunc, quod postmodùm, Deo reuelante, cognouit. Prophetica enim cognitio, non habitualis est per modū scientiæ, qua vti quis possit, cùm velit; sed actualis, transiensq́; illustratio est, quam Dei Spiritus distribuit, & operatur in vnoquoquè, prout vult. V. D. Th. 22. q. 171. ar. 1. 1. Cor. c. 12.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Vltima ægritudo, & Mors B. Margaritæ.

CVm Sactissima Virgo Margarita, se per cunctarum virtutum, donorumq́; actus, & exercitia, dies, ac noctes, ab ipsa infantili ætate, Christo æterno Sponso suo probasset, tempus tandem ex æternitate præfinitum aduenit, quo tantorum meritorum coronam perceptura, migraret in cœlum. Itaquè obitum suum, quem ante jam annum præuiderat, ac prædixerat, breui instare persentiens, *octaua Ianuarij die, cùm sana esset & incolumis, multis astantibus, dixit, die abillinc decima se morituram.* Dum etiam Soror quædam obijsset, & apud eam B. Virgo vigilias, de more Ordinis, duceret, Magistræ suæ Olympiadi, alijsq́; ætate confectis Sororibus, de instante morte colloquentibus, ait. Charissimæ Matres: *Prima ego inter vos Sorori huic defunctæ morte succedam.* Ad Sorores porrò cognatas suas, dixit; Dilectissimæ mihi Sorores: *Ipsa breui moritura sum: oro, obtestorq́; vos, in choro ad aram Sanctissimæ Crucis me sepelite. Sin verò illic Sororibus ejus horrori, sepelite me in oratorio meo:*

(erat locus pro ipsa peculiariter à Regibus Parentibus extructus, multis sacris imaginibus, Sanctorumq; Reliquijs ornatus, ad quem priuatæ orationis causſa plurimùm conueniebat:) *neq; corpus meum putridis exhalationibus liturũ perhorreſcite; non enim vlla de illo graueolentia prodibit.* Quæ omnia planè, vt ipsa prænunciauit, sic euenerunt. Tertia namq; die, valida febre correpta, decubuit, quæ ad diem vſq; mortis, quem prædixerat, continenter perſeveravit. Sorores vehementem illius ægritudinem cernentes, Conventibus, ac Monaſterijs omnibus indicarunt. Accedit cum Fr. Marcello Exprovinciali Fr. Michael Provincialis, coram quo, poſtquam Virgo Sancta totius vitæ exomologeſin ſacro ritu peregit, petijt ſibi Sacroſanctam Euchariſtiam exhiberi: quam allatam, totius ſui cordis, & corporis demiſſione, ac devotione libavit. Extremam deinde, ad vltimam luctam, Vnctionẽ à ſe poſtulatam, eodem Fr. Marcello præſente, devotiſſimè ſuſcepit. Divinis hiſce peractis officijs, ab omnib' domeſticis ſingulari lætitia coñeatum petijt, *quas & hortata eſt ad amorem diuinum, mundi, vitæq; hujus mortalis contemptum, perſeuerantiam in bonis operibus, patientiam in aduerſis. Monuit etiam, vt ſemper ob oculos ſibi ponerent illud cœleſte brauium, quo Jeſus dulcis Sponſus remuneraturus eſſet eos, qui vero, ſinceroq; amoris affectu eum complecterentur.* Quibus cum luctu, & lacrymis aſtantium acceptis, Prioriſſæ Sorori Eliſabethæ, claues ſuæ ciſtæ, in qua pretioſiſſimi ejus theſauri recondebantur, ad manus tradit. Aperitur ſeorſim coram Sororibus ciſta. Producit Prioriſſa Regiæ Virginis cyclades, ac torques inæſtimabiles, duo videlicet cilicia, vnum qui-

dem

dem vſu frequenti laceratum, alterum verò recentius: cingulum ferreum duorum digitorum latitudinis, quo cingi ad nudam carnem ſub cilicio ſolebat: cingulum etiam ex pellibus, ſpiniſq; herinaceis. Varijs generis flagella, ac inter illa virgas, pelle itidem, ſetiſq; herinaceis imbutas. Rurſus inuenta ſunt regia ſandalia, ſocci quippè pernobiles, acuminatis interiùs ferri clauiculis adornati, quos illa pro delicijs in majeſtate geſtauit. Hi fuerunt theſauri inæſtimabiles, quorum pretio Eccleſia ditata, egenos ſubleuat vniverſos. Quod autem vitæ tempus B. Margarita reliquum habuit, inſtitutis cum Deo colloquijs totum impendit, amoriſq;, ejus, proquo Parentes Reges, regiamq; dignitatem reliquerat, ſæpiuſq; recuſaverat, ardentioribus, quò plùs fini appropinquabat, flammis correpta, vehementiſſimoq; illius fruendi deſiderio exæſtuans, pronuncians pſalmum trigeſimum, in ijs verbis, *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, fœlicem tantis virtutibus animam in manus æterni Sponſi depoſuit, die 18. Ianuarij, quæ dominica fuit, ad primum gallicinium, anno ſalutis, juxta communem computum, 1270. ætatis vero ſuæ 28. èquibus in monaſterio 25. in habitu Ordinis 24. annos innocentiſſimè tranſegit. Anno namq; ætatis tertio cœnobium ingreſſa: anno verò quarto ſacræ Religionis habitum induit. Qua diſtinctione conciliantur, quæ in hoc puncto apud ſcriptores diſſentire videntur, dum alij 24. alij 25. annos in Ordine vixiſſe tradunt, illud enim de tempore, quo cum habitu, hoc autem de illo, quo abſolutè fuit in monaſterio, accipiendum eſt. Corpus Virginis Sanctiſſimæ in extremo,

eoq; pientissimo agone, absque sensu omnium dolorum fuit, quemadmodum animus ejus innocentissimus semper fuerat sine aliqua corruptela. Porrò, quod apud Petrum Ribaden. Antonium Balinghem, Calendarium Germanicum, alioq; quosdam, mors ipsius ad diem 28. Ianuarij reponitur, per errorem scriptorum factum, quo pro 18. n. 28. irrepsit. Necfacilè, qui veriùs sentirent authores, animaduerti potuisset, nisi author antiquæ vitæ M. S. ac Petrus Ranzanus omnem ambigendi occasionem sustuliissent, dùm non semel in festo S. Priscæ Virginis, & Martyris (quod die 18. Ianuarij colitur) mortuam fuisse narrant. Nec omittam, authorem vitæ M. S. & Ranzanum, jam præcitatos, scribere, S. Virg. obijsse anno 1271. etsi alij communitèr in annum 1270. ejus mortem referunt. Si hoc accipiatur, non exegerat 28. annos completos ætatis, quando mortua est; nam cùm ad finem anni 1242. nata, & ad initium anni 1270. mortua sit, 27. ad summum annos egerat cum aliquot mensibus, vel diebus: si verò anno 1271. mortuam esse dicamus, faciliùs annos 28. integros, immò etiam menses aliquot, vel dies insuper natam tueri poterimus.

infrà cit.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Gloria eius varijs de cælo testimonijs ostensa.

POst transitum, facies, & caro Beatæ Margaritæ tanto decore, ac fulgore resplenduit, vt quandam immortalitatis gloriam, (sicut de sancto Martino S. Sev. Sulpitius scribit) etiam exci[illegible]a profer-

Epist. ad Sorum.

ret.

ret. Propterea, Philippus, Strigonienſis Archiepiſcopus, vbi Sanctæ Virginis corpus aſpexiſſet, Sororibus de illius morte contriſtatis, ac flentibus, dixit, *debere potiùs eas lætari, quòd Beata eſſet, & verè cum Chriſto regnaret in gloria, in cujus carne reſurrectionis inſignia adeò perſpicuè refulgerent.* Sed & præter admirandam ejuſdem carnis fragrantiam, inſigniaq́; miracula, de quibus poſtea ſcribemus, pluribus etiam præclaris viſionibus, Chriſtus Rex gloriæ, Sponſæ ſuæ gloriam oſtendit.

Ac inter alia, Soror quædam Ordinis Præmonſtratenſis, quæ in Inſula B. V. Deip. ad Clauſtrũ D. Michaelis degebat, paucis ante S. Margaritæ obitum diebus, vidit Glorioſiſſimam Dei Parentem, coronam inæſtimabilis pretij, fulgoriſq́; geſtantem, ac frequenti Angelorum Sanctorum, & Sanctarum comitatu ſtipatam, è cœlis ad Divæ Margaritæ cœnobium properare: quò cùm peruenisſet, S. Virginem ſolemni ritu coronauit: coronatam per ſcalas arte cœleſti fabrefactas, Divis comitantibus, lætiſquè vocibus concinentibus, & collætantibus, in cœlum perduxit. Hanc viſionẽ eadem Soror corã Pontif. Comiſſarijs, cum juramento confirmauit. Author vitæ M. S.

Virgo quædam alia Ordinis itidem Præmonſtratenſis, Eliſabetha nomine, Peſti apud S. Antonij cœnobiũ reſidens, S. Virginis Margaritæ mortis tempore, vidit fulgentiſſimam, ac ſupra modum radiantem ſtellam, ex ejuſdem S. Virginis monaſterio ſenſim aſſurgere, & in cœlum attolli. Tùm illa rei novitatem admirata, ex plurimis, qui aderant cœleſtibus Angelis comitantibus, & lætum pæana canẽtibus, quid rei eſſet ſtella illa tam illuſtris, adeòq́; mirabiliter

rabiliter coruſcans, interrogavit. Cui illi: *Margarita eſt, Belæ Regis filia, quæ terris relictis, cœleſtes manſiones conſcendit.*

Fr. Petrus Iaurienſis, Lector AA. & S. Th. nocte, qua Sancta Virgo deceſſit, poſt nocturnas preces obdormiens, audijt in ſomnis vocem dicentem, *Agna mortua eſt.* Dùm id mane Fratribus enarraſſet, omnes de S. Virg. obitu dictum intellexerunt. Is poſtea, cùm ad monaſterium B. V. Deip. acceſſiſſet, ea ipſa nocte, qua vocem audierat, illam didicit emigraſſe.

Eadem nocte, mulieri cuidam nobili, quæ à monaſt. B. V. Deip. 26. vel 30. circiter milliaribus diſtabat, mors S. Margaritæ eſt manifeſtata. Vbi enim mane ſurrexiſſet, maritum, virum etiam nobilem, ſic allocuta eſt. Probè noſti, dulciſſime Conjux, me, Margaritam Belæ Regis filiam, & ſanctimonialē nunquàm nouiſſe. Hanc certo certiùs ſcias nocte iſta ex hac vita migraſſe. Vidi enim in Spiritu, magna illam cum gloria cœlum aſcendere; quæ me etiam allocuta, dixit. Venià criminum egetis, ea expiandi cauſſà, ad ſepulcrum meum feſtinate: illic Dei miſericordiam obtinebitis. Vir inaudiens, diem ſilentio tranſigit. Dein inſcenſo equo, rem exploraturus, ad monaſterium pergit, eaq; nocte, qua vxor dixerat, mortuam reperit: Deumquè, ac Sanctiſſ. V. Margaritam glorificans, Fratribus Conjugis viſionem enarrat.

Frater Romanus, Iaurienſis Cœnobij incola, paulò ante S. V. Margaritam vita functus fuerat: is poſt dies aliquot ſuo Priori apparens, precum, & ſacrificiorum ſuffragia, quòd expiatorijs flammis detineretur, enixiùs

poſtulauit

postulavit. Cui Prior. Quomodo habet Soror Margarita, Belæ Regis filia, quæ ante dies viginti demigrauit? & F. Romanus: Soror, ait, Margarita, filia Regis Belæ, in cœlos statim delata; astitit à dextris Dei in vestitu deaurato, circumamicta varietatibus.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Funus, & corporis fragrantia.

COrpus Sanctæ Virginis defunctæ, ea ipsa nocte, pro more Ordinis, post ea præstita, circa corporis lotionem, & aptationem, sacrasquè preces, quæ ex Ordinario præscribũtur, totius monasterij processione ad Ecclesiam, infra Chorum, Sanctimonialium humeris delatum, ac depositum fuit. Incredibilis planè erat Sororum omnium luctus, quæ se Matre benignissima, atq; dulcissima, puroq;, atq; pellucido totius Sanctitatis speculo priuas contuebantur. Propter populorum concursum, sacrum corpus quatriduo relictum est inhumatum. Nam ad ejus exequias Rex, & Regina Parentes, Magistratus, & Principes, Archiepiscopus Strigonienſis, Episcopus Vacienſis, cum pleriſq; alijs Episcopis, & Prælatis, Viri Ecclesiastici, Religiosi, Prædicatores, & Minores, & aliorum Ordinum, cum innumerabili nobilium, pauperum, vulgiq; multitudine conuenerunt. Porrò Archiepiscopus, audiens Sororum præcipuè, ac Fratrum gemitus, atq; lamenta, remoto uelo, quo S. Virg. facies erat operta, vbi eam vidit quodam immortalitatis

Regis, Regin. præsentiam astruit Castill. Ribad.

decore mirabiliter refulgentem, vt eos consolaretur, (quamuis & ipse, & reliqui, cùm ob astantium deuotionem, tùm ob admirabilem S. Virg. venustatem, vix ægrè lacrymas cohiberent) dixit. *Quid super æterni Regis filia contristamini, & ploratis? Quid ni potiùs ei collætamini, quam ex glorificata ejus facie, manifestè cernitis æternæ beatitudinis brauium jam assecutam?* Interim Prouincialis, arcam ligneam fortem fabrefieri, vietisq; passim ferreis obligari curauerat, in quam deinde sacrũ corpus est illatum. Itaq; omnibus, quæ ad sepulturam necessaria erant, dispositis, Archiepiscopo Pontificalibus induto, solemni apparatu, & processione, sacrum corpus ad B. Virg. Deip. majorem aram deportatum est. Vbi idem Antistes, insigni celebritate sacrum cantavit, eoq; absoluto, sacros omnes sepeliendi ritus, ac ceremonias ipsomet perficiente, arca cum sancto corpore, tumulo, qui ad eandem supremam aram fuerat effossus, immissa est; non tamen eam terra, vel quacunquè re alia inhumarũt, sed velo duntaxat expanso operuerunt, sicq; complures dies permansit. Cœterùm, cùm ineffabilem odoris fragantiã virgineum corpus difflaret, Prouincialis F. Michael, coràm P. F. Marcello Exprouinciali, alijsq; P. P. in virtute Spiritus Sancti, sub formali præcepto, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Sororibus omnibus mandavit, vti edicerent, nùm ipsarum opera, aut scitu, adhibitis floribus, vnguentis, vel alia re odorifera, aut humana quacunquè industria, factum esset, quòd odor ille fragraret: omnes verò sanctè jurarunt, neq; opera, neq; scientia sua id eueniisse. Singulas etiam seor-

sum

ſum, diligentiùs examinauit, monens, quantum piaculum eſſet, quantaq; Deum, qui non eget, nec gaudet mendacio noſtro, injuria afficeret, id quiſquis humana arte procuraret; ac deniq; eadem monita in ſacro Confeſſionis Sacramento adhibuit: ſed neq; ſic humanitùs quippiam in ea re factum potuit reperire. Venerat F. Petrus Iaurienſis, (cujus ſuperiùs meminimus, quiq; poſteà electus eſt Prouincialis) ſex poſt S. Virginis ſepulturam diebus: is, vbi in loco ſepulcri tantam odoris ſuauitatem ſenſit, caputquè, ac manus ejus attrectans, majorem adhuc fragrantiam, ac ſi odorũ omnium ibi eſſet compendium, percepit, dixit ad Prouincialem. Pater, locus hic incredilem ſpargit fragrantiam: vide, ne aliqua ſit arte delibutus. Cui Prouincialis. ego rem iſtam rigoroſo examine, & omni, qua potui, fide, à Prioriſſa, Sor. Olympiade, alijſq; Sororibus, coram hujus Virginis ſepeliendo corpore, ac alijs etiam locis, ſuper re hac indagaui, nec tamen quicquam humano artificio factum potui inuenire. Toto ſpatio, quo intectum manſit ſepulcrum, tanta deuotione, ac reverentia illi Sorores aſtiterunt, vt non aliàs, quàm horariæ hymnodiæ, refectionis, & quietis tempore, ab eo divelli ſe paterentur. Quarta decima verò die, rudi, & impolito lapide, ſepulcri orificium, per Albertum, & Petrum è Lombardia, lapicidas, opertum eſt; qui jucundiſſimum etiam odorem inde exhalantem ſe percepiſſe, teſtati ſunt. Demùm poſt tres circiter menſes, cùm ijdem artifices, paratum jam è rubro marmore nobile ſepulcrum aptaturi, ſuperpoſitum pridem arcæ lapidem ſuſtuliſſent, tanta iterum ex Virgineo corpore odorum fragrantia ſpirauit,

quantam Hyblarum deliciæ, & omnes præstantissimorum vnguentorum apothecæ, non possent exæquare.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Miracula Sanctæ Margaritæ.

VEra miracula, quæ fieri nequeunt, nisi virtute divina, tanquam caussa principali, operatur Deus, teste D. Thoma, ad hominum vtilitatem, vno quidem modo, pro assertæ veritatis confirmatione, quo pacto fieri possunt miracula per quemcumquè, qui veram fidē prædicat, & Christi nomen invocat, etiam si interdum malus existat: aliomodo, pro demonstranda sanctitate alicujus, quem Deus hominibus proponere vult in exemplum virtutis, qua ratione, miracula non nisi à Sanctis patrantur. Ex ijs porrò Sanctitas perfectè comprobatur, cùm confessio fidei, & operum justitia, tesseram miraculorum habet adjunctam. Propterea canonizandi, primò de fidei excellentia, vitæ Sanctitate, mòx de miraculis inquiruntur, maximè post mortem: nam, si quis calumnietur miracula eorundem, in vita, quòd non attestentur bonitatem, & sanctitatem, ab omni calumnia alienum est, quòd post mortem miracula, & non ad eorundem sanctitatem illustrandam, per illos à Deo sint facta. Si enim inuisi Deo decessissent, & non essent Deo chari, ad invocationem eorum, deprecationem per eorundem virtutes, sanctitatem, & merita, nequaquam Deus faceret miracula, qui falsitati testimonium,

Divus Thom. 22. q. 178. 2. & 3. p. q. 34. art. 1.

Dominicus Grav. to. 3. præscr. p. 2. pagina 268.

ipse

ipſe veraciſſimus, ferre non poteſt: cùm verò Deo conjuncti ſunt, & operum ſanctitate illuſtres, ſignis divinitùs adornantur. Hinc Auguſtinus: *Quid agit Deus, mira opera faciendo circa Sanctorum corpora defunctorum, niſi teſtimonium perhibet, ſibi non perire, quod moritur? & vt hinc intelligatur, in quali honore habeat animas occiſorũ, quando caro exanimis tanto effectu Diuinitatis ornatur. Sicut enim de mẽbris Eccleſiæ loquens Apoſtolus, ſimilitudinem adhibuit de membris corporis noſtri, quoniam, quæ inhoneſta ſunt noſtra, his abundantiorem honorem circundamus: ita Prouidentia Creatoris, cadaueribus Martyrum tàm præclara miraculorum teſtimonia præſtando, exanguibus hominum reliquijs circumponit, & cùm è vita migranti tanquàm deforme jam remanet, vbi euidentiùs præſens vitæ dator, apparet.* Ad Beatæ Virginis Margaritæ ſanctitatem declarandam, plurima, mirandaq; ſigna, Dei omnipotentiã edidiſſe, omnes ejus vitæ ſcriptores, & qui, etiam abſq; vitæ ſcriptione, de ea meminerunt, apertè teſtantur. Inter alios Garinus, qui ſeptuaginta annis à morte ejuſdem Virginis, vitam conſcripſit, poſtquàm recenſuit miracula facta tàm in vita, quàm poſt mortem, ſic abſoluit: *Multa quoq; alia miracula fecit, & facit continuè in honorem Sponſæ ſuæ, Sponſus Virginum, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, cui cum Patre, & Spiritu Sancto eſt honor,* & cœt.

Diuus Aug. apud Gran. l. c.

1. ad Cor. c. 12.

Garin. ſcripſit vitam S. M. a. 1340

Sanctus Antoninus, Archiepiſcopus Florent. agens de Monaſterijs Sororum Ordinis noſtri in Hungaria, quæ extabant tempore ſuo, ait. *In Hungaria, monaſteria quatuor, inter quæ præcipuum eſt apud Inſulam, fundatum à Rege Hungariæ; vbi quieſcit Soror Margarita, filia Regis Hunga-*

S. Anton. 3. p. hiſt. tit. 23. cap. 13. §. 3.

riæ, quæ miraculis in vita, & post mortem claruit.

Petrus Ribad. *Quemadmodum Sancta Virgo se totam Deo consecrabat, continua ejus familiaritate, colloquijsq; gaudebat, ita vicißim Dominus, multis, magnisq; eam fauoribus cumulabat, & liberalißimè petitionibus ejus omnibus annuebat.* & subjectis pluribus miraculis, quæ gessit in vita, addit. *Plurimis alijs miraculis omninò stupendis Dominus Margaritam illustrauit, dùm meritis ejus quasdam monachas ægras sanauit, terribilem quandam tempestatem sedauit, ignem manibus innoxijs, ac illæsis contrectauit, cœlestem lucem quibusdam Deo deuotis hominibus detexit, molestasq; animi tentationes deterst, quibus afflicti, pœnèq; expugnati, decreverant aut Ordinem religiosum deserere, aut exijs, exquibus se læsos rebantur, vindices pœnas reposcere.* Et infra. *Corpus ejus, à morte adeò venustum, vt naturam vicisse videretur. Suauißimam odoris fragrantiam, virgineum funus multis diebus exhalauit. Et cœlestis Sponsus, multis miraculis mòx ab obitu illustrauit, illuminando cæcos, sanando claudos, curando hydropicos, & artritide laborantes, energumenos liberando, mortuos redanimando. Sic enim solet honorare Dominus eos, qui sui caussa sese regnis, bonisq; omnibus exuunt, seseq; ejus amore humiliant, ac demittunt.*

Abraham Bzouius. *Extinctæ corpus admirando odore fragrauit, facies autem admiranda puchritudine resplenduit. Viuens, atq; vita functa, ingentibus miraculis, sanctitatem suam illustrauit.*

Io: Michael Plodius. *Viuens, & mortua, miracula fecit, & gratias. Visum cæcis donauit, hidropicos, paraliticos, contractos, energumenos sanauit, mortuos suscitauit: à va-*

riſque, ac multiplicibus infortunijs homines liberauit. Ideò multiplicatis poſt mortem miraculis, Romanus Pontifex Inquiſitores deſtinauit, vt ijs collectis, in Sanctorum numerum illam referret.

Nos ea omnia fideliter ex varijs authoribus, præcipuè ex vita M. S. ſæpè relata, in qua, miracula multa, ſuſcepta à Comiſſarijs Pontificijs, pro illorũ inquiſitione deſtinatis, ſincerè continentur, in vnum collecta, deſcribere ſuo ordine curabimus, ab ijs, quæ in vita fecit, auſpicantes.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Miracula facta in vita.

§. I.

Circa lucem, & Corpora Cœleſtia.

I.

DE his ita ſcribit Garinus. *Quadam nocte, cùm eſſent denſiſſimæ tenebræ, duxit quandam Sororem* (hæc fuit Sabina, vt in vita ex M. S. recenſuimus) *ad locum admodum ſecretum, vt ibi manibus ejus verberaretur: vbi cùm ſe ſpoliaſſet, & carnem nudam expoſuiſſet, lux copioſa de cœlo ſuper eam deſcendit, & totam illuſtrans domum, tamdiù durauit, donec completa verberatione, veſtes reſumpſit: quibus vbi ſe induit, lux euanuit, & duæ Sorores, quæ hoc viderant, accurrerunt, vt ſe precibus ejus commendarent.*

II.

Quadam quoq; die, cùm adhuc non niſi decem eſſet annorum, inueniens juuenculas virgines ludentes in valetudinario, & propter obſcuritatem tenebroſi temporis, parùm, aut nihil videntes, dixit eis. Vultis, vt faciam vobis apparere So-

lem?

lem? illis desiderantibus, sed impossibile putantibus, indicavit locum quendam digito, satis propinquum, & dixit eis: ibo usq; ad locum illum, & antequàm reuertar ad vos, videbitis Solem clarè lucentem. Iuit, & orauit, & statim Sol apparens, & clarè lucens, totam domum illuminauit.

III.

Quodam tempore, cùm circa mediam noctem esset in ambulacro, quod est ante dormitorium Sororum, & de cœlestibus rogitaret, apparuerunt ei Sol, & Luna, lucentes in medio cœli.

§. II.

Circa ignem, aerem, & aquam.

I.

GArinus. Ollam ardentem, & tripodem ferreum candentem, de medio ignis, nuda manu, sine lasione manus, extraxit. De hoc etiam Vita M. S. Quadam vice, dùm Soror Sabina, Sororibus pro cœna cancros coqueret, olla ita succensa fuit, vt eam Sabina igni subripere non auderet. Rectà aduenit S. Margarita. Videt Sabinam metuentem igni subtrahere ollam: nec mora, medijs manum committit flammis; & tantùm abest, vt manum S. Virginis flamma adusserit, vt ne pilum quidem rapuerit vestimenti. Addi potest miraculosa flamma, quæ super caput ipsius orantis apparuit, vt superiùs de oratione ejus agentes retulimus. Sup. c. 15.

II.

Sequitur Garinus. Accidit quandoquè, vt cùm alia Sorore portaret in tabula panes fermentatos ad furnum, mappula

pula coopertos, eaquè Soror timeret ventum validum, qui jam ſuo impetu tectũ domus capitularis tranſtulerat in pomarium. Orauit ergo, & ſtatim ventus ceſſauit.

III.

Quidam Frater, ad preces ejus manere nolens, vt concionaretur, vbi abſceſſit, cum tempus eſſet mirè ſerenum, Virgo, ſicut ei comminata fuerat, orauit Deum, vt benè plueret, & manere cogeretur, vel inuitus; & ſtatim tanta extitit pluuia, vt diſcedere non poſſet.

IV.

Quodam tempore, Danubius inundans, hortum Sororum triduo inuaſit. At Prior Prouincialis, Margaritæ hoc narranti non credidit. Erubeſcens verò illa, quòd mendax putaretur, rogauit Deum, vt oſtenderet, vera ipſam dixiſſe. Mòxq; inundans Danubius, in cœnobium, & officinas Sororum ſeſe intulit. Itaquè Sorores fugerunt in ſolarium, Priorq; Prouincialis ad cœnobij murum aſcendit. durauit autem inundatio vſquè ad preces veſpertinas. Tùm verò Margarita, rogata à Soribus, orauit Dominum, vt aqua diſcederet, ſtatimquè receſſit. & ſub precibus nocturnis loca omnia adeò ſunt exſiccata, vt nullum vel aquæ, vel luti veſtigium ibi permanſerit. De hoc M. S. ſic habet. Quadam vice, tribus ante mortem S. Margaritæ annis, erat inundatio aquarum, & excurſus fluminum, vt in magnam ancillarum aulam aqua penetrarit. Eo tempore, poſt feſtum Epiphaniæ, adijt monaſterium F. Marcellus Prouincialis, dùmq; cœnobium ſubintraſſet, & ad locutorium Sorores acceſſiſſent, & honorificè loquerentur ei, S. Virgo Margarita ait etiam ad Prouincialem: Ven. Pater, nos ob exundantiam periclitatæ ſumus; nam Danubius adeò exundauit,

vt clauſtrum permeans, vix non rapuerit. Et oſtendit ei locum, ac veſtigium exundationis; & ait, vbi fuiſſent reliquiæ noſtræ? Reſpondit Prouincialis S. Margaritæ: Vade, jam hoc ego non credo. Igitur Deum deprecata eſt S. Virgo, dicens: Domine Jeſu, rogote, oſtende Prouinciali, me vera dixiſſe. Ecce res mira. Danubius illicò exundauit, & magno murmure, fluctuquè cœpit aulam ſubintrare, altiuſq; & altiùs ſemper creſcere. Prouincialis erat tùm in horto cum Sororibus: qui videns, & audiens fluctuantium aquarum murmura, & ſubitaneum flumen, territus eſt, & in ambitum fugit ex horto: eò pariter inſequitur aqua. In Capituli deinde locum fugit: nec illic tamen ſecurus ab aqua. Poſtmodum fugit in campum quendam, quem nunc Clauſtri modium appellamus, in quo laborabant Sorores in æſtate. In hoc horto, aut campo erant ligna, & aſſeres nonnulli, quibus ambitus conſulciebatur, in eos etiam aſſurgit Prouincialis, metu fluctuum. Hoc modo teſtimonium accepit, quòd S. Virgo Margarita verum dixiſſet. Cœterùm, aqua redÿt ad locum ſuum, ita vt ad veſperas nec veſtigium ejus ſit deprehenſum. ea verò exundatio facta eſt ante veſperas.

V.

Garinus. Puella quædam (vocabatur Agnes ex M. S.) miſſa ab ea, nocte Paſchæ, ad quærendam ejus tunicam, cùm eſſet nox obſcura, & ingens pluuia, cecidit in puteum profundum. Dùm verò quæritur, non inueniebatur, donec orante Sancta Virgine, in ſuperficie aquæ apparuit, & cum labore extracta eſt. Ejus autem omnia corporis membra confracta, & conquaſſata erant, carebatq; ſenſu, & motu, & planè mortua videbatur. Improperabant itaq; Virgini, quòd fuiſſet cauſſa mortis ejus. Orauit autem Virgo Beata cùm lacrymis; & ſtatim

puella

puella viua, & sana, nullam habens læsionem, surrexit, & ambulauit, prostrataq; ad pedes ejus, gratias egit, & postea multis superuixit annis.

§. III.

Circa res artefactas.

I.

DE his Garinus. *Cum Frater quidam ejus precibus nollet acquiescere, vt mancret, & die crastino haberet concionem, orationis B. Margar. virtute, nullo tangente, fractus est currus Fratris, & sic coactus est remanere. Peracta verò concione, rogauit Virginem, vt currum sibi restitueret. Orauit illa cum lacrymis, & statim currus, nullo tangente, sed multis videntibus, fuit diuinitùs reparatus.*

II.

Simile quiddam contigit etiam aliàs cuidam Fratri manere renuenti; cùm enim vsq; ad villæ limites processisset, orante Virginе, fractus est currus, & ejus absoluta concione, instauratus.

§. IV.

Circa ægritudines.

I.

GArinus. *Cum Sorores quandoq; medicamenta apponeret cuidam oßi ejus, & quædam Soror ea causa murmuraret, nòx illa idem os similiter affectum sensit in suo corpore, donec ad Virginem veniens, culpam edixit suam, & veniam postulans, verbo illius statim curata fuit.*

De hoc ita M. S. *Quadam vice, dùm è terra ſurgeret ab oratione S. Virg. os armi ejus eſt eluxatum, cujus dolorem grauitèr perſentiebat. Tùm Prioriſſa cum Sororibus triſtari cœperunt, & remedia ſollicitare, quibus dolorem S. Virg. obleuarent. Quædam Soror, S. Margar. conſaguinea, Stephani Regis Neptis, nomine Margarita, animo verſabat admirabunda, ſubridens, quanta ſollicitudine, vni Religioſæ Moniali, tot perſonæ medicinam perquirerent: & ecce ſubitò ſenſit in humero dextro eundem, quem S. Virg. dolorem. Nec mora, vadit ad Sororem ſuam S. Margaritam, ad pedes ejus procumbens, aperit, quòd illa cogitarat, faſſa quoq;, quo dolore corripiatur, ob temeram, & liuidam illam cogitationem, ſupplex veniam precatur. Cui S. V. Deus tibi parcat, & ſtatim, verbis finitis, ſanata eſt.*

II.

Sequitur Garinus. *Soror quædam, grauem patiens dolorem digiti, rogauit eam, vt, ſi quam haberet gemmam talis doloris expultricem, ipſi accommodaret: at illa ſtrinxit digitum ejus, & confeſtim dolor ceſſauit.* M. S. ſic habet. *Soror, nomine Eliana, quodam tempore, digiti dolore quopiam manus dextræ laborabat, vt ejus cruciatu à nocturna requie impediretur. Vadit igitur Soror ad lectum S. Virg. Margar. & dicit ei. Obſecro te, ſi lapidem bonum, proficuum contra cruciatus habes, præſta mihi, digitus enim mihi vehementer dolet. Sancta Virgo Margarita, cepit, ac ſtrinxit digitum ejus, & dixit. Vade Soror, & dormi. Illicò mirè Sororis digitus dolore liberatus eſt.*

III.

Proſequitur Garinus. *Prior Prouincialis, rogauit eam, vt curaret ſocium ſuum, Fratrem Conuerſum, à quartana*

febre,

febre, quæ illum vexauerat à feſto B. Dominici vſq; ad Purificationem B. V. orauit ergò, & quamprimùm curatus eſt. M. S. *Frater Laicus Ord. Præd. nomine Ioannes, magnæ fidei, & pietatis, dùm quartana non mediocritèr à die S. Dominici ad B. Virg. Purificat. vſq; diem febricitaret, & medicorum pharmaca jam prorſus irrita eſſent, & mortem potiùs accelerarent, Pater Prouincialis, quia ſocius illius erat, eoq; ad conficienda longinqua terrarum itinera, vtebatur, ad S. V. Marg. eum miſit, vt precibus ſuis eum febri curaret. Venit igitur Frater ad Clauſtrum, & S. V. Marg. ad rotundam feneſtram accerſiuit, nuncium relaturus. Accedit S. V. cum ſimplici humilitate. Tùm Frater ait: Pater tuus Spiritualis, Fr. Marcellus Prouincialis, me ad te miſit, vt apud Deum pro me ſupplices, quò à proxima morte tuis precibus liberet. Cui S. V. ſilentio pauliſper, ac cogitatione ſuſpenſa, reſpondit. Dominus noſter Jeſus Chriſtus eſt, qui, ſublatis infirmitatibus, reſtituit ſanitatem. Et ego, quantum in me eſt, faciam, quod à Patre meo ſpirituali juſſum accepi. Porrò tu etiam ora pro te diligenter. Quærit etiam S. V. qui eſt tuus febrium dies? & ille, hodiernus, inquit. Intrat igitur S. Margarita Oratorium ſuum (cubicellum intra Chorum, murumq;, quod illa Crucifixi, ac Sanctorum imaginibus, & reliquijs piè exornabat, hodièq; locum S. Margar. appellamus) tùm deuotas preces Deo litans, Fratrem febricitantem integrè curauit, vt pluribus Frater atteſtatus eſt.*

I V.

Author V. M. S. *Quodam tempore, P. Fr. Marcellus Prouincialis, cum quibuſdam Fratribus Monaſterium intrauit, & ad conſolationem S. Margaritæ, & aliarum Sororum, inuiſurus valetudinarium, aſſumit ſecum S. Margar. Ma-*

giſtram ejus, & nonnullas è Sororibus. Dùm ibi Prouincialis ſpectat quatuor Virgines Nouitias, genere nobiles, tenerrimæ ætate, dira febre atrocitèr exanimari, rogatur ab eis, mandare velit S. Margaritæ, vt orationibus ſuis eas curaret. Dixit q. Prouintialis, gratioſa, & honorifica reprehenſione. Quid hoc, Soror Margarita, quòd tuæ Sorores tanta ægritudine tenentur? vbi tua ſollicitudo, & miſericordia? Vade igitur, ora pro illis, vt Dei gratia conualeſcant. S. Margarita, ſancto pudore ſubridens, conticuit. Cæteroquì, cùm Prouincialis, ac Fratres diſceſſiſſent, S. Margar. obedientiam factura, petit Oratorium; die altera, ægrotantes Sorores, incolumitatem receperunt, benedicentes Deum, colentes Sanctam Margaritam.

V.

Vita M. S. Aliæ quædam Soror, in cœnobio graui morbo laborabat. S. V. Margarita circa illam ſollicita cura, de more, ſtatagens, pharmacum, quod illi ægritudini curandæ idoneum eſſe intellexerat, ſubitò apparauit, & ægræ Sorori dedit, quo illa recepto, extemplò, linguæ, & intelligentiæ vſum amiſit. Tùm Sancta Virgo, metu ſubito perterrita, ne Sororis valetudinariæ mortis cauſſam dediſſet, cupiens ex animo illi ſalutem afferre, ocyùs dimiſit Sororem, quæ afferret auream tabellam, in qua particula Crucis Chriſti Redemptoris, & plures Sanctorũ reliquiæ erant repoſitæ. Coram hac profuſis lacrymis, extenſis, rurſumq. complicatis manibus, magna fiducia orauit, dicens. Domine Ieſu Chriſte, ſi quid apud D. M. T. indignæ famulæ tuæ opera valuerunt, præbe mihi hanc de multitudine gratiarum tuarum miſericordiam, ne hæc infirma famula tua moriatur, ſed priſtinæ reddatur ſanitati. Quibus precibus abſolutis, ſtatim Soror ægra perfectè conualuit, vo-

lente

lente Deo, S. Virg. adhuc in terris viuentem etiam hoc miraculo clarificare, quod firmißimo deinde teßimonio à Commißarijs S. Pontificis receptum fuit.

§. V.

Confidentia magna Viri nobilis ad B. Margaritam adhuc viventem ob quam se ab omni periculo liberatum iri certò credebat.

EX vita M. S. *Cum Rex Bela. Clauſtrum B. Virginis Mariæ fundaret, præclaraquè hæreditate donaret, virum nobilem, nomine Carolum, Budæ veteris incolam, Perſonalem ſuum, & Judicem Budæ, præfecit ejus fundationis negotio. Is ergo de Sancta Margarita tale perhibuit teßimonium, quòd à prima illa fundatione virgo illa pulcherrima, vitæ ſanctitate præ omnibus floruerit: &, quòd ille tantam in ea adhuc ſuperßite fiduciam ſemper poſuerit, vt montes, valles, ſylvas, latronum ſpeluncas, cæteraq; loca periculis obnoxia peruaßurus, per S. Margaritam egregiè ſuperaret, neq; vßpiam crederet inſidias, aut pericula ſibi ſic ſperanti poſſe nocere.*

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Miracula poſt mortem S. V. Margaritæ patrata.

SIgna, quibus S. Virgo Margarita poſt mortem claruit, ex vita M. S. cujus author fatetur ſe illa excepiſſe ex proceſſu, & inquiſitione facta per Commiſſarios Pontificios, qui ejus

exemplar

exemplar Monasterio insulæ B. Virg. Deiparæ reliquerant (vno excepto) desumpta, sequenti ordine digessimus.

§. I.

Febre laborantes, curati.

I.

IPsa hora, qua B. Margarita ex hac vita mortali decessit, Soror Elisabetha, Ladislai Serenai filia, graui, & longa ægritudine decumbens, (quippe quæ à festo S. Laurentij ad diem vsq; S. Priscæ Virg. & Martyris, qua B. Margar. obijt, acri febre laborabat) è lecto sine ope surgere nullo modo poterat. Hac mortem B. Margar. inaudiens, amarissimo corde doluit, quòd cum reliquis Sororibus in ejus funere inseruire non posset: & in mente sua proposuit, si Christus Dominus, meritis Sponsæ suæ illam sanaret, se ei ministerio libentissimè operam daturam. Vix hoc statuerat, cùm statim, absq; vllius auxilio, sana, & incolumis exiliens è lecto, & pergens B. Margar. corpus, ibi, vt optauerat, cœpit inseruire; acceptis enim de illa vestibus, quæ ob coquinaria ejus seruitia, maculata erat, mundioribus eam induit, alia q; pietatis opera obiuit.

II.

Soror Frosina, D. Jacobi Nitrai filia, dùm quodam tempore ægrotaret, dixit in corde suo, scio, te, Virgo Margarita, Sanctam esse: pete Dominum, vt auferat à me hanc infirmitatem; votum q; fecit, se in ejusdem S. Virginis honorem, quindecies orationem dominicam, & angelicam salutationem, diebus singulis, recitaturum; & illicò sanata est: sed cùm voti impletionem prætermittebat, iterùm infirmabatur.

III.

Soror Stephana, Domini Fousæ filia, graui ægritudine lecto deprimebatur; apparuit illi in somnis B. Margarita, & facto super eam Crucis signo, extemplò restituit sanitati.

IV.

Soror Margarita, Matthiæ Transyluaniæ Principis Mater, D. Papæ Commissarijs testata est, quoties cunq; sibi ægritudo aliqua, aut filijs suis clades accidisset, ad S. Virg. confugisse, & exauditam fuisse.

V.

Soror Cecilia, dùm post obitum S. Margaritæ ægrotaret, coràm Sorore Agatha, D. Serenai filia, eidem se commendans, opemq; ejus implorans, subitò conualuit.

VI.

Soror alia, per trimestre, quartana, vel tertiana identidem febre laborabat; cui Soror Elisabetha, Comitis Adriani filia, cùm vinum, in quo S. Marg. crines eluti fuerant, potum dedisset, sanitatem recepit.

VII.

Frater quidam, Albertus nomine, vir honestus, ac pius in Deum & Sanctos, qui habitabat in Xenodochio, acerbissimo quartanæ dolore in dies confectus, etiam genibus contrahebatur. Is meritis Sanctæ Virginis confisus, votum vouit, magnoq; se illi deuotionis affectu commendauit. Finita commendatione, aliqua diei parte præterlapsa, cùm à quartanæ vexatione, tùm à genuum contractione, integræ valetudini restitutus surrexit, & vota redditurus ad ejusdem Virginis tumulum magna deuotione accessit; vbi humi prouolutus gratias egit, ac deinde re Fratrib⁹, alijsq; plurimis manifestata, recessit.

VIII.

Quidam Nicolaus, vbi per annum quartana laborasset, toto corpore intumescens, consilio Medicorum lepræ proximus adjudicatur; ab ijs itaq; derelictus, spem in S. Virginem Margar. conijcit, vouetq;, si ejus benignitate salutem obtineat, se monasterio, in quo ejusdem corpus quiescit, absq; pretio famulaturum. Vix dixerat, & sanatus est statim: votumq; deinde suum bona fide absoluit.

§. II.

Contracti.

I.

Benedictus vietor, ac faber lignarius, annorum 40. de Pago Dan, & districtu Vaciensi, ex continuo morbo triennali, attractis genibus ad pectus, calcaneisq; cum sessili parte complicatis, jugi molestia, lecto, velut stipes, inhærebat. Inaudiens verò S. Virginis Margaritæ miracula ingentia, rogauit parentes, & cognatos, vt se ad illius sepulcrum deferri curarent, confidens, ac sperans, si illud tangeret, se ab omni ægritudine liberatum iri. Cui mater, omni spe abjecta, si Pater, inquit, meus, morte jam pridem abreptus, surrexerit, tu conualesces. Vrgens nihilominus instanter petitionem, allatus ad sepulcrum, sic orauit. Credo, mea Domina S. Virgo Margarita, D. mei Belæ Regis filia, quæ à primæua infantia, spretis regijs Parentibus, mundi gloriam, & imperium, Dei Jesu Christi seruitio posthabuisti: credo, inquam, te, apud D. Jesum Christum tanti esse meriti, vt me ab hoc jugi cruciatu possis liberare, si velis. Rogo te supplex, & inuoco tota cordis pietate, impende mihi opem tuam medendi

præsentissimam.

præsentissimam. Jacet miser depositus ad sepulcrum; & ecce, dùm, præterlapsa jam hebdomada, sacrum cantaretur, Dei misericordiam, quam S. Virginis meritis tota fide implorabat. Tota confestim corporis integritate recepta, surgit absq; vlla ope: terq; circumit sepulcrum, Deum mirabilem in Sancta Virgine sua Margarita glorificans. Pedibus deinde firmis in patriam remeauit, ex qua sæpiùs cum Compatriotis, more, & habitu peregrinorum sepulcrum frequentabat. Factum est hoc post mortem Sanctæ Virginis anno vno, & quinq; mensibus, anno Domini 1272. 13. Junij, die martis post octauam Pentecostes, post horam tertiam.

Ex tam exacta temporis hujus miraculi descriptione, colligitur, B. Margaritam anno Christi 1271. mortuam esse.

II.

Puella quædam annorum duodecim, nomine Piuba, cujusdam Patricij familias filia, brachium sinistrum habens ad humeros retroversum, atq; contractum, manumq; prorsus aridam, vt nihil in ea, præter ossa pelli affixa, apparerent: valdè deuota ad sepulcrum S. Virginis, & ad virtutes, quas de illa audiebat, frequentèr ad ipsum accedebat. Cùm igitur semel Summi sacri Euangelium decantaretur, Puella, coram ampla illic præsente multitudine, palmam, brachiumq; exporrigit, ac singulis integram se, & incolumem manifestat. Quæ deinde dies aliquot magna pietate ad sepulcrum consistens, videndi cupidis, quod meritis S. Virginis circa se mirabiliter factum fuerat, ostendebat.

III.

Erat Megyeri mulier, nomine Maria, genibus à

multo tempore sic contractis, vt vi nulla posset ea extendere, & si quopiam ire tentasset, se parte sessoria ad terram protruderet. Traba igitur perducta in Insulam, inde ad tumulum S. Margar. vlnis mariti deportata est. Cùm autem illic tunc sanitatem non recepisset, apud Sestras in eadem Insula juxta Claustrum, vt quotidie ad sepulcrum deportaretur, dimissa fuit. Delata itaq; diebus singulis à Sestris ad Ecclesiam, illinc ad sepulcrum reptando tendebat: sed duarum hebdomadarum spatio non est sanata. Die verò quadam, magna hominum frequentia ad sepulcrum existente, eò se vsq; traha perduci curauit, suo illo more vltra reptare præ multitudine verecundata. Cùm autem non longè esset, Frater quidam Vincentius, frustulum ex S. Virginis scapulari, & lixiuium crinium ejusdem ei tradidit, jubens genua lauare, pannoq; illo detergere. Quo peracto, mulier humi reptans, sepulcro se stitit: vbi Deus, suæ Sponsæ meritis, illam statim coram omnibus perfectæ reddidit sanitati. Quod cum Fratres Sororibus indicassent, ea, Te Deum laudamus, decantarunt in organis, & cimbalis, campanis nimirum, benè sonantibus, Deum laudantes in Sanctis ejus.

§. III.

Aridis membris.

1.

Vir quidam honestatis non vulgaris, S. Virg. sepulcrum ex deuotione visitare cupiens, cùm Socios invitasset, à quibusdam à sancto proposito fuit auocatus. Duobus elapsis diebus, iterum eos rogauit, vt ad Insulam B. V. Deip. non pietatis prioris, sed deambulandi, & vacandi studio vnà secum egrederentur. Vix remigan-

tes portu prouehebantur, cum viri illius dexteram repentinus dolor occupauit, qui continenter augeſcens, antequam traſueherentur, brachium reddidit ſine ſenſu, manuſq; illius adeò exaruit, vt eam vltrò citròq; leuare non poſſet. Tum verò cognouit, dolorem inde profectum, quòd à pio peregrinandi propoſito ſe auocari ſtuiſſet. Abijt propterea ad S. Virg. ſepulcrum: quia tamen non eam, quam par erat, de illius ſanctitate opinionem, & fidem conceperat, nullam gratiam eſt conſecutus. Tunc agnito peccato ſuo, compuncto, & humili corde, cum planctu magno cœpit orare: ò Beata Virgo Margarita, Dei amica, è diuerſis hujus regionis partibus, diuerſis morbis laborantes, hùc venientes, tuis meritis conualeſcunt, incolumeſq; cum gaudio repetunt domos ſuas: ego verò ſaluus egreſſus è domo, ob meam indeuotionem, & incredulitatem, ad perpetuam ipſiuſmet, totiuſq; mei generis ignominiam, illam repeto. Reſpexit Deus compunctionem, & lacrymas illius, meritiſq; Sponſæ ſuæ opem illi priſtinæ ſanitatis impertiuit. Qui deinceps, magna, & feruenti pietate S. V. Margar. venerans, ejus ſepulcrum frequens inviſebat.

§. IV.

Immobiles.

I.

VIr quidam Nobilis, non longè diſtans à Villa S. Eliſabethæ, quæ eſt juxta Peſtum, morbo preſſus, toto triennio ſtipitis in morem lectum preſſerat, nec manus, aut pedes potuerat dimouere, ac ne quidem loqui, aut cibum ſumere, ita vt per plumas cibum in os ei ingerere opus eſſet. Dum ergò ita jaceret, nocte quadam apparuit ei S. Virg.

Margar. in somnis, & contrectans eum, dixit: Quid agis miser? Nocte insequente iteratò comparens Sancta Virgo, surge, ait, mando tibi: vade ad sepulcrum meum, & sanaberis. Hisce auditis, æger illicò sanatus exurgit, quem nati, & pueri ejus videntes, præ gaudio alij flebant, alij in risu exultabant. Die altera cum consanguineis, & affinibus ad sepulcrum S. Margaritæ pergens, quæcumq; secum gesta fuerant, coram magna multitudine enarrauit, gratijsq; peractis Deo, & S. Margaritæ, ad propria lætus remeauit.

§. V.

Leprosi.

I.

VAcij (Ciuitas est Hungariæ) Sartor, nomine Benedictus, vno, & amplius anno lepra conficiebatur, vt non ipse solùm, sed & familia tota cum Medico spem omnem sanitatis, ac vitæ ejus abÿcerent. Ille nihilominus toto cordis affectu se S. V. Margar. commendans, peregrinandi consilium iniuit ad ejus sepulcrum, jamq; tertio peregrinationis die, qui Sanctis Cosmæ, & Damiano sacer erat, integram obtinuit sanitatem; & coram turba magna, pro acceptis per merita S. Virginis à Deo beneficÿs, gratias egit, alta voce inclamans, & enarrans misericordias, & virtutes ejus.

II.

Albertus Banus, post diuturnas ægritudines, toto corpore intumuit, ac manifestè leprosus factus, nulla Medicorum ope sanabilis censebatur. Is, vxoris suæ, aliorumq; condolentium amicorum consilio, vouit coram eis, sepulcrum S. V. Margar. se inuisurum, desperatam penitùs vitam suam illi commen-

dans:

dans: cum ecce eadem nocte ab omni prorſus morbo, atq; dolore liberatur. Poſtmodùm Anna Duciſſa, vnàq; Albertus Banus ad ſepulcrum conuenerunt, & illic jurati, miraculum, coram aſtipulatis teſtibus Nicolao Præpoſito Syrmienſi, & cæt. recenſuerunt. Peractiſq; omnibus, cum gaudio domum redierunt.

§. VI.

Podagrici.

I.

Soror Margarita, Neptis Stephani Regis, & Dominæ Annæ filia, audiens diuerſarum agritudinum genera, meritis S. V. Margar. miraculosè curari, mente prorſus incredula cuncta diffitebatur. Hæc aliquando ex feneſtella Chori, qua Chriſti Domini corpus à populo viſebatur, mulierem vidit podagra miſerrimè confectam, adeoq; contractam, vt nullis, præterquam manuum, & capitis articulis vteretur: quæq; magna vi manuum, per pavimentum cum omnium commiſeratione prorepebat, extra templum verò bigis quibuſdam trahebatur. Dum itaq; miseram hanc aſpiceret, voluit de S. V. Margar. ſanctitate capere teſtimonium, dixitq;. Soror Margarita, ſi mulierem hanc, præſente me, ac ſpectante, ſanaueris, magna Deum gratiarum actione glorificabo, & ſanctitatem tuam merito cultu venerabor. Mira res: vix media hora præterlapſa, illic perſiſtente adhuc Margarita, miſera illa podagrica, & contracta, coram magna populi frequentia, diruptis morbi diuturni vinculis, perfecta reddita eſt incolumitati. Ad ſepulcrum itaq; properans, miſericordias Domini decantat, grates S. V. Margar. rependit.

Transactis nonnullis deinde diebus, ex quo domum redierat, Parochus, & fideles districtus illius, pulcherrima instituta processione, cum Cruce, vexillis, cantu, & laudibus, mulierem sanatam ducentes, ad sepulcrum S. Virg. conuenere: ibiq; testimonium de diuturna ejus mulieris infirmitate ferentes, Deum in S. Virg. sua Margarita mirabilem, sacris, precibus, eleemosinis, aliisq; pietatis cultibus glorificauerunt. Soror verò Margarita, quæ priùs Virginis sanctitatem diffitebatur, in fide, ac deuotione ejus firmata, eam posthac corde, & ore semper exaltauit.

§. I.

Vir nobilis, Petrus Leatai, variis plus triennio agritudinibus confectus, augescentibus doloribus, etiam podagra contabescebat, adeò vt nulla se in parte vltrò citrò q; versare posset, sed sola ope ministrorũ linteo inuolutus. Is crebra meditatione, desiderio, fideq; bona sepulcrum S. V. Margar. visitare cupiebat. Cùm autem Deum gemebundus precaretur, Sanctæq; Virg. opem imploraret, optans votum perficere, si dolor tantillum indulgeret, vt vel curru eò deuehi posset, fide, ac deuotione ipsius mota S. Margar. pulchro, decoroq; comitatu ei in somnis apparuit, manibusq; suis leniter ipsum contrectans, dixit, In nomine Dei Jesu Christi, juxta fidem tuam, optatam accipe sanitatem. & his dictis, disparuit. Petrus verò se integerrimè curatum persentiens, surrexit, & ad S. Virg. Margar. sepulcrum cum magno comitatu properauit; Deiq; misericordiam, & præsentem Sponsæ ejus opem palàm omnibus ad mortem vsq; deprædicauit.

§. VII.

Epileptici.

I.

Verum quendam, qui Theleuizi toto anno epilepſia diſcruciatus, indecorè vultu, oculiſq́ deformabatur, Parentes ejus, inito voto, ad ſepulcrum S. V. Margar. deportarunt. Cumq́ eſſent in progreſſu, puer coram ſubſequentis populi frequentia ſanitatis beneficium adeptus eſt. Hinc Parentes ejus, cæteriq́, mirè gaudentes, cum pſalmodia, & gratiarum laudibus inſtitutam peregrinationem proſequuntur.

II.

Adoleſcens, epilepſia quadriennium laborans, ac ter quaterue in die ipſo morbo vexatus, mortuo ſimillimus videbatur. Hic accedens S. Virg. ſepulcrum, vbi velum capitis ejus attigit, curatus eſt ſtatim.

§. VIII.

Inſani.

I.

In arce Somogy, (latine eſt Simigium) Martinus quidam, inſania diù fractus, corpore horridus, ac indecorus, concurſuq́ moleſtiarum in morem energumeni mentis impos, vinctus ferreis catenis detinebatur: alioquin è cuſtodum manibus elapſus, plures grauiter vulnerabat. Cuſtodes ergò, & conſanguinei illius, vouent, ſi S. Virg. Margaritæ meritis liberetur, inde (longinquo planè loco) ad

ſepulcrum ejus, cum magna deuotione peregrinationem inſtituturos. Et ecce, vix poſt horæ dimidium Martinus in clamat, Sanus ſum, ſoluentes itaq; me, liberum dimittatis. Sed ei non prorſus credentes, vinctum adhuc per horam detinuerunt, poſtquam catenis ſolutus, rationis dominium cum priori manſuetudine, perfectaq; valetudine iniuit: & peregrinationis votum per cuſtodes, & conſanguineos ſuſceptum, cum eiſdem lætus, ac deuotus abſoluit.

III.

Nobilis fœmina, inſaniæ vexata, ſecluſo loco detinebatur: cujus Conjunx Vpor, vir honeſtiſſimus, & amici, voto ſe ſe adſtringunt pereginandi ad S. V. Margar. ſepulcrum, ſi ejus meritis, quibus eam Deo commendarant, ſalutem conſequatur. Peracto voto, mulier ſanitatem plenè adepta eſt, non exigua multorum ædificatione, quòd inſana, fide, ac deuotione aliorum, ad rectam mentem ſit reuocata.

III.

Joannis Kelti Judicis vxor, à mente alienata, & à multis energumena exiſtimata, ferro vincta detinebatur. Amica, vicinaq; ejus beneuolentia, & commiſeratione impulſa, votum ineunt, S. V. Margar. humiliter deprecantes, & inſanæ mulieri mentem, ac ſanitatem integram impetrarunt: ſanamq; ad ejus ſepulcrum ducentes, multis hoc miraculum teſtibus comprobarunt.

§. IX.

Cæci, & oculis laborantes.

I.

QVidam, diù profluenti epiphora, oculorum lumen amiserat. Hic corde compuncto, cum alijs ad sepulcrum S. Virg. Margar. peregrinantibus, puero duce, perrexit. At verò arcano Dei consilio nullum sanitatis beneficium excepit. Tùm moestus, ac gemens, trium, quatuorue dierum iter conficiens, redijt, domumq; subintrans, sellæ insidet de more juxta focum, & accersita vxore, ac filijs, suspirans ait: ò Domina S. Virgo Margarita, multi meritis tuis, Dei misericordiam consecuti sunt, vnicus ego, prout iui, cœcus redij ob peccata mea. Deinde jubet vxorem ob auræ suauitatem fenestras aperire. Vix illa aperuerat, cùm ipsi coram tota familia exoptatum oculorum lumen donatum est. Tùm domo se proripiens, accersitis amicis, cognatis, ac Parocho, summas Deo, Sanctæq; Virg. Margar. gratias egit, & apparato conuiuio, epulatus est cum lætitia. Transacta verò hebdomada, peregrinationem ad S. Virg. sepulcrum cum litatione magni Cerei, prout vouerant, ijdem perfecerunt, vbiq; beneficium adeò insigne deprædicantes.

II.

Cujusdam viduæ filia, nomine Anastasia, dolore oculorum à quinquennio cœcutiebat: ea, dùm duceretur ad S. Virg. sepulcrum, Religiosorum, ac vulgi multitudine præsente, & eò peregrinante, visum recepit.

III.

Elisabetha Teutonica, Ordinis de Pœnitentia, jam Octennium oculis laborabat; ob apostema namq; extuberantes genæ, oculos illi adoperuerant, proindeq; cœcutiebat. Delata ad S. V. sepulcrum, ejus meritorum fiducia dies nonnullos illic egit. Deniq; die Deip. Virg. Assumptæ, detumescentibus genis, nullumq; deformitatis signum retinentibus, visum recepit in conspectu magnæ multitudinis hominum, anno Christi 1273. & cum gaudio domum reuersa est.

IV.

Sororì Agneti, D. Gregorij Somogy filiæ, festo quodam die S. Joannis post obitum S. Virg. Margar. faties adeò intumuerat, vt offuso dextro oculo nihil cernere posset. Aqua, in qua S. Virg. crines eloti fuerant, faciem lauit, & sanitatem recepit.

V.

Jacobus Mihaly, Vir insignis, & Comitatus Nitriensis Comes, jurauit, & nobilium virorum testimonio probauit, quòd, dùm cephalalgia laboraret, & dolore oculi dextri ægrè cruciaretur tribus mensibus, adeò vt lumine illius amisso, de remedio Medicorum jam desperasset, ad opem S. Virginis Margaritæ confugiens, vbi apud illius sepulcrum cum magna cordis synceritate, ac pietate, quatriduum perseuerasset, perfectam capitis, oculorum, totiusq; corporis sanitatem recuperauit. contigit id tertio post ejusdem S. Virginis obitum anno.

§. X.

Qui loquendi vsum amiserant.

I.

MArtinus è tractu Posgaino, Slavus, diuturno morbo decumbens, obmutuit, pedesq́, ac manus ei contabuerunt. Audiuit miracula S. Margar. fiducia plenus, ad ejus sepulcrum è longa distantia se curat deportari. Ibi linguæ vsum, membrorumq́, sospitatem, quibus à die bacchanaliorum ad festum vsq́ S. Georgij priuus erat, plenè recepit. Hoc miraculum, Martinus ipse, D. Papæ Commissarijs apertè deposuit.

§. XI.

Dentium dolore laborantes.

I.

FRater Petrus, Lector Laurienſis, grauem dolorem dentium, & tumorem in facie quatuor dies, ac noctes passus erat. Noctis igitur principio orauit Virginem Christi Margaritam, vt ipsum liberaret, promittens se diebus singulis in honorem ejus genua curuaturum, si voti compos fieret. Et ecce mane fuit penitus liberatus. Ita Garinus in vita S. Margar. Præter hoc vnum, miracula post mortem facta, ex vita M. S. describimus.

§. XII.

Dissenteriâ, & Cephalalgiâ vexati.

I.

STrigonij, mulier Ordinis de Pœnitentia, multæ honestatis, & famæ, auri netrix, Meza nomine, jugi trium annorum dissenteriæ, & cephalalgiæ morbo

laborabat.

laborabat. Consumpto jam peculio, ad incitas redacta, audijt S. Virg. ope ægerrimos quosq; sanitati restitui. Confidens itaq; se salutem consecuturam, cum per se proficisci non valeret, curat se ad sepulcrum curru vehi. Cum adhuc esset in via, dolore cœpit alleuiari: vbi verò ad sepulcrum pervenit, contrectato S. Virg. velo, exoptatæ salutis beneficio potita est.

§. XIII.

Languidi.

I.

ADolescens quidam, per omnia languidus, jacens in Xenodochio S. Elisabethæ sub monte Gerardi (sic nuncupatur, quòd sub eo monte S. Gerardus à gentilibus adhuc Hungaris atrociter fuerit interemptus) cùm accepisset, ad sepulcrum S. Virg. Margar. morbidos quosq; miraculosè curari, omni studio sategit, vt eò posset deferri. Delatus, vi morbi, in marmoreo pauimento coactus fuit jacere: vbi S. Virg. intercessionem, & opem piè implorans, confestim restitutus est sanitati.

§. XIV.

Dæmoniaci.

I.

PVella quædam, nomine Elisabetha, postquam desponsata fuisset, Sponsus ejus in regionem longinquiorem recessit. Cujus absentia pertæsa puella, cœpit ad varia loca sola diuagari. Tum Sathan infernalis, assumpta Sponsi figura, puellæ occurrit, eam subintrat, & obsidet. Jam

dæmoniaca puella, procurrens, Patrem, Matrem, Fratres, & obuios quosq; grauissimè vexat, interdum pugnis, & vnguibus impetens, nonnumquam lapide, ac fustibus cædens. Tum à Parentibus capta, & catenis fortissimè vincta est. & cum antea, nullo, præterquam hungarico idiomate loqueretur, quinq; menses, Teutonicâ, Sclauonicâ, alijsq; diuersissimis linguis loquebatur. Porrò Parentes ejus, intelligentes miracula, quæ Deus ad sepulcrum S. V. Margar. operabatur, filiam eò deducunt. Transactis verò aliquot diebus, die anniuersaria obitus ejusdem S. Virg. quæ S. Priscæ sacra est, præsentibus Rege Stephano, (Fratre illius vterino) Proceribus, aula tota, magna & insigni frequentia ex tota Hungaria, ac puellæ parentibus, (qui audientes puellam varijs linguis loqui, cernentesq; eam miserabiliter discerpi, vniuersi Deum rogabant, vt meritis Sponsæ suæ Sanctissimæ, dignaretur miseram liberare) expulso Stygio dæmone, curata est, & cæterarum linguarum oblita, solam hungaricam, quam didicerat, loquebatur. Vix credibile est, quantùm Rex Stephanus, cæterique Proceres gauderent, suis oculis videntes, mirabilia hæc S. Margar. meritis à Deo patrari.

§. XV.

Carcere detenti.

1.

ALexander, Regis Hungariæ ad Regem Siciliæ Legatus, dùm per Austriam iter faceret, à Germano quodam captus, & vinctus, in teterrimum carcerem, opaco turris cujusdam fundo situm conijcitur, totumq; triennium detinetur. Is cùm ab Alexandro triginta jam talenta accepisset,

adhuc

adhuc tamen quadringenta pro ejus liberatione postulabat. Fortè tunc Alexander Seruum in Hungariam, rerum suarum causſa, miserat, qui cùm illic insignia S. Virg. Margar. miracula inaudisset, rediens enarrauit Domino suo. Ne metue, inquit, Domine mi; nam est in Hungaria S. V. Margarita, Regis Belæ filia, quæ miracula patrat, claudos, & mutilos sanat, cæcis visum restituit; ad cujus sepulcrum, totum Hungariæ Regnum confugit; & ego ipse illic fui. Illi igitur te commenda, & liberaberis. Alexander hæc inaudiens, spem omnem in S. V. Margar. collocat, in ejusq; honorem Orationem Dominicam sæpiùs recitans, deprecatur ab ea liberationem. Et ecce nocte quadam, Alexandro inter somnum, ac vigiliam constituto, Virgo pulcherrima astitit, dicens: Tantum spera in S. V. Margarita, quantum in S. Elisabetha. Tribus post eam visionem diebus, Domino illo Austriaco, à Compatriota quodam miserè in morem pecudis interfecto, Vxor illius, Alexandrum è fundo carceris ereptum, liberum gratis dimisit. Sicq; Deus illum S. V. meritis liberauit. Cujus rei testis ipsemet Alexander, locupletissimas latino sermone literas detulit coram Legatis S. Pont.

§. XVI.

Ad mortem infirmi, & agonizantes.

I.

REx Ladislaus, hujus nominis Quartus, filius Stephani Regis, & S. V. Margar. Nepos, cùm decimum tertium ætatis suæ annum ageret, in grauissimum, ac planè desperatum morbum incidit. Tanta enim cephalalgia laborabat, vt mentis, sui q; impos, denique sine

vllo

vllo prorſus ſenſu redderetur. Et licet illius experiendi gratia, veſicatorijs, aliiſq; remedijs arctiùs premeretur, nullum tamen inde ſignum apparebat. Proinde inſignes quatuor Medicinæ Doctores, quibus Regis cura incumbebat, omnem jam ſpem ſanitatis, & vitæ ejus abjecerant. Qui aderant, Anna Dueiſſa Regis Amita, Eliſabetha Conjunx Moyſis Palatini, Matthias Banus, Princeps Tranſyluaniæ, & Regis Præceptor, Nutrix ejuſdem Regis Margarita, D. Pekibai Medi filia, Regni Hungariæ Proceres, Religioſi, Nobiles, omnes acerbo luctu Regem deplorantes, S. V. Margaritam pijs precibus, ne Nepotem ſuum Regem Hungariæ mori permitteret, interpellabant. Feſtinanter etiam Sorori Eliſabethæ, Stephani Regis filiæ, & Regis Ladislai Sorori, nunciarunt, vt velum, & vittam, quam S. Margar. geſtabat ſub mortem, eis mitteret: quod illa ſtatim per duos Fratres Ordinis Prædicatorum effecit. Porrò Rex eo tempore propè B. V. Deip. monaſterium decumbebat. Igitur Anna Duciſſa ſacro velo caput Regis inuoluit, vittaq; incingit, cæteri S. Margar. opem, voce, cordeq; ſupplici implorant. & ecce res mira: Rex incipiens à vertice, dein toto corpore, ſalutifero ſudore immadere, ſenſus mentis, ac corporis recuperat, notitiam capit aſtantium, ac tandem eodem temporis articulo plenam aſſequitur ſanitatem. Qui ſacrum velum, ac vittam, quibus inuolutus erat, venerans, Chriſto Dom. ejus Matri Virg. Beataq; Margar. debitas gratias egit: deinde verò pedeſter, Peregrini more, ad ſepulcrum ejuſdem S. V. cum tota aula profectus, reddidit ampliores.

I I.

Agnes, Caroli Regis Belæ Perſonalis, ac Budæ Judicis neptis, primò febre correpta, pleuretidi poſtea adeò laborauit, vt contracta ſine ope ancillarum, vltrò citròq; in latus ſe ver-

tere nequiret. Parentes ejus, in Medicinæ peritos magnam pecuniæ ſummam inſumpſerant, nec tamen ij quicquam profecerunt, quin immo tres de illius ſanitate deſperarunt. Agnes igitur à mente alienata, adq; vltima deducta, ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis, Pœnitentia, Euchariſtia, & Vnctione extrema communitur. Parentes verò, & amici, votum ineunt, ſi Dei miſericordia, & B. Margar. interceſſione, Agnes ſalutem recuperet, ſe annuam ejuſdem S. Virg. obitus diem, ſolo pane, & aqua jejunaturos. Voto magna fide, ac deuotione peracto Agnetem ad S. Virg. ſepulcrum deuehunt: vbi illius cingulo à parentibus deuotè præcincta, menti eſt reſtituta: attingens deinde ſepulcrum, perfectam ſanitatem, plurimis, qui aderant, videntibus, recuperauit. Quæ poſtea ſuorum pedum greſſu, domum, Budam ſc. magno Parentum gaudio reuerſa eſt. Contigit hoc anno Chriſti 1272.

III.

Comes Ampudinus, vir eximiæ nobilitatis, pro miraculo erga filiolum ſuum Joannem facto, cum juramento teſtatus eſt apud S. Virg. Marg. ſepulcrum: illum ſugentem adhuc nutricis vbera, tam graui ægritudine fuiſſe correptum, vt vix ægrè ſpiritus in illius ore potuerit deprehendi. Tùm ſe vnà cum ejus matre conjuge ſua, infantulum, penè jam agonizantem S. Virg. Margar. meritis commendaſſe, & velo illius à D. Anna Duciſſa impetrato, caput ejuſdem infantis obuoluiſſe: atq; hoc peracto, illũ apertis oculis, exhilarato vultu, vbera, (quod jã quatriduũ non fecerat) abundè ſuxiſſe, & S. V. Marg. meritis, ſanitati, & vigori optimo reſtitutum. Actum id apud Clauſtrum S. Irenæi, præſente Anna Duciſſa cum ſua aula, anno poſt B. Margar. obitum Quarto.

I V.

Soror Lucia, Ottonis Veſprimienſis filia, in Monaſterio Inſulæ B. V. Deip. grauiſſima ægritudine decumbebat. Huic, cùm jam per quinq; dies loquendi vſum amiſiſſet, tanquam proximè morituræ omnia Eccleſiæ Sacramenta ſunt miniſtrata. Poſtmodùm Sorores, S. Virg. Margar. crinibus in aquam immiſſis, eam lotiunculam ægræ Sororis ori infuderunt, quæ ſtatim voce, memoria, ſenſibuſq; omnibus recuperatis, integræ ſanitati fuit reſtituta.

§. XVII.

Mortui ſuſcitati.

I.

DVm honeſtus quidam Pater familias, nomine Boch, in Fel-hèy viz juxta Budam, ſub veſperum in cella lapidea cum vxore, ac familia cœnaret, parte loci ruente cum fornice, ruina filium illius ſeptennem, ſomno indulgentem oppreſſit, parentibus, & cæteris, qui remotiùs à ruinæ loco conſederant, ob metum ſe illicò proripientibus Fit clamor, ac gemitus ingens. Concurrunt propinqui, & amici, ſollicitè effodiunt ligonibus, paxillis, opera non mediocri; magnaq; lapidum ſtrue auoluta, puerum extrahunt ſanguine conſperſum, preſſumq; adeò, & contuſum, vt nulla eſſet in illo integritas, quem exanimem, & gelidum in domo repoſuerunt. Inter lacrymas, & ploratus, Parentes, filium Deo, & S. Margar. commendauerunt. O Domina, ajentes, S. Virgo Margarita, de Deo benè merita, ſuſcita ope tua filium noſtrum, vnicum animi noſtri delicium: ſcimus namq; id à te facilè fieri poſ-

se. Amici, propinqui, vicini, easdem preces ingeminabant. Pater praterea, spe, fideq; plenus, cum cereo, & oblatione, concito cursu properat ad sepulcrum, ibiq; puerum feruentibus precibus totam noctem commendat. Cùm verò orto jam sole domum reuertitur, occurrant ei homines dicentes, Vade latus, Filius tuus viuit. Domum veniens, filium, vt audiuit, à mortuis suscitatum reperit, accurrit, brachijs excipit, exosculatur, Deo, ac S. V. Margar. cum astantibus gratias agit. Reuertitur ad sepulcrum cum puero, consanguineis, & amicis. Puer jam suscitatus, incolumis, integer, absq; vlla vulneris, conuulsionis, aut contusionis cicatrice omnibus demonstratur. Ostensus est etiam Præposito Veteris Budæ, Capitulo, & Venerandis Patribus, ac Dominis, Episcopo Vacensi, & Varadiensi, Abbati Ord. S. Bernardi, Commissarijs deniq; summi Pontificis, S. V. Margaritæ sanctitatem explorantibus. Quod miraculum rubro marmori sculptum, hodie in ejusdem S. Virg. sepulcro visitur.

Hucusque Rohonciĭ in arce D. Ill. Com. Bathiani descripta 1636. à medio Augusto vsq; ad 6. Octobris. cætera vsq; ad li. fin. Sopro. apud A. R. D. Kaldi, &

II.

Pestensis cujusdam incolæ vxor, manuum opera vehementer defessa, filium vnicum, nonum ætatis mensem agentem, dormituriens in sinum reclinauerat, quem somno excitata reperit à se inter dormiendum oppressum, & (quòd esset brumæ tempus) penitus rigidum, & congelatum. Ingemiscit, plorat, vociferatur, maritum, matrem, ancillam somno grauatos, vicinos etiam, & amicos ejulatu grandi consciscit. Collocatur infans in medio domus. Parentes, dolentes nedum de morte infantis, sed etiam, quòd illius causa extitissent, illum S. Virg. Margaritæ magnis precibus commendarunt, voueruntq;, si puer suscitaretur, adeòq; mater, quæ illum oppresserat, libera ab ignominiæ labe euaderet, eundem per totam vitam apud B. Virg.

Dein.

Deip. claaſtrum ſeruitio mancipaturos. Annuit Omnipotens Deus pijs precibus, ac votis: nam poſt noctem brumalem longiſſimam, circa ſolis exortum, demortui corpuſculi venulæ ſenſim incaleſcunt, & reuertente ſpiritu puellulus reuiniſcit: aperit oculos, matrem proſpectat, magna promptitudine papillas capit, eiſq; labia infigit. Hinc parentum, familiæq; totius triſtitia in gaudium conuertitur. Die verò magis illuceſcente, concurrunt vicini, atq; propinqui, viuum cum lætitia ſpectantes, quem priùs deſleuerant mortuum. Parentes, reſuſcitatum puerum frequenti comitatu ad ſepulcrum S. V. Margar. deportarunt, eumq; D. Papæ Commiſſarijs, ab ejuſdem S. Virg. morte anno ſecundo commonſtrarunt.

Tyrn. ad A. R. D. Ioſephi Bagbi. vſque ad 25. Octob.

§. XVIII.

HActenus Miracula B. Margaritæ, explicatè ab authoribus conſcripta, recenſuimus, duo alia ſequenti cap. daturi. Sed plura etiam alia poſt mortem ab illa patrata fuiſſe, inde conſtare poteſt, quòd jam recenſita, facta ſint vſq; ad annum 1276. quo habita eſt ſecunda Inquiſitio per Commiſſarios, deſtinatos ab Innocentio Quinto, qui eodem anno diem obiit. Author enim vitæ M. S. vnde miracula à morte facta decerpſimus, fatetur ea deſcripta eſſe ex exemplari ab eiſdem Commiſſarijs relicto. Garinus autem, quem integræ fidei ſcriptorem omnes agnoſcunt, quiq; ſcripſit vitam S. Marg. an. 1340. vt Surius, pius eruditusq; author recenſet; teſtatur, eo ipſo tempore, quo ſcribebat, Deum in honorem illius miracula facere ſolitum, ajens: *Multa*

Garin. in Surio 18. Ianua.

quoq; alia miracula fecit, & facit continuè in honorem Sponsæ suæ, Sponsus Virginum Jesus Christus &c. Petrus etiam Ranzanus, qui postremis tribus annis Matthiæ Coruini Regis, de rebus Hungariæ scripsit, Deum, ad ea etiam vsq; tempora, in honorem S. Margar. miracula effeciſſe, ita scribit. *Indice 15. in fin:* *Claruit & viuens, & post pium ipsius obitum in hanc vsq; diem variis miraculis, quibus ipsam innocenter, & religiosè, sanctèq; vixisse, manifestè demonstratum, est.* Qui etiam, cur illa non enarrauerit, adijcit, *ea*, inquiens, *miracula fide dignissima, non existimaui, vt hoc loco à me commemorarentur, cùm sat intelligam, me præter meum institutum, nimiùm excessisse à narratione rerum, quas perstringere decreueram.*

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

De tractatu Canonizationis B. Virg. Margaritæ.

ACtum de Canonizatione, siue de S. Virg. Marg. in catalogum Sanctorum per Rom. Pontif. inscriptione, etsi ex comemoratis testimonijs, & miraculis, in quibus mentio fit de Apostolicis Commissarijs pro vita, atq; miraculis ejusdem S. Virg. inuestigandis, apertè colligitur; ut tamen rei hujusce cognitio plenior, vti par est, habeatur, placet paulò fusiorem de ea sermonem instituere. Igitur de tractatu Canonizationis meminit S. Antoninus, agens de Archiepiscopis Ordinis Prædicatorum. *Fr. Andreas*, inquit, *Archiepiscopus Antiliarensis, qui fuit missus ad curiam à Rege Hungariæ, pro Canonizatione Margaritæ, filiæ Regis Hungariæ, Monialis Or-* *S. Anton. 3. p. tit. 23. cap. 11. §. 1.*

dinis

dinis Prædicatorum, quæ ſanctè vixerat in Prouincia Hungariæ. Hujus etiam Fr. Andreæ, pro eodem miſſionis negotio mentionem faciunt Leander, Plodius, Fernandez, vt poſtea referemus. meminere etiam, Plodius alio loco, ajens. *Cùm B. Margar. miracula poſt illius mortem multiplicarentur, Sum. Pontifex, Roma Inquiſitores legauit, vt collectis, viſiſq; miraculis, eam in ſanctorum album referret.* Antonius Senenſis. *Pro illius,* B. Margaritæ, *canonizatione laboratum fuit aliquando: ſed res nondum fuit optatum effectum ſortita.* Indiculus poſt Ordinis noſtri Martyrologium: *Soror Margarita, filia Regis Hungariæ, virginitate, & vitæ ſanctitate, & miraculorum effectione conſpicua. Actum de ipſius Canonizatione: ſed res procurantium incuria excidit.* Laurentius Surius: *etſi autem nedum certò mihi conſtat, eam eſſe relatam in numerum Sanctorum; attamen, vt id fieret, & Hungariæ Rex petijt, & aliqui Romani Pontifices diligenter inſtituerunt inquiri de vita illius, quæ ab ipſis propè incunabulis fuit Sanctiſſima.* Petrus Ribaden. *Margarita, quantum conſtat, non eſt canonicè in album ſanctorum relata, quamuis Clementis Papæ nominis hujus Quinti tempore, de eo negotio actũ ſit nomine totius Pannoniæ: tamen, ob eorũ temporũ perturbationem, nihil tunc perfectum.* Tractationis hujus initium, & ſeries, vt ex vita M. S. colligere eſt, ſic habuit. Gregorius Decimus, qui anno 1272. Pontificatum iniens, quatuor annos ſupervixit, audiens B. M. vitæ ſanctitatem, & ſigna admiranda, quæ Deus in illius honorẽ, in vita, & poſt mortem effecit, injunxit Philippo Archiepiſcopo Strigonienſi, Epiſcopo Vacienſi, & Abbati Ordinis Ciſtercienſis de Bahon Beel, vt accedentes ad Monaſterium Inſulæ B. V.

Plod. p. 1. de V. Ill. lib. 3. pagina 499.

Ant. Sen. in Chron. pagina 185.

Surius t. 1. 18. Ian.

Ribad. 2. p. flor. SS. 28. Ian.

Deip. informationem vitæ, & miraculorum ejuſdem B. Margar. ad finem Canonizationis illius, deſumerent. Ij verò pergentes, juſſa Pontificis exequi cœperunt. Quo tempore mira planè viſio Sorori, nomine Candidæ evenit. Ea, cùm morbo adeò graui decumberet, vt deſperata ſalute, proximè moritura à Medicis crederetur, mane quodam, orto jam ſole, ad Orientem proſpectans, tres portas aſpexit, è quibus Sancti, Bartholomæus Apoſtolus, Demetrius, & Laurentius, Martyres, ordine, phalangeq; triplici monaſterium ingreſſi, tantiſper ad lectum ſuum ſubſtiterunt. Cui perconctanti, cur adeſſent, reſponderunt: vt Philippo Archiepiſcopo de ſanctitate Virginis Margaritæ inveſtiganti, eam comprobemus, indubiamq; reddamus: quod cùm ſuo teſtimonio effeciſſent, diſparuerunt. Advenientibus deinde Sororibus, Candida decumbens totam viſionis ſeriem enarrauit. At illæ: næ tua viſio, Soror, fide digna eſt. Adeſt enim Philippus Archiepiſcopus, S. Margaritæ ſanctitatem exploraturus. Porrò ante viſionem Candida, morbo oppreſſa, nihil horum perceperat. Mirum etiam aliud tunc accidit. Nam, cùm Soror Alinka renueret Archiepiſcopo edicere, quæ ſibi de B. Margar. ſanctitate comperta erant, præcipuè verò, quòd prophetico ſpiritu arcana cordis ſibi pandiſſet, ſubita febre per ſex dies adeò conflictata eſt, vt ſe proximè haud dubiè morituram putaret. In ſe igitur reverſa, vovit, ſe, ſi ſanitati reſtitueretur, teſtimonium ſuper Virginis ſanctitate reddituram: deſiderij verò ſui compos effecta, reddidit Altiſſimo vota ſua. Cùm itaq; Archiepiſcopus, cœteriq; Commiſſarij Pontificij, demandatam ſi-

bi in-

bi inquiſitionem ſedulò peragerent, compererunt S. Virg. Margar. magna cùm ſanctitatis, tùm ſignorum gloria refulſiſſe. Verùm priuſquam negotium abſolueretur, Archiepiſcopus è viuis exceſſit, nec ita multò poſt Gregorij etiam ſummi Pontificis mors ſubſequuta; adeoq; res imperfecta ad ſucceſſorem deuenit. Gregorium ſecutus in Pontificatu Innocentius Quintus, antea Petrus Tarantaſienſis, Epiſcopus Cardinalis Hoſtienſis, ſanctitate, eruditione, & prudentia celebris, ex Ordine Prædicatorum, negotium hoc ad vmbilicum perducendum, Capellanis ſuis, Vmberto, & Blanco, Iuris Pontificij Doctoribus, & Veronenſis Eccleſiæ Canonicis commiſit: qui fideliter, & impigrè impoſitam Prouinciam exequentes, brevi tempore, (cùm jam ferè omnia per Commiſſarios Gregorij majori ex parte eſſent peracta) rem totam confecerunt, ſcriptiſq; conſignatam, Innocentio Pontifici (exemplar illius monaſterio B. V. Deip. relinquentes) detulerunt. Porrò immatura mors Innocentij anno 1276. cùm ſediſſet menſes quinque, & dies aliquot: mors etiam Stephani Quinti, Regis Hungariæ, quæ eodem anno contigit, effecere, ne res ad optatum Canonizationis exitum perduceretur. Ipſe namquè primùm (ſi non Bela Parens) ſive anno Chriſti 1275. ſive priùs, juxta quorundam ſententiam, Regni Hungariæ gubernacula ſuſceperit, audiens, proprijſq; oculis cernens mira, & ſtupenda B. Margar. miracula, magna in eam devotione incenſus, negotium Canonizationis apud ſedem Apoſtolicam maximè promouit, ac vrſit; cujus etiam devotionis ergò, morti occurrens, in Eccleſia, qua S. Virginis lipſana aſſeruabantur, corpus

ſuum ſepeliri mandauit. Stephano in regno ſucceſſit Ladislaus Quartus, filius ejus, & S. Marg. nepos, qui etiam à morte impendente, per illam fuit, vt ſuperiùs enarrauimus, miraculosè liberatus: ſed deniquè Pellicum Cumanarum amore dementatus, indeq; Chunus vocatus, ad cenſuras etiam Pontificias, illum ab ea ſcandaloſa conſuetudine reuocantes, adeò obſurduit, vt in deprauatæ fidei ſuſpicionem veniret, tantùm abeſt, vt Canonizationis Prouinciam cordi haberet. Is enim fuit, cui Cumanæ pellices in delicijs fuere, vt rerum Hungaricarum ſcriptores vniuerſi produnt, non Bela Quartus, (quem tamen non nemo tanti criminis traduxit) cùm Belam cuncti cõmendent, tanquam honeſtatis, pietatiſq; cultorem, in quo nullam boni Regis deſiderares virtutẽ, niſi quòd meliore dignus fuerit fortuna. Tanta igitur Provincia per años aliquot interrupta, iterum deinde ſuſcepta eſt. Miſſum enim à Rege Hungariæ ad Clementem Quintum in Gallijs commorantem, Frat. Andream Hungarum, virum eruditione, prudentia, cunctiſq; virtutibus præclarum, vt negotium Canonizationis promoueret, qui ab eodem Pontifice anno 1306. Antiliarenſi Metropolitanæ præfectus fuerit, certum eſt. Ita enim expreſſè tradit Leander Albertus. *Andreas*, inquit, *Hungarus, inſignibus præfulgens virtutibus, cùm in Gallias à Rege Hungariæ ad Clementem Quintum miſſus fuiſſet, Burdegalis exiſtentem, vt taliter ageret, quòd Beata Margarita, filia Regis ejuſdem Regni, Sanctimonialis Ordinis Prædicatorum, inter Diuos referretur; viſa hominis præſtantia, Clemens eum Archiantiſtitem Antiliarenſem continuò declarauit, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexto.* & Al-

cap. præc. §. ad mor. tem infirmi n. 1.

Bzov. a. 1241 n. 10. Vide Bonf. dec. 2. lib. 8. pagina 303. & 305.

Leand. de Vir. ill. fol. 86.

phonſus Fernandez. *Fr. Andreas Hungarus, à Clemente Quinto Archiepiſcopus Antiliarenſis factus, cùm à Rege Hungariæ ad curiam miſſus eſt, vt Beatam Margaritam, filiam Belæ Regis, Sororem noſtri Ordinis, Sanctarum Virginum catalogo aſcriberet, circa annum milleſimum trecenteſimum ſextum.* Quare errorem irrepſiſſe putauerim vitio ſcriptoris, aut typographi, in Plodio, dùm Andreas miſſus pro ea re à Rege Galliæ legitur. Quis autem fuerit Rex ille Hungariæ, qui Fr. Andream legauit, omninò certò conſtitui non poſſe videtur, quòd eo tempore Hungariæ Regnum inter illuſtres familias, velut Eridis pomum (vt quidam non ineptè dixit) jactatum, varijſq; ſtudijs, contentionibus, & bellis convulſum fuerit. Si tamen probabilibus conjecturis agere liceat, credibile eſt, fuiſſe Carolum Robertum, Caroli Martelli, ex Maria Regis Stephani Quinti filia progeniti filium, qui anno Domini 1302. vel 1303. Fr. Andream pro Canonizatione promovenda miſerit ad Benedictum Vndecimum, ex Ordine Prædicatorum, ad Pontificatum nuper aſſumptum. Benedictus enim, cùm adhuc eſſet Cardinalis Hoſtienſis, Legatus de Latere miſſus fuerat à Bonifacio Octauo in Hungariam, vt ſeriò ageret, quò Carolum Robertum, Regem à ſe conſtitutum agnoſcerent, acceptarentq;, vt etiam toto pectore, & viribus ille fuit conatus. Cùm itaquè is Bonifacio immediatè ſucceſſiſſet, procliue eſt credere, Carlobertum ad eum miſiſſe Fr. Andream pro Canonizationis negotio, cùm pietatis erga S. Virg. Margaritã, quam etiam quarto conſanguinatis gradu attingeret, tũ gratitudinis cauſsá erga Sum Pontif. cui id negotij ſciret cordi non eſſe non poſſe,

Fernã. in Cõc. trad. rit. Archiepiſcopi Hungari Or. Pr. Plod. 2 p. vir. ill. Or. Prad. a. 1306 Gaſpar Enſi li. 3. de rebus Hung. in prin.

propter religioſam maximè Prædicatorij Ordinis propinquitatem ; qua etiam de cauſſa Pontificiam voluntatem magis deuinctam ſibi fore ſperaret, vt in Regno, cujus hactenus ſpem potiùs obtinuiſſet, quam rem, firmiùs poſſet ſtabiliri. Nec dubitauerim, Benedictum, cùm legatum ageret, viſitato ſæpius S. Virg. ſepulcro, geſtiſq; perſpectis, oppidò deliberaſſe, ſe, ſi ſua aliquando intereſſet, inter Sanctas illam adſcripturum : Cùm verò Benedictus breui tempore, novẽ ſcilicet menſiũ interuallo, quibus 1302. & 1303. attigit annos, ad ſuperna vocatus, naturæ conceſſiſſet, Andream, nutu Regis, nóvum Romæ Pontificem expectaſſe. Verùm, quia Clemens Quintus, Benedicti ſucceſſor, in Gallia, (in qua erat, dùm fuit electus anno 1305.) ſedem figere maluit, illò ejuſdem Regis juſſu, bono (vt credibile erat) omine, commeauit. Nullus enim non æſtimaſſet, Clementem Quintum, qui opera, atq; ſolertia Fr. Nicolai Pratenſis, Cardinalis Dominicani, ad Petri Cathedram conſcenderat, Dominicanis hominibus gratificaturum, adeòq; optimam eſſe temporis opportunitatem, & ad Canonizationem, & ad aliorum quoq; negotiorum fœlicem ſucceſſum, per ejuſdem inſtituti viros graves, tanti cumprimis Cardinalis interventu, procuranda. Sed cauſſæ Templariorum, & hæreticorum, ob quas indictum ſtatim fuit Generale Viennenſe Concilium, aliarumq; rerum difficillimarum moles, quibus Pontifex, & tota cum eo Eccleſia diſtinebatur, effeçit fortaſſe, ne optatum exitum Canonizationis procuratio fuerit aſſecuta. Quòd verò nec poſtea, id fortaſſe procurantium incuriæ cum præcitato indiculo adſcribi poſſit. Nam

certè

certè Carlo Bertus multos postea annos feliciter regnavit. Adde impedimenta suborta ex pestilentia, quæ eodem seculo, ab anno 1348. per vniversam Europam, longè lateq; sævissimè grassata est, vt ex decem hominum partibus vix vna remanserit: vt, si quis fuit procurantium conatus (quemadmodum Fr. Garini, qui ex Canonizationis processu vitam S. Virg. in compendium redegit anno 1340. Avinione, vbi Romani Pontificis curia tunc residebat) facilè ea de caussa cessare potuerit. Vt vt verò fuerit, id nihil officit inclytæ S. V. Margar. sanctitati, stupendisq; miraculis, quibus eam vivam, mortuamq; Deus illustravit, vt Petrus Ribaden. dicebat. Norunt Theologi, nihil Canonizationem ad meritum, præmiumue essentiale adijcere; quibus pleriquè ne cogniti, excellunt aliquos albo Sanctorum inscriptos. Illustrissimum, Reverendissimumq; Georgium Lyppai, Episcopum Vesprimiensem, Regni Hungariæ Cancellarium, virumquè vndequaquè insignem, non semel audiui dicere, tantam esse B. V. Margaritæ sanctitatem, vt ejus vita lecta, vel audita, pro quacumq; solemni sufficere debeat Canonizatione.

Divus Ant. 3 p. hist. t. 23. c. 14.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

Indiculus eorū qui pro ferendo testimonio de B. V. Marg. sanctitate, & Signis examinati à Commissarijs S. Pontificis, vel aliàs eadem per se attestati sunt.

IN libellulo vitæ M.S. non solùm miracula, quæ descripsimus, per Apostolicos Commissarios examinata recensentur, sed etiam Sororum primùm, quæ priùs cum S.V. Margar. cohabi-

tantes

tantes, pro ea teſtimonium tulerunt, dein Eccleſiaſticorum virorum, illuſtrium laicorum, & vulgi, eadem atteſtantium catalogus attexitur; ſed hic mutilus eſt, qui, vix cœptus, deſijt deſcribi. Vtrumquè, vt in eodem extat libellulo, hic fideliter damus.

§. I.

Nomina Sororum.

PRima Soror Catharina, tùm temporis Prioriſſa, cùm S. V. Margar. vitæ ſanctitas exploraretur. Ea in Veſprimienſi Monaſterio ſeptennis monialis effecta, annos ſeptem & trîginta illud incoluit, vbi & primam ejuſdem S. Virg. latinitatis egit Magiſtram; poſtmodùm cum eadem ad Inſulam transmigrauit. & cùm eſſet ſeptuagenaria, firmum de S. V. Margarita perhibuit teſtimonium. Ex hac annorum ſupputatione colligitur, Sororem iſtam anno Chriſti 1215. in Monaſterio Veſprimienſi factam eſſe Monialem. Demptis namquè annis 37. ex 1252. quando ad Inſulam fuit commigratio, anni 1215. ſuperſunt. tunc verò Ordo noſter necdum fuerat confirmatus, tantum abeſt, vt quicquam in Hungaria poſſideret. Quod ſi nihil eſt vitio ſcriptoris erratum, (vt non adeò difficilè in numeris irrepere ſolet) dicendum videtur, Monaſterium illud, alterius antea, ſub noſtri poſtea Ordinis diſciplinam, juſq; conceſſiſſe. Quòd verò eadem Soror dicitur fuiſſe ſeptuagenaria, non in puncto, ſed quòd ad illam ætatem vergeret, accipiendum putaverim. nam, ſi de poſtrema etiam inquiſitione vitæ, & miraculorum ſit ſermo, jam

annum

annum egerat sexagesimum octavum, quippè quæ esset (habita ratione eorum, quæ hic dicuntur) annorum 44. anno Christi 1252. ex quo tempore ad annum 1276. cùm ea inquisitio peracta, fluxerunt anni 24. qui additi ad 44. reddunt 68.

2. *Soror Eliana Monasterium Vesprimij decennis ingressa, in insulam B. V. Deip. quadragenaria transmigrauit, testis extitit sexagenaria. Ea fuit, quæ noctu digito laborans, per contactum, & compressionem manus S. Margaritæ, liberationem obtinuit.*

3. *Soror Helena, quadragenaria* (& hoc haud in puncto accipias) *dùm S. V. Marg. sanctimoniã testimonio cõprobaret. Septennis Claustrum Vesprimiense ingressa est: & dùm inde cum eadem S. Virg. migraret, 14 annorum fuit. Ipsa viderat S. V. in oratione raptam, dùm psalterium integrè persolveret. Testis inter alia dixit; non esse linguam, quæ sufficeret admirabilem vitæ illius Sanctimoniam enarrare.*

4. *Soror Margarita, Stephani Quinti Regis, Neptis, & Annæ Ducissæ filia. Testis, annorum 28. Ordinem ingressa anno suæ æt. quarto. Ea fuit S. V. comes, & socia laborum, quibus circa ægras fungebatur: quæq; eandem deriserat, quòd pro dolore humeri illius tantam Sorores susciperent sollicitudinem. &, quæ sanctitatem Virginis discredebat, donec coram illa mulier contracta, & podagrica, curata est.*

5. *Soror Elisabetha, Stephani Quinti Regis filia. Testis annorum 21. anno ætatis quarto Ordinem ingressa. Dum esset paruula, accedens S. Margaritam in ejus dorsum manum immisit, exploratura, nùm cilicio indueretur, & ita comperit. S. V. Margar. eam abegit, dicens, recede, dimitte me.*

Ea fuit ejusdem S. V. sanctitatis æmula, cum qua multa humilitatis opera exercebat.

6. Soror Margarita, Gulielmi Ducis Makoniensis filia, testis annorum 36. ordinem ingressa anno ætatis nono. De pluribus pietatis, pœnitentiæ, humilitatisq; actibus circa coquinæ, & ægrotarum ministeria testis fuit, & in plurimis comes, ac socia. Coram ea dixit S. Margar. se pro Christo libentißimè omnem mortem subituram; & aliàs, breui se è viuis decessuram.

7. Soror Benedicta, filia D. Buce Tobolj. Testis anno ætat. 30. ingressa Ordinem anno 14. Vidit, dùm Soror Cunegundis S. Virginis faciem conspurcaret, & plures ejus humilitatis actus.

8. Soror Elisabetha, D. Stephani Badoboraj filia, testis annorum 48. relig. ingressa anno 15. fuit socia Sacristana S. Margar. & dùm eadem S. Virgo moreretur, Priorissa, cui claues cistæ suæ, in qua thesauri pœnitentiæ ejus asseruabantur, tradidit.

9. Soror Elisabetha, Ladislai Serennaj Comitis filia, testis ann. 34. Ord. ingreßa anno 7. maxima testis sanctitatis S. Margar. quæq; illam defunctam induit; quòd magnam ejus ægritudinem in momento sustulisset.

10. Soror Sabina, D. Donati Fel-hév viz filia, testis an. 36. Ordinem ingressa anno 12. ætatis. Erat S. Virg. secretæ fidei, quæ sæpiùs ei disciplinam inflixit, quando etiam semel obscura domus diuinitùs est illuminata Janitrix, & coadjuxtrix fuit S. ejusdem Virg. dùm farra, vel pisces coemeret, & suis humeris imposita, ad destinatum locum humillimè deportaret.

11. Soror Helena, Eliæ Serennaj filia. ea testis sanctimoniæ

monia S. V. Margar. certam ſuam ætatem non ſciebat, præterquam quòd vigeſimus illi eſſet annus ab ingreſſu Religionis. Ipſa S. Virg. in contemplatione rapta, verticem flamma exardeſcentem aſpexit, eamq; S. Margar. coarguit, quòd ſecreta, quæ in illius laudem cederent, reſeraſſet.

12. Soror Eliſabetha, Comitis Thomæ Bodomeraj, & Olympiadis Comitiſſæ filia. Teſtis ann. 35. ingreſſa Ord. Veſprimij, 7. ætatis anno. Fuit S. Margar. familiaris ſocia; ex vno enim libro ſtuduerant, ſimulq; manebant tàm in Choro, quàm alibi; quare plurima dedit ſanctitatis ejus teſtimonia.

13. Soror Stephana, D. Pouſæ filia, teſtis ann. 31. bimula Ordinem intrauit. Ea fuit, quæ bis miſſa à P. Prouinciali Fr. Marcello, & S. Virgine octies compellans, ab ea rapta in oratione, non eſt audita: quæ q; poſt illius mortem lecto decumbens, impreſſo ſibi Crucis ſigno ab apparente S. Margarita, ſanitatem recepit.

14. Soror Olympias, D. Comitis Thomæ Bodomeraj relicta. Teſtis ann. 55. dùm Religionis habitum Veſprimij induit, 24 ea fuit nutrix, & magiſtra S. Margar. quæ ſub ejus diſciplina ad mortem uſquè, humilitatis ergò manſit. Fuit etiam ejus Prioriſſa; de q; tota ejuſdem vita luculentum teſtimonium dedit.

15. Soror Froſina, D. Jacobi Nitrai filia. Teſtis neſciebat certum ætatis ſuæ tempus edicere; ſed 20. annos in Monaſterio ſe moratam fuiſſe aſſeuerabat. Ægrotans, vouit, ſe quotidie in honorem S. Margar. quindecies, Pater noſter, & Aue Maria recitaturam, & ſtatim ſanata èſt.

16. Soror Agnes, Sororum, & præcipuè S. Margaritæ ancilla. Teſtis, certum annorum numerum ignorauit, niſi

quòd annos 12. in Monasterio Sororibus ancillata fuisset. Filia fuit, quæ in puteum delapsa, per eandem S. Virginem liberata est. Testabatur etiam, illam humiliorem se in omnibus præstitisse, quam ancillas.

17. Soror Agnes, D. Pauli Berki filia. Quinquagenaria erat, & monasterium jam 18. annos incolebat, quando super S. V. Margar. sanctitate testimonium tulit.

18. Soror Judith, Comitis Hyppolt filia, quæ ex teneris annis comes, & socia fuerat S. Marg. quando inuicem colloquentes, orationes ab inuicem perdiscebant, & quid legissent, vicissim examinabant. Testis, certum annorum numerum scire non poterat, solùm se medio anno ante S. Margaritam, monasterium intrasse dicebat.

19. Soror Cæcilia, Vesprimiensis, D. Moysis filia, quæ in vtroq; Monasterio, Vesprimiensi, & Insulæ B. V. Deip. habitauerat, & testis, se quinquagenariam probabiliter æstimabat.

20. Soror Lucia, Ottonis Vesprimiensis filia, testis 27. annorum, ingressa Ord. anno 7. ætatis: hæc clanculùm genua S. Margar. aspiciens, animaduertit, ob frequentiam precum, & genuflexionum, instar corticis veteris ligni indurnisse, rugasq; contraxisse. Quæ etiam ad mortem decumbens, hausta potione, in qua S. Virg. crines eloti fuerant, statim reddita est sanitati.

21. Soror Catharina, D. Sennye Strigoniensis filia. Hæc certum ætatis numerum ignorans, 25. annos in Ordine se fuisse affirmabat, & tres ex illis Albæ Juliæ impendisse. Viderat S. V. veniam postulantem à Sorore, quæ sibi triduum non loquebatur.

22. Soror Alexandra, D. Alexandri Rakj filia. 49.

annorum,

annorum, è quibus 26. & Veſprimÿ, & in Inſula B. V. Mariæ egerat. Illi S. Margar. ſeptem Herinacios tradidit educandos, è quorum corio & ſpinis, confectis deinde cingulo, & flagello, ſeipſam incingebat, cædebatq́, vel cœdi procurabat.

23. Soror Agnes, D. Gregorÿ Somogy filia, ætatis, 37. annorum: ſuſceptæ Religionis 25. feſto quodam S. Joannis die poſt S. Margaritæ obitum, cùm ejus facies adeò intumuiſſet, vt dextro oculo videre non poſſet, deterſa facie ex lotione crinium S. Virginis, repente ſalutem eſt conſecuta.

24. Soror Benedicta, D. Stephani Kanak filia, quæ 20. annos in Clauſtro B. Virg. Deip. impenderat: ſed, quot Veſprimÿ impendiſſet, ignorabat. Rogata à S. Margarita, ad ſummam vſq́ ſui fatigationem illam verberauit.

25. Soror Margarita, Matthiæ Tranſyluaniæ Principis Mater, æt. 51. à viduitate 22. ann. quibus fuit in Monaſterio, & 13. ex quo habitum Ordinis induit. S. V. Margaritam vnicè, & tenerrimè diligebat. Papæ Commiſſarÿs faſſa eſt, quotieſcunq́ ſibi ægritudo aliqua, aut filÿs ſuis quæcunq́ clades accidiſſet, ſe ad S. Virginem confugiſſe, & exauditam fuiſſe.

26. Soror Judith, Moyſis Palatini filia, annorum ætatis 44. Ordinis 14. audierat Olympiadem reprehendentem S. Marg. quòd humi Deum quæreret in morem ſuis, propter crebriores in terram proſtrationes, ac ejuſdem exoſculationes. Quam contumeliam S. Virgo patienti ſilentio neglexit.

27. Soror Anna, D. Meloau Nitraj filia, annos in Relig. agens ſupra 26. S. Margaritæ brachia reſti, illa jubente, adeò conſtrinxerat, vt tenerrima ejus brachia ſcinderentur.

28. Soror Catharina, Cautrix, D. Andreæ Varadj filia, certum ætatis ſuæ annorum numerum ignorans, & vigeſi-

mum annum agens in Ordine, cui S. Margarita liuidas cogitationes, quas verſabat in menſa, reuelauit.

29. Soror Margarita, Boſanni Driſi filia, ætatis 44. ab Ordinis ingreſſu 28. ann.

30. Soror Candida, Taurini Gaurai filia, ætat. ann. 28. ab ingreſſu in Ordinem 21. ei apparuerunt S.S. Bartholomæus Apoſtolus; Demetrius, & Laurentius Martyres, vt atteſtarentur S. V. Marg. ſanctimoniæ excellentiam.

31. Soror Eliſabetha, D. Geminiani Saloni Comitis filia, ann. at. 27. ab ingreſſu Ordinis 20. audierat S. Margaritam dicentem ſuæ Matri Reginæ, malle ſe teſſelatim concidi, quàm nubere.

32. Soror Eliſabetha, Comitis Adriani filia, quæ ætatis annos neſciens, 20. à ſuſcepto habitu agebat. Ipſa Sorori per tres menſes, tertiana, & quartana laboranti, potum dedit vinum, in quo eloti fuerant crines S. V. Marg. & ſanata eſt.

33. Soror Catharina, Marci Somogy filia, ætatis ann. 25. relig. ſuſcepta, 20. Viderat, dùm ægram Sororem S. Margar. vaccinio ſtercore circumligaret, & vlceroſam aliam balneo ſine faſtidio lauaret.

34. Soror Cunegundis, Comitis Bagoldj filia, æt. annorum 30. Relig. 21. ea audiuit S. Margaritam, dùm oraret, alijs colloquentem, vocum tamen ſignificationes non percepit.

35. Soror Agatha, D. Andreæ Veſprimienſis filia, æt. ann. 50. ab ætate, qua ſolent dentes decidere, Religionem ingreſſa. aſſerebat S. Margar. deuotioni, diuiniſq; officijs ſummè addictam, diutiùſq; orationi immorari ſolitam: maximam etiam Charitatem ægris, & pauperibus ſuetam miniſtrare, nec plura dicere potuit, nimia ægritudine oppreſſa.

36. Soror Alinka, D. Petri Aykaj filia, ætatis ann. 30. relig. 20. plurima ſanctè geſta B. Margar. viderat, & cordis ejus ſecreta S. Virgo cognouerat; cumq; primùm de S. Virginis ſanctitate nihil, ob ſui criminis pudorem, prodere voluiſſet, graui proinde morbo punita, magna, plurimaq; de illa aſſeuerauit. Vidit hæc dùm S. V. Margar. Eliſabetham ſenio, & ægritudine confectam, procero ſanè corpore, abſq; faſtidio vlnis excepit.

37. Soror Maria, D. Michaelis filia. Nihil commemorat Legenda de hujus Sororis teſtimonio, aut ætate. Solùm illic legitur, quòd huic Soror Margar. Annæ Duciſſæ filia, dixerit, ſe admirari, quod S. V. Margar. ob humeri dolorem tot remedia conquirerentur: &, quòd illicò etiam Sorori Margaritæ eundem locum occupauerit, ſed à veniam petente receſſerit.

38. Soror Agatha, D. Ladislai Serennaj filia, de qua ibidem non notatur, quot annos habuerit. Notatur verò, quòd, dum Soror Cæcilia ægrotaret poſt obitum S. V. Margar. in ejus præſentia, eadem Soror Cæcilia, interpellatione S. V. Marg. conualuerit.

39. Soror Petronilla, D. Petri Tongaj filia, cujus cogitationes circa amictus, & ornatus ſæculares, S. Virgo Margarita propheticè cognouerat. Neq; etiam Sororis hujus ætas ibidem annotatur.

§. II.

Nomina Venerandorum PP. Virorum illuſt. & ex vulgo hominum, qui ſuper ſanctitate B. Virg. Marg. teſtimonia dederunt.

PRimus ſanctitatem Virg. Margar. probauit Philippus, Archiepiſcopus Strigonienſis. Dum enim S. Virgo ex hac mortali vita migraſſet, & mortem ejus inaudiſſet, ad Monaſterium B. V. Deip. in Inſula cum honorifico comitatu conuenit: vbi cum Epiſcopo Vacienſi, Præpoſito Veteris Budæ, Patribus, ac Religioſis ad corpus S. Margar. pergens, dùm Sororum, Fratrumquè fletus, & ejulatus audiret, (quamuis nec ipſe lacrymas cohibere potuerit, tanta omnium deuotione commotus) pro eorum conſolatione dixit: Non eſt ejulandum, neq; dolendum ſuper æterni Regis filia, quin potiùs gratulandum: nam æterna brauium fœlicitatis eam jam percepiſſe, luculenter intuemur, reſurrectionis gloriam in ejus corpore proſpectantes. Cætera deſiderantur.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

De Corpore, Reliquiiſq; S. Virginis Margaritæ.

COrpus, cæteræq; exuuiæ Sanctiſſimæ Virginis Margaritæ, in Monaſterio Inſulæ B. Deip. ſeruata colebantur, quoad, Solymanno Turcarum Tyranno, Hungaria deuaſtata, Sanctimoniales fu-

gam

gam inde arripientes, ſacra pignora ſecum Tyrnauiam ad Conventum S. Ioannis Baptiſtæ aſportarunt. Vbi Fratres loco ipſo diuiſo, partem ſibi retinentes, partem Sanctimonialibus conceſſerunt. Extinctis deinde Fratribus, totum Sorores obtinuerunt, donec elabente tempore, Monaſterio Societati Ieſu addicto, ipſæ cum ſacris oſſibus, & reliquijs rebuſq; cæteris, Poſoniũ in Monaſteriũ Clariſſarum, multis ex eis nequicquam reluctantibus, deductæ ſunt: è quibus etiam anno 1636. duæ adhuc valdè provectæ ætatis, quæ fuerunt Prioriſſæ, nec vnquam Sacrum Ordinis Prædicatorum habitum permutarunt, ſuperſtites erant; ſed vna ex eis mortua non adeò longè ab anni ejuſdem initio, adhuc altera, dùm hæc edimus, anno 1637. viuit. Cùm mihi anno 1635. piè inveſtiganti de loco ſanctiſſimarum harum Reliquiarum (nonnullorum enim noſtrûm fama ferebatur, eas Viennæ apud Clariſſas quaſdam exiſtere) à D. Stephano Senyei Epiſcopo Iaurienſi, & Regni Hungariæ Cancellario, indicatũ fuiſſet, Poſonij aſſeruari, ingens animum deſiderium incendit, illas, quando mihi per ſtudiorum occupationes liceret, primo quoq; tempore viſitandi. Itaq; inſtituta peregrinatione, præmiſſiſq; aliquot precum, jejunorum, conſimiliumq; pijs exercitijs, Poſonium, octo germanicis milliaribus Vienna diſtantem Vrbem, ſeptima Septembris die perveni. Vbi à Religioſis Sanctiſſimi Patris Franciſci de Obſer. hoſpitio beneuolè exceptus, P. Guardianum, & P. Provincialem, qui tunc aderat, enixiùs rogaui, vt ſacra pignora (cujus cauſſa illuc veneram) viſitandi facerent facultatem; ac deniquè (licet initio Patres aliquanto diffi-

ciles

ciles ſe præbere viderentur) quod tantoperè cupiebam, & efflagitabam, R. etiam P. Iacobo Nemethi agente, obtinui. Quare ad horam primam pomeridianam, ipſa die Natali B. Virg. Deiparæ, R. P. Rector Collegij Societatis Ieſu cum P. Nemethi, ego, ſociuſq; meus ad Clariſſarum templum, juxta præſcriptum, acceſſimus: quandò P. Confeſſarius Sanctimonialium, vnàquè ſocius illius, ſacras Reliquias, è feneſtella Sacriſtiæ miniſtratas, paullatim ad ſummum altare detulerunt. Tùm porrò ſolutis mihi ex oculis vberrimis lacrymis, Deo pro tantæ Virginis gloria, tantaq; gratia mihi collata, gratias, quas potui maximas, egi: laudes ejuſdem S. Virg. mecum feruentiùs celebraui; meis, confratrumq; delictis coràm Deo confeſſis, veniam per illius merita humillimè poſtulaui, me, Ordinemq; meum in Hungaria extinctum, per illam et ſeriò commendans: ac deniq; ad ipſas Sanctas Reliquias propiùs contuẽdas, & venerandas, qua potui pietate, ſpe, gaudioq; plenus, ac lacrymis perfuſus acceſſi. Aderat Caput, cui circulus Excellentiſſimæ, & Illuſtriſſimæ D. Chriſtinæ, Excellentiſſimi, & Illuſtriſſimi D. Nicolai Eſterhaſy Comitis, & Principis Palatini Conjugis lectiſſimæ, pietate, & opera pretiosè elaboratus, cum hac inſcriptione ex vnionibus confecta, *Caput Beatæ Margaritæ Virginis, Filiæ Belæ Quarti, Regis Hungariæ.* Aderant etiam oſſa plurima ex coſtis, tibijs, brachijs, alijſq; partibus. Quamquam multa etiam illorum pars deſideraretur, quòd ij, ad quos ſpectabat cuſtodia, vel minùs diligentes pro tanto theſauro, vel plus juſto prodigi, nedũ liberales olim extiterint. At verò cùm caput, tùm oſſa reliqua, colore ſubrubro, & nigricante. Ex veſtibus

etiam aderat pars integra candidæ veſtis ſcapularis, in deſcenſu ſenſim ſe in latum porrigentis. Fruſta etiam tunicæ ſatis detrita. Fruſtulũ itidẽ panni ſerici albi florigeri, quod Pater ille Confeſſarius, ex antiqua traditione, ajebat eſſe particulam cappæ (quam vocant) ſive pallij ſerici nigri coloris, quod (cùm illo humatum fuiſſet ſacrum corpus virgineum) immutato colore, candidum miraculosè redditum fuit. Vidi etiam cingulum duorum digitorum latitudinis, quo Virgo Sanctiſſima ad vivam carnem incingebatur: vidi præterea partes cilicij, ejus præſertim, quod in modum retis erat intextum, flagellorum etiam, & virgarum particulas, quibus ſe Virgo Sancta macerare, & cœdere conſueverat. Quanta tunc mihi lætitia, quot ſacris illis reliquijs, (demptis oſſibus, quibus præ reverentia auſus non fui) oſcula fixerim, quibus lacrymis perfuſus ſim, novit Deus, qui etiam mihi hæc ſcribenti, ex ſancta illa recordatione, vbertim eas ſubminiſtrat. Optabam reliquiarum illarum Patronæ meæ Sanctiſſimæ, longèq; ſingulariſſimæ, aliquid mihi dono dari: preces adjunxi: negatum. Tùm nihil moratus, exempta forcipe, quæ mihi erat in promptu, tenues ex cilicij, & tunicæ partibus particulas abſcidi, & pia rapina correptas, theſauri ſanè quàm pretioſiſſimi loco retinui. Ex certiſſima hac relatione noſtra colligere licet, non vere, (minimè tamen mala fide) à viris grauibus ſcriptis conſignatum, Sacrum Virginis corpuſculum, poſt varias illius per Hungariam translationes, hodie Poſonij requieſcere ita integrum, vt non à quatuor ſæculis, ſed à paucis annis videatur depoſitum. Nec id minuit Virg. ſanctitatem, cùm neq; id tem-

per majoris sit sanctitatis argumentum; nam quorundam minorum Sanctorum corpora adhuc integra, majorum verò ossa sola, vel etiam cineres extant, vt oculari demonstratione potest ostendi. De qua re placet hic annotare, quæ S. Antoninus, agens de translatione corporis S. Catharinæ Senensis, quod ossibus remanentibus, in cineres redactũ fuisse narraverat, in hanc sententiã scriptũ reliquit. *Nec incineratio ipsa arguit minorationem sanctitatis ejus, cùm & corpora Apostolorum, quibus nullos Sanctos credimus in merito, & præmio excellentiores, incinerata inueniantur. Præseruatio autem integritatis cadaueris, accidere potest aliquando naturaliter, vt ex siccitate complexionis talis personæ defunctæ, vel ex influxu cœlesti, vel ex qualitate loci semote ab humectatione, vel ex aromatibus præseruantibus à corruptione in eo compositis. Aliquando verò, & communiùs, ex speciali priuilegio illi concesso diuinæ virtutis, conseruantis illud. Nec est rationem assignare, cur magis istud, quàm illud, voluerit conseruare, nisi voluntate sua.*

Antonin. tom. 3. hist. lib. 22. cap. 14. §. 19.

CAPVT TRIGESIMVM.

Laudes, & præconia quibus S. Virgo Margarita à Scriptoribus celebratur.

DE illa scribentes, non solùm Beatam, sed etiam sanctam, Divam, Sanctissimam appellant. Author enim vitæ M. S. nunquam aliter, quàm *Sanctam Virg. Margaritam* nominat. Petrus Ribaden. sic vitæ illius ordinem præfigit:

Vita Illustrissimæ, & Sanctæ Virginis Margaritæ, filiæ Regis Pannoniarum, Monachæ Ordinis S. Dominici. & passim in descriptione vitæ sanctam vocat, vt cum ait: *Quemadmodum S. Virgo seſe totam Deo consecrabat, continua ejus familiaritate, colloquijsq; gaudebat: ita vicissim Dominus, multis magnisq; cum fauoribus cumulabat, & liberalissimè petitionibus ejus annuebat.* Et: *Meminit ejusdem S. Virginis Antoninus, cujus sanctitatem multis laudum præconijs attollit.* &: *Quemadmodum velim hæc Sancta Margarita videre licet, cujus exemplum nobis proponitur, &c.*

Ioannes Tomko, Episcopus Bosſinensis, in ejus vita Romæ impressa anno 1631. cum approbatione Magistri Sac. Palatij, Fr. Nicolai Ricoardij, sic titulum apponit: *Vita S. Margaritæ Virginis, filiæ Belæ Regis Hungarorum,* & in vita S. Elisabethæ: *siquidem gemelli fœtus sanctitatis eximiæ Elisabethæ nostræ contigere. Margarita nempe, mox deserenda, ex Bela Fratre neptis, Virgo Sanctissima, Dominicani sacri instituti pretiosissima: Margarita & ex Sorore Teresa filio Petro Rege Aragonum Elisabetha,* & cæt.

Ioan. Tomkus in libro inscripto. Regia Sanctitate Hungarica fœcundata.

Antonius Balinghem, Societatis Iesu, in Ephemeride B. V. Mariæ, 28. Ianuarij. *Natale S. Margaritæ, filiæ Regis Hungariæ, ex Ordine S. Dominici.*

Martyrologium Germanicum, ex recensione Petri Canisij Societatis Iesu 28. Ianuarij. *Item in Hungariæ, Illustrissimæ, & Sanctissimæ Virg. Margaritæ, filiæ Regis Hungariæ, Ordinis Prædicatorum.*

Thomas Maluenda in annal. Ordinis Prædicatorum anno 1321. c. 8. *Conuentum quidem Laurentem in Hun-* c. 8.

garia esse Ordinis Prædicatorum, in rebus gestis Sanctæ Margarita, filiæ Regis Hungariæ, habetur. & anno 1245. Initia tantæ Virginis Fr. Garinus, S. Th. Doctor Ord. Prad. qui optima fide ex juratorum testium dictis res Sanctæ Margaritæ conscripsit, in hunc modum refert. &c cæt. & inf. Porrò Regem Belam ejus nominis Quartum, Patrem Sanctæ Margaritæ. &: Sed pergit Fr. Garinus de Sancta Margarita dicere. Simili titulo eam compellat anno 1246. Sanctissima, inquit, F. Margarita, filia Regis Hungariæ, monasticum vitæ genus in Dominicana Religione superiori anno inchoatum ardenter exercebat, & in tantilla ætate nimiùm adhuc teneris membris, duriores asperitates libenter pro Christo excipiebat. & inf. Reliqua de Sancta Virgine suis locis dicemus.

c. 18.

c. 1.

Præclarissimis etiam alijs elogijs, & laudibus, ab omnibus commendatur. nam, S. Antoninus de ea sic ait. Soror Margarita, filia Regis Hungariæ, sanctitate præcipua, quæ miracnlis in vita, & post mortem claruit. & alibi: Fr. Andreas Hungarus, Archiepiscopus Antiliarensis, fuit missus ad Curiam à Rege Hungariæ, pro canonizatione Margaritæ, filiæ Regis Hungariæ, quæ sanctè vixerat in Prouincia Hungariæ.

S. Antonin. 3. p. hist. tit. 23. c. 13. § 6. in 10. tit. cap. 11 § 1.

Fr. Laurentius Surius, Carthusianus. etsi autem nondum mihi certò constat, eam esse relatam in numerum Sanctorum, attamen, ut fieret, & Hungariæ Rex petijt, & aliqui Rom. Pontifices diligenter jusserunt inquiri de vita illius, quæ ab ipsis propè incunabulis fuit sanctissima. & de illius humilitate. erat sanè summa humilitate prædita, nec Regis filia dici voluit: sed, quoties sic appellata fuisset, cum lacrymis conquerebatur, se audiuisse vituperium. atquè hac de caussa rarò voluit loqui cum parentibus suis, ne ex illorum colloquio glorio-

In vita S. Marg.

sior appareret. Dixit aliquando: Vtinam Deus hanc mihi largitus esset gratiam, ut non Regis essem filia, sed potiùs rustici cujusdam: non nobilis, sed ancilla paupercula: ita enim liberiùs possem inservire.

Martyrologium Germanicum, præcitatum *In Hungaria, Illustrissimæ, ac Sanctissimæ Virginis Margaritæ, Filiæ Regis Hungariæ, Ordinis Prædicat. sanctis orationibus, humilitati, alÿsquè virtutum exercitÿs addictissimæ, & innocentia vitæ purissimæ.*

Hieronymus Platus, Societatis Iesu. *Ex Prædicatorum Ordine tanquam sidus quoddam effulsit in orbe terrarum Margaritæ virtus, quæ ab Hungariæ Rege Bela progenita, ex octo & viginti, quos vixit annis, viginti quatuor in Religione egit, cui scilicet quadriennis ex parentum voto dicata est. Quamquam in ea quidem minimum fuit, sanguinis nobilitas, multò enim illustrior fuit vitæ sanctitas, & rigor in corpore castigando, tùm perpetuis jejunÿs, tùm echinatis flagellis; denigs etiam summa quædam humilitas in curandis præsertim ægrotis, cujus officij studiosissima semper fuit: quæ omnia erant in illa longè mirabiliora, quàm ipse regius sanguis. Hunc verò religiosum statum tanto studio complexa dicitur, ut trium Regum, Poloniæ, Boemiæ, & Siciliæ quoq; conjugium constantissimè recusaverit; quin etiam cùm Summi Pontificis dispensatio in votis ab ea editis afferretur, respondit intrepidè, nares sibi potiùs, ac labia se præcisuram, & oculos eruturam, quàm assensuram vlli matrimonio.* li. 2 de bono stat. relig. c. 27.

Petrus Ribaden. miris eam laudibus per totius vitæ descriptionem effert, sed inter alia hæc ait. *Margarita, quantùm constat, non est canonicè in album Sanctorum* In vita S. Marg.

relata,

relata, quamuis tempore Clementis Papæ nominis hujus Quinti, de eo negotio actum sit nomine totius Pannoniæ: tamen ob eorum temporum perturbationem nihil tunc perfectum. Cæterùm id nihil officit ejus inclytæ sanctitati, stupendisq; miraculis, quibus eam viuam, mortuamq; Deus illustrauit. &: Quis non videat in hac Sancta Virgine, quanta sit amoris diuini vis, quantumq; operari possit in his, qui monitis ejus, cultureq; patientem accommodant aurem? Quis vnquam conjungere potuisset cum corpusculo adeò tenero, ac debili, tantum rigorem, tantamq; asperitatem? Quis ætati puerili, prorsusq; immaturæ tantam morum maturitatem, tantamq; prudentiam copulare? Quis vnire tantam modestiam, & humilitatem, tantæ nobilitati, regiæq; dignitati? Quis conjungere tantam celsitudinem tantæ vilitati, tantumq; componere æqualitatem inter personas statu, conditioneq; adeò inæquales? Quis animam Virginis hujus Margaritæ solis sustentare precibus, & cœlesti manna potuisset? Quis eam tantoœlestis amore Sponsi potuisset inflammare, vt probro sibi duceret esse Reginam terræ, malletq; semet exoculare, ac deturpare, quàm licitæ etiam veneris gaudia libare? Hæc omnia, multòq; plùs etiam potest verus, sincerusq; amor Dei, quemadmodum vel in hac Sancta Margarita videre licet, cujus exemplum nobis proponitur, vt illius imitati vestigia, nihil de nostra dubitemus infirmitate, sed de diuina virtute confidamus.

In Epē. B. V. 28. Ia.

Antonius Balinghem Societatis Iesu. Natale S. Margaritæ filiæ Regis Hungariæ, ex Ord. S. Dominici. Hæc vix quartum ætatis annum attigerat, cùm Deiparæ officium recitaret, quod ex solo religiosarum cantu in choro didicerat. ergo ab ipso ferè lacte eam coluit. Nullam ejus imaginem præteri-

bat,

bat, ante quam non se prosterneret, & salutatione angelica eam compellaret. Nomen Jesu, & Mariæ in ejus ore sternabat. Quòd si solemnes Virginis feriæ celebrarentur, illa eandem salutationem proximis antecedens nullies recitabat, ac in ipsa recitatione simul se humi prosternebat. Is Rex Parens Monasterium in quadam insula Danubij ædificauit, quod nuncupauit Monasterium Deiparæ Virg. Mariæ. Professis Deip. solo pane, & aqua contenta, ab omni alio cibo, potuq; se continebat. Lubentissimis auribus excipiebat voces Concionatorum, potissimùm ubi de Dei Genitrice sermonem habebant, quam in aduocatam singularem sibi delegerat, eamq; non nisi altero nominum horum appellabat, scilicet Matris Dei, & Speisuæ beatissimæ. Audito insuper ejus nomine, aut ab ipsamet prolato, profundè corpus demittebat, honoris ergò. Tanto ejus erga Deiparam affectui respondit etiam ipsa vicissim, eam honorando. Nam visa sub mortis tempus adeam venire, stipata magno cœtu Sanctorum, & Angelorum, ejusq; capiti coronam imponere. Visa etiam scala, à terra ad cœlum usq; pertingens per quam Deiparam in cœlum reuertentem Sancta Margarita sequebatur, sereno, & læto vultu, quòd se diademate gloriæ cum Ea videret.

Abraham Bzovius, cum prius de B. Helena Hungara egisset, quam prædixerat vlti; ad miraculum ferè admirandam tuisse, hoc elogio Sanctam Margaritam commendauit. *Beata Margarita, nasciturа regali superior, atq; sanctitate huic non inferior fuit. Belam Quartum, & Mariam Hungariæ Reges parentes nacta ex voto concepto ab illis, Deo dicata est. Duos tantùm annos nata, ac pænè adhuc infans, casum Friderici Austriæ Ducis, & paterni exercitus internecionem prædixit. Biennio post, postquam infantula in-* in an. nal. a. 1270 n. 17.

gentium

gentium virtutum semina indita præmonstrasset, Prædicatoriæ religionis Sororum habitum Vesprimij induta est. In quo tantùm virtutibus profecit, vt penè omnes perfectionis numeros impleuerit. Cilicium ei asperrimum perpetuum, cinctus catena ferrea vsq; ad mortem: vestes vilissimæ, jejunia quotidiana, orationes in singula momenta, deuotio erga Beatam Deiparentem ferè ab ipso lacte, lectus durus, corio instratus: cerui cal durum saxum: vigiliæ quasi perennes: lacrymarum profluuium tam exuberans, vt velum, ei madidum omnibus horis esset: meditandæ passionis Dominicæ adeo vehemens studium, vt in extases raperetur. Nullam imaginem B. V. Mariæ præteribat, ante quam non se prosterneret, & salutatione Angelica illam compellaret. Nomen Jesu & Mariæ in ore ejus æternabat. Humilitas profunda, obedientia promptissima, contemptus totius mundi obduratus, pietas in ægrotos officiosa, charitas in omnes ardentissima, sacramentorum vsus quotidianus, disciplinæ, & virgæ in scapulis ejus commortuæ, desiderium martyrij feruentissimum, & in summa omnium virtutum in ea summa. Antequàm voto solemni se obligaret, in matrimonium à Regibus Boemiæ, Poloniæ, & Siciliæ expetita respondit: priùs se naso detruncare, atq; luminibus priuare, totoq; vultu deformare malle, quàm Christo desponsam Virginitatem violare. Interna animorum, spiritu diuino, prophetico autem futura multa, & inter hæc, mortem longè ante cognouit, & suam prædixit. Tandem, cùm se dignam cœlesti Sponso reddidisset, in illis verbis Psalmi, In manus tuas, Domine, Cõmendo spiritũ meum, animam purissimam cœlo dedit. Extinctæ corpus admirando odore fragrauit: facies autem admiranda pulchritudine resplenduit. Viuens atq; vita functa, ingentibus miraculis

sanctitatem

sanctitatem suam illustrauit. Exacto & viginti, quos vixit, annis, viginti quatuor in Religione egit.

Hyacinthus Coquetius. Inibat annus 70. duodecimi sæculi, cùm clementissima Dei Mater, aliud quoq; jubar micantissimum ex suo Prædicatorum Ordine, inter fulgentissima gloriæ astra in cœlum inuexit, nimirùm lectissimam Regij sanguinis Virginem, quam ipsa suis manibus æterno diademate rediminit. Ea est Margarita, Belæ Quarti Hungarorum Regis filia, Regum Boemiæ, Siciliæ, Poloniæ thalamis expetita: sed illibatæ integritatis sacro, æternoq; vinculo, sanctioris vitæ merito, & prodigiorum laude, fæliciores longè Christi amores, thalamosq; promeruit. Sacra quædam Virgo, paucis ante Margaritæ nostræ mortem diebus, Deiparam perspicuè intuita est, genijs cœlitibus circumuolitantibus stipatam, auream coronam exquisitissimis gemmis ornatam, manibus gestare, atq; ad Margaritæ cœnobium properare. Vidit quoq; scalas è cœnobio eodem in cœlum vsq; protensas, per quas ipsa Virgo Deipara in suam majestatis sedem reuertebat, quam proximè sequebatur Margarita. Altera quoq; Monialis eodem ipso tempore vidit elegantissimam supraq; modum radiantem stellam, ex Margaritæ asceterio sensim assurgere, atq; in cœlum attolli. Plurimi aderant noui sideris comites Angeli festinè concinentes. Spectatrix, rei, quæ gerebatur, nouitatem, & pulchritudinem admirata, ex Geniorum vno, quæ stella esset, quidnè portenderet, quærit. Cui ille, Margarita, inquit, est, Hungariæ Regis filia, quæ, terris relictis, superas Beatorum sedes adit.

Coque. Visera mater. c. 29. pagina 178.

Thomas Bozius, agens de Virginibus sanctitatis admirandæ in Septentrione, ait: Diuinum munus, perpetuæ mentis, ac corporis Deo dedicatarum Virginitas, sed longè diuti-

De sig. Eccles. l. 21. c. 1. tit.

Virg. sanctitatis admiranda.

nissimum, si praterea sit illi adjuncta reliquarum virtutum, non mediocris quædam, sed excellentissima præstantia. Tales autem plurimas Septentrio produxit, ex quo secutus est Pontificem Rom. & subdens catalogum, in eo recenset *Margaritam, filiam Regis Hungaria.*

Epit. rerum hungaric. in indice 15. in Bela 4.

Petrus Ranzanus, Episcopus Lucerinus: *Hujus* (Belæ) *filia fuit Beata illa Christi Virgo Margarita: cujus sanctitatis nomine apud Ordinis Prædicatorum Fratres, magna ubiq; veneratione celebratur.* Refert etiam, Insulam, quæ prius Leporum dicebatur, & à templo Monasterij in honorem B. Virginis Deip. dicato, Rex Bela, Insulam S. Mariæ vocaverat, tempore, quo fuit in Hungaria, ab anno sc. 1487. *Insulam Beatæ Margaritæ* vocitari solitam. Distabat verò insula ab Vrbe Buda, mille fermè passibus, teste eodem Ranzano.

hist. Eccl. li. 23. a. 1270 n. 3.

Ioannes Fridericus Mateneſius. *Beata Margarita, Bela Quarto, & Maria, Hungaria Regibus procreata, quæ biennis infans casum Friderici Austriæ Ducis, & paterni exercitus internecionẽ prædixit, virginitatis admiraculum amantissima.*

Aut. Senen. in Chr. pagina 183.

Antonius Senensis, cùm egisset de B. Helena his verbis (quæ, propterea quod agentes de illa nos fugerint, libenter adjecimus) *Claruit per hæc tempora in Hungaria Soror Helena, Sanctimonialis nostri Ordinis, quæ fuit miræ perfectionis Virgo, & omni virtutum genere adornatissima, & à Domino hoc promeruisse proditur, vt scilicet quinque passionis illius stigmata, in suo corpore ejus amore sentiret:* Subdit, *Sub præfata Helena disciplina fuit etiam nostri Ordinis Sanctimonialis B. Margarita, filia Regis Hungaria, Virgo Sanctissima,*

& vitæ ſanctimonia mirabilis, quæ & miraculorum gratia extitit glorioſa.

Indiculus poſt Ordinis Martyrologium, ſæpè citatus. *Soror Margarita, filia Regis Hungariæ, virginitate, & vitæ ſanctitate, & miraculorum effectione conſpicua.* Titul. Scriptor. folio 63.

Chronicon Magiſtrorum Generalium noſtri Ordinis in Fr. Vgone Campano Magiſtro 16. *Hujus*, B. Helenæ, *diſcipula Beata Margarita, Regis Hungariæ filia, ſimiliter Sanctimonialis, mirabilibus virtutibus fulſit.*

Catalogus poſt priuilegia Ordinis à Gener. Mag. Fr. Stephano Vſuſmaris edita. *Soror Margarita, & Helena de Hungaria, hæc magiſtra, illa diſcipula, & Regis filia, vtraquè virtutibus refulgens.*

Magiſter Fr. Dominicus Gravina. *Helenæ diſciplinæ tradita Margarita, Regis Hungariæ filia, ad ſummum ſanctitatis gradum peruenit.* Voce Turt. p. 2. c. 12.

Sed & Indulgentiæ, ſacrum Beatæ Margaritæ Corpus venerantibus conceſſæ, Officiumquè in ejus die Natali recitari, & decantari ſolitum, ad cumulum etiam laudum illius maximè faciunt; quæ nos tibi ſine mora, Pie Lector, offerimus.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Indulgentiæ centum quadraginta dierum, conceſſæ viſitantibus Corpus B. Virginis Margaritæ, & cæt.

IOannes Dominici, Cardinalis Raguſinus, in Hungariam ad Sigiſmundum Regem Legatus à Latere, pro dirimendo ſchiſmate, quo Eccleſia diſcindebatur, à Gregorio XII. miſſus, an-

no III. ejus Pont. Christi 1409. literas insequentis tenoris, pro 140. dierum iudulgentia, Corpus B. Margaritæ Virg. visitantibus concessit: quas ex autencico Originali, à Sanctimoniali nostri Ordinis Posonij ad Clarissas degente, ad meam instantiam postulato, desumptas, vti etiam Officium ejusdem B. V. R. P. Iacobus Nemethi, Societatis Iesu, solita charitate communicauit.

Ioannes, Cardinalis Tit. S. Sixti, Legatus, dat omnibus visitantibus hanc Ecclesiam, & Corpus Beatæ Margaritæ Virginis, Centum & Quadraginta dies Indulgentiarum perpetuis temporibus, qualibet vice.

IOannes, *Miseratione Diuinâ Tit. S. Sixti Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus. Vniuersis Christi fidelibus, præsentes nostras literas inspecturis, Salutem in Domino sempiternam.*

Splendor paternæ gloriæ, qui suâ mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissimæ ipsius majestate sperantium, tunc præcipuè benigno fauore prosequitur; cùm deuota ipsorum humilitas, Sanctorum precibus, & meritis adjuuatur. Cùm itaquè, sicut accepimus, sit Monasterium, & locus Ecclesiæ, Beatæ, & gloriosæ Virginis Mariæ de Insula Danubij, Ordinis Prædicatorum, diœcesis Vesprimiensis; in quo quidem Monasterio, siue loco, gloriosum Corpus Beatæ Margaritæ Virginis, in Domino requiescit; ad quod Corpus visitandum, maxima se dirigit deuotorum multitudo: Nos cupientes,

pientes, diuinum cultum, & Sanctorum Dei, vbilibet ardenter reuerentiam augeri; vt eadem Eccleſia congruis honoribus frequentetur; & Corpus dictæ Beatæ Virginis, ſedulis deuotionibus, eò ferueniùs, ac libentiùs fideles Chriſti viſitent, & confluant ad eoſdem, quò exinde dono cœleſtis gratiæ vberiùs conſpexerint ſe refertos; auctoritate Apoſtolicâ, qua ſpecialiter fungimur in hac parte, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, dictam Eccleſiam, Beatæ, ac glorioſæ Virginis Mariæ, & dictæ B. Margaritæ Virginis Corpus deuotè viſitantibus, ac ad dicti Monaſterij, ſiue Eccleſiæ fabricam, manus porrigentibus adjutrices, vice qualibet, in perpetuum, Centum & quadragintæ dies de Indulgentia, tenore præſentium, miſericorditer elargimur. Datum Budæ, dictæ Veſprimienſis diœceſis, ſub noſtri Majoris Sigilli appenſione, Vndecimo Calendas Aprilis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Gregorij, diuinâ prouidentiâ, Papæ XII. Anno tertio.

Sigillum fuit defractum

Ioan. Saluatus.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Officium in Festo B. Margaritæ, die 18. Ianuarij, de cantari solitum ab Ordine Prædicatorum in Hungaria. Incipit Historia B. Margaritæ Virginis eximiæ, Quarti Regis Belæ Filiæ.

Ad Vesperas, Antiphona.

IOcundare ex nouella floris, Cœlum, plantula; cujus vigor, carnis bella stranit sedula.

Psalmus. Laudate pueri, & cæt.

Sup. 8. *Capitulum.*

Hanc amaui, & exquisiui eam à principio: & quæsiui Sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius: dicit Dominus omnipotens. ℟. *Deo gratias.* ℟. *IX. Sole sub ardenti.*

Hymnus.

NOvo sacrata gaudio,
Cœli concors lætitiæ,
Votiuo laudem studio
Depromat vox Ecclesiæ.
Sub Natali nouitio,
Noui festi solemnia
Candentis vernans lilio
Innexit Virgo Regia.
Margarita puellula,
Mortalis culmen generis,
Vitæ fulgentis æmula,
Annis fastidit teneris.
Alta spernens palatia
Claustro regèda clauditur,
Regalis pompæ copiæ
Sub paupertate graditur.
Præsta Deus supplicibus,
Præsentis prece Virginis
Nostris ascribi mentibus
Beati sortem luminis. Am.

℣. *Ora*

℣. *Ora pro nobis Beata Margarita.*
℟. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Ad Magnificat, Antiphona.

Fœlix planè, fœlix per omnia, ſumma ſemper ducens faſtigia, quam terrena ſtemma propaginis, & cœleſtis inſignit gloria; de Regalis radice germinis, in regnorũ ſcandens imperia.

Canticum, Magnificat.

Oratio.

DEus, qui Beatam Margaritam Virginem, filiam Regiæ celſitudinis Hungarorum, ad te vocare, & ipſam tuis aſpectibus adſtare dignatus es: præſta quæſumus, vt gratiâ tuâ præueniente, ejus meritis, & precibus ſuffragantibus, à cunctis malis mentis, & corporis liberemur. Per Dominum noſtrum &c.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regi Chriſto laude lætâ ſoluamus obſequium: Cujus Regni Margarita conſortetur gaudium. Pſ. Venite exultemus.

Hymnus.

HYmnis agamus fidei
Caſtæ parentis gaudia:
Floris amictu niuei
Matrem inveſtit Filia.
Hæc mundi fraudis latebras,
Lucente Sanctimonia:
Noſtræ carnis illecebras,
Diſſoluit Caſtimonia.
Virgo venuſta facie
Aquæ ſupportans hidriam,
Candore conſcientiæ
Cœleſtis vitæ gratiam.
Plena fontali fluuio
Laſſos camelos reficit,
Socialis collegio
Dum cultum legis adjicit.
Præſta Deus ſupplicibus,
Præſentis prece Virginis
Noſtris aſcribi mentibus
Beati ſortem luminis. Am.

In I. Nocturno.

Ant. Mundi plenum luxu reto, damnans pudicitia, Cœli nuptum Margarita sperat innocentia. Ps. Domine Dominus noster.

Ant. Cilicio se ambiens Virgo jam velata, Flagris se percutiens Christo consecrata, Zona quoq; ferrea cinxit se beata. Ps. Cœli enarrant gloriam.

Ant. Voto vitæ stabilis loco permutata, tanquam arbor fertilis creuit transplantata. Ps. Domini est terra.

℣. *Diffusa est gratia in labijs, &* cæt.

Lectio I.

VEnerabilis Virgo, & Soror Margarita, DEO, & ejus Sanctissimæ Genitrici semper deuota, Soror extitit Ordinis Fratrum Prædicatorum. Cujus vitæ simplicitatem, & conuersationis syncéritatem, non tàm auditam, quàm visam, & certissimâ cognitione probatam, cunctis Christi fidelibus notificare, & scriptis reddere intendimus. Ex illustri igitur prosapia, & stirpe Regum Hungariæ duxit ipsa Virgo Margaritæ originem. Cujus Pater carnalis, fuit Hungarorum Illustris Rex Bela Quartus: Auus verò ejus Andreas Secundus, qui fuit Pater Beatæ Elisabeth secundùm carnem: Rex autem Stephanus Quintus, extitit Beatæ Margaretæ Frater vterinus. Quam, cùm adhuc Mater sua Regina gestaret in vtero, tempore Tartaricæ persecutionis: pro sua liberatione & Regni pariter, cum Rege marito suo, quasi placationis hostiam DEO deuouerunt: vt si filia nasceretur, Sanctimoniali vitæ eam traderent, atquè offerrent. Nam, præter ipsam, nulla vnquam ex stirpe Regum Hungariæ, Sanctimonialis est effecta. Natam verò, &, vt de-

cet

cet prolem Regiam, ſub magna diligentia enutritam, in ipſa ſuæ infantia, cum multa deuotione, Rex, & Regina, ſeruitio Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſuæ Genitrici gloriosæ Virgini Mariæ, in ſimilitudinem Prophetæ Samuelis, perpetuò oblatam dedicauerunt. Tu autem Domine miſerere noſtri.

℟. In decliuo vitæ ſuæ, noſtri caſus vt ruinæ reſtaurentur gratiæ, dum regali ſtirpe nata, Jura vendit abdicata voluntatis propriæ. ℣. Hæc, exemplum, DEI templum, Margarita, laude ſpretâ mundi, præbet patriæ. Jura vendit.

Lectio II.

QVæ, cùm eſſet coram Matre ſua, annorum circiter duorum, Patre ſuo cum Domino Rege Stephano ducente exercitum contra Auſtriam: requiſita à Matre ſua, (ipſa Margarita, ad tabulam Matris appodiata, vel ſtante) quem exitum habiturus eſſet exercitus? ſemel ac ſecundò, quaſi propheticè reſpondit, dicens: Dominus meus Rex ſanus de bello reuertetur; exercitus verò ejus diſpergetur: ſed Dux Auſtriæ occidetur. Quod poſt paucos dies rei probauit euentus. Nam & Dominus Rex, licet non ſine ſuorum damno, ſanus quidem redijt; & Dux dictus Auſtriæ, in eodem exercitu per militiam Hungarorum occubuit. Tu autem Domine.

℟. Ortus, cælo conſcio, germinis magnifici, Paupertatis pretio voto cultu ſubijci, Patris almi Nuncio panditur Domicilii. ℣. Summi cuius ætheris forma vitæ cæteris, Juris vſu cælici. Patris almi.

Lectio III.

CVm autem eſſet annorum trium, vel parùm plus, in Clauſtrum ac Monaſterium Sororum Ordinis Fratrum

Prædicatorum, in Ciuitate Vesprimiensi, ex deuotione parentum, ipsis Sororibus est commendata; vbi ab ipsa sua tenera ætate, regularibus consuetudinibus Sororum Ordinis Prædicatorum imbueretur. Cùm verò illa Virgo tenera, vitam Sororum, & morum honestatem perspicuè & diligenter considerasset: habitum Ordinis Prædicatorum deuotâ mente postulauit, atq; suscepit. Tu autem Domine.

℟. *Virgo decens ævo, pugil in certamine sæuo, Mundum vicisti, Felici fœdere Christi.* ℣. *Dum regis orditam claustrali tramite vitam. Mundum. Gloria. Felici.*

In II. Nocturno.

Ant. Sub regulari ferula, tranquilla parens tremula, professi Status creditum, ad plenum soluens debitum. Ps. Eructauit cor meum.

Ant. Sanctitatis populo spargebat fundens odores, exemplari speculo fulgens inter Sorores. Ps. Deus noster refugium.

Ant. Dum sordescit prouoluta ancillarum pedibus, tergit rixæ labis luta ex earum cordibus. Ps. Fundamenta ejus.

Lectio IV.

Cum annorum esset citra quinquè, comperiens, ex industria aliquas ex Sororibus indutas cilicijs incedere; ex corũ assiduè jam efflictim rogauit Margaritam suam religiosam matronam & nobilem, quam cunctis diebus vitæ suæ, Matrem vocabat; vt ei aliquod cilicium tribueret. Quod illa, quantocitiùs potuit, præstitit, & eidem cilicium dedit. Oblatum igitur cilicium, deuotè induit. Sed præ nimia teneritudine puellari, sustinere non potuit. Tu autem.

℟. *Sub*

℟. *Sub clausura vitæ primordia stringens calcat insignia, Summi verbi victa inopia, Plagis urget membra nobilia.* ℣. *Culpæ adhuc nescia, lætatur pœnitentia. Plagis.*

Lectio V.

Post ætate aliquantulum proficiens, tunicas duriores, & interdum quasdam cincturas cilicinas super nudo paulatim ferre consuevit. Ecce mirabile, quod tanti sanguinis nobilitas, & altitudo, adhuc tam tenera fragilitas, sub habitus de panno pretioso supra alias coquas suas fuissent, erubescebat jam illas portare. Et si quandoq; cogebatur, ob reverentiam Parentum, vel eorum adventum, & præsentiam, squaloribus coquinæ, & ablutionibus ollarum, & cæterorum vasorum coquinæ, ac pulveribus communium scopationum denigrare festinabat. Gaudebat enim jam ex tunc de Insignibus humilis paupertatis. Tu autem.

℟. *Abnegata patris consortia, tempestatis flagellans pluvia, Cœli secum pugnante gratia, Toti corpus solatur arvina.* ℣. *Lacrymarum profusis imbribus, cum plauxe mentis in intimis. Toti compos.*

Lectio VI.

Cum autem ætatis suæ decimum ageret annum, cum multa diligentia Parentum suorum, & fratrum Ordinis Prædicatorum, cum bona devotione Sororum remanentium fuerat, de Claustro Veffranensi portata est in Monstrum, quod Parentes ejus in festo Davidis, ad honorem DEI omnipotentis, sub titulo DEI Genetricis semperq; Virginis MARIÆ, à primo fundamento usq; ad consummationem rei, ædificaverunt, & ut Regiam Majestatem decebat, regaliter dotaverunt. Tu autem.

℟. *Carne ſub exili cœleſti nupta cubili, Languet in amplexu Diuino ſaucia nexu.* ℣. *Optat, quærit, amat, gemitu, prece, verbere clamat. Languet in. Gloria Patri. Diuino.*

In III. Nocturno.

Ant. Impetrandi gratiam prouocans jejunio, ferues in fiducia tali ductu præuio. Pſ. Cantate. 1.

Ant. Caſtigante tranſitum corporis moleſtia, impendentem ſpiritum cogit ad cœleſtia. Pſ. Dominus regnauit.

Ant. Nuptiali conuiuio conſors vna fruentium, Sponſi ſuſa gremio, canit epithalamium. Pſ. Cantate 2.

℣. *Adjuuabit eam Deus, &c.*

Lectio VII.

VBi cùm, factâ Profeſſione in manibus Fratris Vmberti, protunc Magiſtri Ordinis Prædicatorum, eſſet Virgo recluſa, vnà cum Sororibus ſuis, vt moris eſt, Clauſtri Sororum Ordinis noſtri: adeò euidenter & efficaciter in virtutibus cœpit proficere, vt non ſolùm Sorores ejus ſociæ, vel Fratres mirarentur Ord: ſed & nobiliores Matronæ, & Dominæ, Principum conjuges in regno, quæ eam multo affectu deſiderabant videre. Venienteſq; ad ej⁹ aſpectum, in ejus honeſtis & præclaris moribus multùm ædificabantur: laudes DEO de tam tenera Virgine referentes, ſeq; ejus deuotis orationibus toto mentis deſiderio commendantes, ad propria remeabant. Tu autem.

℟. *Explicati fruitura laboris ſtipendio, jam præmit naſcitura cœli ſtillicidio, Vox ſuperna mortis jura rorat vaticinio.* ℣. *Tali priuilegio vim amoris amplioris parit deſiderio. Vox ſuperna.*

Lectio VIII.

DIffuſa autem erat quædam gratia ejus faciei, & gratioſa maturitas ejus aſpectui; ita, vt vix aſperis, vel blandis verbis mutari, aut dejici, vel extolli videretur notabiliter, ſed paucis verbis ſemper contenta erat, amatrix taciturnitatis. Et nunquam ſe in riſum reſoluit. Virtute etiam pudicitiæ, & humilitatis pradita, nullo modo ab aliquibus ſe laudari patiebatur. Vocabula denique, jactantiam, vel vanitatem ſonantia, omninò reſpuebat. Feruebat inſuper igne Diuini amoris; & accenſa orabat aſſiduè, quaſi ſine intermiſſione: ita vt ad altum prandium Conventus, Orationes ſuas ſemper continuaret. Imagines quoq; Domini noſtri JESV Chriſti crucifixi, & quandoq; loca vulnerum, profuſis ſæpiùs lacymis ore deoſculabatur. Imagines etiam ejuſdem Genitricis ſummo venerabatur affectu: ita, vt non ſolùm vigilans, verùm etiam dormiens, viuifica Crucis ſignum, & ſuæ Genitricis imaginem, circa ſe ſemper deuotiſſimè conſeruaret. Imaginibus denique aliorum Sanctorum, flexis genibus humiliter ſalutatis, ſic Conuentum ingrediebatur, ſeu Refectorium, & ibidem cibis communitatis erat peroptimè contenta. Nam extra Refectorium Conventus, non niſi ratione matris ſuæ, vel Sororum ſuarum Duciſſarum penitentium in Clauſtro, & vix etiam coacta, comedebat; & hoc rarò. Tu autem Domine.

℟. *Oſpectanda ſæculo nouo res miraculo, geſtu ſingularis, votum mater aſtruit, Viri ſexum induit forma puellaris.* ℣. *Compeditus carcere clarè viſitatus, ſuffragantis munere gaudet liberatus. Viri.*

Sexus puellaris in virilem permutatus.

Lectio IX.

NOctes quoq; plures in orationibus magna ex parte perducebat insomnes, vnà, vel duabus Sororibus se eidem deuotè sociantibus, licet aliquantulum procul, humiliter quamlibet cum rogatu postulans, obseruare, ne aliqua Sororum superuenientium orationum suarum instantiam, quibuscúmodis impediret. Frequenter etiam inter amaros cordis gemit⁹, & singultus, vt sæpiùs compertum est, quasi quodammodo extra se rapta, lacrymosas erumpebat in voces. Nunquam enim singularis, vel sola, extra Dormitorium esse volebat, nisi ratione compassionis, vel quietis Sororum se comitantium: & extunc, ante lectum suum, suas deuotas complebat orationes. Tu autem Domine.

℟. Sole sub ardenti rutilantem luce latenti, Aptat in esse choris stabiliti palma pudoris. ℣. Lilia conserto redolens gerit insita serto. Aptat. Gloria. Aptat.

Ad Laudes.

Ant. Jam Margarita rediuiua pace quieta, se rapit ad pronam radio vibrante coronam. *Ps.* Dominus regnauit.

Ant. Congaudete superi, vobis fidus inferi; vas celestis roris, laudis & honoris. *Ps.* Jubilate Deo.

Ant. Nostri tegmen Ordinis femineo flore, virginalis agminis fulget in decore. *Ps.* Deus Deus meus.

Ant. O felicem famulam, puritatis gerulam! quæ subintrat chorum Regis Angelorum. Canticum. Benedicite omnia.

Ant. Heres Regis strenua supernorum ciuium, Cæli nobis ardua confer pandens ostium. *Ps.* Laudate Dominum de cœlis. Capitulum. Hanc amant, &c. vt supra.

Hymnus.

Gratuletur Hungaria
De Christi beneficio,
Cujus extat vicaria
Salutaris suffragio.
Ex ipsius prosapia
Valor virtutis oritur,
Quæ morborum sæuitia
Pulsu frequenti moritur
Pedum, manus officia,
Lucis amissæ claritas,
Natura quæque deuia,
Rectas deducunt semitas.
Margaritæ, pro meritis,
Quibus solamur corpore,
Grates ex cordis abditis
Reddamus omni tempore.
Præsta Deus supplicibus,
Præsentis prece Virginis
Nostris ascribi mentibus
Beati sortem luminis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dulci dignè respondens præmio, sub perennis lucri commertio, Virgo Christi grata seruitio, Cœlum tibi blanditur gaudio.

Ad Primam, Antiphona I.

Laudam.

Ad Tertiam, Antiphona II.

Capitulum. *Hanc amauí.*

Ad Sextam, Antiphona III.

Capitulum. *Dominus omnium dilexit illam; Doctrix est enim disciplinæ Dei, & electrix operum illius.* Sap. 8. v. 4.

℟. *Deo gratias.*

Ad Nonam, Antiphona vltima Laudum.

Capitulum. *Breuis est in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Eccles. 11. v. 3.

℟. *Deo gratias.*

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

Carmen de Sancta Margarita Belæ Quarti Hungarorum Regis Filia, Ordinis Prædicatorum, à D. Francisco Leonardo Szegedj, Nobili Hungaro Tyrnaviensi, A. A. & Phil. Magistro, M.S. Vitæ ejusdem S.V. ex Hungarico in Latinum Interprete, decantatum.

Concha Divæ Margaritæ.

Horte Venus stipata rosis, tymbraq; curule
Præsit ebur, pulchroq; sedens temone Cupido,
Jucundamq; vehens per cœli nubila matrem,
Fessus, Amyclæos ad frena citauit Olores.
Illa fatigatos per nubila corporis artus,
Et duras quassata strias, liraſq; viarum,
Et pertæsa polos, natales marmoris undas
Visere, cæruleasq; Deas parat, & freta puppi
Findere, seu molli volitare per æquora sulco,
Sive Cypron charam, grauidamq; Amathunta metallis,
Dilectamq; Paphon, cultu celebremq; Cytheram,
Regnaq; Neptuni lævâ peragrare carinâ,
Deniq; Sidoniâ mens est considere conchâ.
Prouehitur, fusos euentilat aura capillos,
Et Zephyri ludunt. Euri, Boreæq; furores
Et sævas mittunt iras, dominæq; secundant.
Circum præludens teneram volat agmen Amorum,
Dorida nunc jaculis feriens, levibusq; sagittis
Irritare studens vastis Nereidas undis,
Nunc ipsum cogens varios assumere vultus
Prothea, quo formis juuenilia tela fatiget.

Jam

Iamq; procelloſum (ſed quis mare credat amare?)
Vorticibus blandos puerorum ſenſerat ignes,
Et placidè ſtratum domina compeſcuit Euros.
Exhilarata Venus puerorum luſibus, ibat,
Jamq; veneuſtatem Charitum mirata, tuetur
Tam blandas ſortita Deas, quantumq; decore
Anteit has, tantum ſe contemplata, ſuperba
Indulget formæ, ſandoreq; pectora mulcet.
Viſitur interea placido per cærula ferri
Æquora Virgo Noto, vibrare nivenția ponto
Brachia, Sidoniâ pariter conſidere conchâ,
Margaris, adgenitæ referens cognomina gemmæ:
Iam medio Veneri ſe ſe tulit obvia ponto,
Dulcibus & Zephyris, & præludentibus auris,
Accelerat, conchamuè Deæ vicina coercet.
Cujus in auratis poſtquam Dea vultibus hæſit,
Eximium ſpeculata decus, multumq; decori
Oris honeſtatem, pulchros & corporis artus;
Cujus lacteolis hærens nix candida malis,
Sanguine, vel Tyrio madefactæ recenter aboſtro,
Deleret natum lilijſq; roſiſq; colorem:
Florida labra, poli radiantes ignibus orbes
Et Berenicea collecta modeſtia frontis,
Et ſive ſtellato cervix formoſa monili,
Delicijs ſatis una ferox, croceiq; capilli
Idaliam tenuere Deam. cui talia fatur:
Qua Dea cæruleo conſurgis marmore? ſummo
Nondum viſa Iovi, ſublimiq; invida Cælo,
Et cui Nympharum ſpecies non ſufficit, ipſum

Cogis in Idæo formæ renovare tribunal
Vertice, cui ſummi conjux Iovis, atq; Minerva
Cedere ſponte parant; quantum Soror aurea Phœbi
Najadum niveos vultus, & Oreadas omnes,
Quantum egomet pulchras formâ Nereidas exto,
Delicijs ò Virgo ferox, me cedere cogis,
Et tibi, quæ nulli didicit parere Dearum,
Frons paret Veneris. naſci tuq; unica mecum
Digna mari, noſtrâq; potes conſidere conchâ.
O mihi præreliquis dilecta virago Deabus,
Laurenteſq; inter multum formoſa puellas!
Quis morum, fideiq; modus? quæ cauſa viarum?
Quis Deus eſt felix his vultibus inclyta Virgo?
Quisve thoro? an viduos ducis ſine conjuge Soles?
O penſa niveæ fugientia damna juventæ!
Exerce formam, quam non tibi, Regibus illam,
Atq; Iovi natura dedit; non lilia malis
Hanc veroſam dedit, vt ſolo marceſcat in horto,
Sed Genio, ac celſo Regum libetur honori.
Mollè voluptatem naturæ ſumito, celſis
Regibus indulge thalamos. Sed plura volentis
Præſcindit vocem, dictis ſimul increpat illam
Virgo, verecundo ſuffuſa rubore. quid, inquit,
His animum mulcere paras Venus improba dictis?
Laſcivis Regum thalamis, Genioq; ſalaci
Indulgere jubes, & Virginitatis amatæ
Candorem temerare, brevi & violare voluptæ?
Non Dea, Cerbereo magis aſt idea malorum
Orta mari, lupa dira, ſcelus, ſtuprumq; Deorum,

Fœda

Fœda libidinibus, terraq; exosa, poloq;,
Mentibus astrigeris, apage, iq; furentibus undis
Marmoris, adverso ventorumq; agmine facto,
Atq; procelloso lascivam vortice conchan,
Vesanasq; faces iratum devoret æquor.
Non ego sum ponto, conchâvè Sidonide saxum,
Margaris, at casto Regum prognata cubili
Pannonidum, cui Bela parens hoc nomine quartus
Vngariam latè Sceptri moderamine rexit.
Non mihi sacra parent Venus, atq; Thalassio, nulla
Connubij sociata placent commercia: mitto
Cordejocos, & mitto faces, rixasq; jugales,
Lascivasq; thori lites sine lege pudoris,
Deniq; mille cruces, quas fœda libido crearet.
Virgineo cœlestis Hymen, castusq; Thalassius
Cordi fixus erit, pulcherq; Cupido Tonantis
Virgineo jam corde cubat. Cœli vna cupido
Me tenet, hoc jaculis præcordia fixit, & igne
Æthereo placidum Christi inspiravit amorem.
Non ego vel crines hos pectine como procaci,
Non frontem, non hasce genas, aureisq; lapillis
Eoâq; onero gemmâ, Diviq; Dynastis,
Principibusve procis, aut furtis Nympha Deorum:
Sed magis exonero, quod majestate coruscat,
Exornoq; animum candore pudoris, vt omne
Virgineæ fidei tueat sine crimine fœdus
Virgineo Sponso, cujus castissima sæda
Hoc tenerum pectus castis ardoribus vrit.
Imò sub hac formâ si forte pericula ferret

Aurea virginitas, nec tuta micare procorum
Impetu jam posset, Cytherëia quicquid amare
Occipiat, scindam, spargamuè cruore pudico.
Seu oculos: fodiendo oculos, ero Lucia (totum
Quæ sine luce satis conspexit Lucia mundum)
Sive mamillarum decus, hinc ero Virgo Sicana:
Seu nares, seu dentis ebur, seu brachia, tuto
Seu labra, sive pedes, pro virginitatis amore
Aut nova Apollonia, aut Euphemia corpore læso
Dulci virgineum Sponso seruabo pudorem.
Per mare, perq; Notos, & mille pericula, mille
Vulnera, mille neces, vitæ discrimina mille
Dulci virgineum Sponso seruabo pudorem,
Inter vt hasce rosas, & candida lilia cordis,
Pulchrior hisce rosis, liliisq; quiescat Iesus.
Increpat hæc Venerem dictis. sic fata rudentes
Laxavit, fugiensq; faces, & inane Dionæ
Carmen, & inceptâ decurrit marmora conchâ.
Prouehitur, sed non potuit vitare suaves
Sirenum scopulos; Matris, Regisq; Boemi,
Atq; Patris, qui dulce melos cecinere jugali
Lucentes tæda, demulcentesq;, cubile,
Et claros Regis thalamos suasère Boemi.
Præterit hanc etiam generosa virago Charibdim,
Atq; iterum per mille cruces, per mille mucrones,
Virgineos mauult in frusta secarier artus,
Quam mutare fidem, dulcemq; relinquere Sponsum.
Vrget iter felix, evitat & æquoris vndas
Scyllæosq; canes, truculentaq; saxa Malææ

Lethiferasq; faces Veneris, scopulosq; minaces
Delicijs linquit Sirenum dulce venenum.
Post vigiles curas, exanthlatosque labores,
Et fusas cœlo lachrymas, & flagra, precesq;
Et perpessa malas hyemes, perpessa rigorem,
Frigoraq; ac æstus, virtutumq; inuia quævis,
Arida mox castos febris depascitur artus.
Fatum postremas immittere jussit habenas
Virgineæ conchæ, dum jam satis æquoris undis,
Et jactata malis, metiri cœrula concha
Marmora desierat. Tandem Cynosura beatis
Illuxit radijs, cœliq; appellere ripis,
Figereq; æternum ad cœlestia littora clavum
Suasit, vt æternâ felix statione quiescat.
Per Boreas, gelidosq; notos, sævasq; procellas
Per mala mille, cruces, jejunia, flagra, labores
Sponte vel invitò, placidâ sed mente subactos,
Virgineâ conchâ lascivum enavigat orbem,
Tangit & optatæ portumq; ortumq; salutis.
Navigijq; istam discedens præbuit artem:
Non est ad cœlum molli spirante Favoni
Flamine puppis iter, rapido sed flumine sævum:
Euris, non auris spirantibus, itur ad astra.

S. Margarita Taumaturga.

Sive diuturnis sine spe contabuit æger
Febribus, interno dirigui tq; gelu,
Seu lymphis tumidus, seu flammis aridus omnes
Depastus diri sanguinis igne fibras,

Sive laceſſebat lento cephalalgia letho,
Sive venenatus torruit oſſa calor:
Margaris ægrorum medicina parata, vel vno
Sustulit emplaſtro cuncta venena precum.
Et cum Pœonias laſſarunt vlcera vires,
Atq. Machaoniam deſtituere manum;
Virgo rogata preces ſummo cum fundit Olympo,
Penè prius recipit, quam roget æger opem.
At cum deſeruit terras, & adiuit Olympon,
In tumulo medicam Virgo reliquit opem.
Virginis ad tumulum, mutis q. repagula vocis
Laxantur, cæci lumina grata ferunt.
Repunt aut claudi, aut curuâ pleuritide fracti,
Aut pacti nervos, & tamen inde volant.
Dæmones obſeſſos linquunt, deliria ceſſant,
Peſtifer atq. calor, lethifer atq. dolor.
Vlcera quoſq. graui damnant Chironia lecto,
Quin letho; ægrorum liberat alma parens.
Curre, vola huc patiens, & linque Machaonas omnes,
Hoc tumulo gratis mors tibi vendit opem.

Parvula, videns Crucifixum fleuit amarè.

PArua decuſſato Virgunculæ ſtipite vidit
Affixum, & crebro vulnere corpus hians,
Et latus, extractos q. pedes, & brachia tenſa,
Perterebrata, graue hem! vepribus atq. caput.
Siſtit, & eliſo miratur membra dolore,
Iam lachrymas oculis vix cohibere poteſt:

Vertitur ad sociam, dilecta Sororcula dixit;
Qualis ab erectâ pendet imago trabe?
Rescijt esse Deum, per acerbaque vulnera duram
In cruce pro nobis oppetijsse necem.
Mox in lachrymulas virguncula solvit ocellos,
Penè infans, pœna non tamen illachrymans.

Ollam ferventem illæsa flammis surripit.

Cancros coxerat ut Soror Sabina,
Exarsit focus igne saviente,
Flagrabantq; cavo lebete cancri,
Ardebatq; focus magis, magisq;.
Non accedere, nec Soror flagrantem
Audebat rapere è foco lebetem.
En rerum studiosa Margarita
Accedit, rapidumq; mox ahenum
Flammis eripit, usulata nulla
Vi flammæ crepitantis; at probata.
Non aurum modo; sed sereniores
Jam probat pia flamma Margaritas.

Ejus jussu fluvius exundat, & rursus arct.

Quondam invisurus, solaturusque Sorores,
Sacratos petijt Cœnobiarcha lares.
Occurrant illi relictæ, & Margaris illum
Virgo statim querulo consulit ore Patrem.

O Pater, inquit, aquis sæpè exundantibus Istri
Voluimur, & Sacræ Relliquiæ, atquè domus.
Ille verecundæ narrata pericla puellæ
Risit, & à vero dixit abesse procul.
Virgo pudica fidem factura, fluenta Danubi
Mox prece adesse jubet, jussa fluenta ruunt.
Ister aquas glomerat sinuoso vortice, latè
Implet aquis terras, Cœnobijq; situm.
Et fugit, & quærit colleſquè, struesquè, graduſquè,
Vitet vt iratas Cœnobiarchus aquas.
Vt fecêre fidem, rediere fluenta: Puellæ,
Cen Moysi, paret lympha, paratquè fidem.

Agnovit secreta cordium.

COgnoscit cordis penetralia Margaris imi,
Cunctaquè secretâ mente prehensa videt.
Si quid præcipiti voluissent corde Sorores,
Hasce monet dictis, hac prece Virgo movet.
Si cordis jam sensa vides, ego verba relinquam,
Et tecum solâ, Margari, mente loquar.

Forma Stellæ cœlum ascendit.

MArgaris vt fato cessit, successit & astris,
Pannone visa fuit surgere Stella solo.
Scilicet Hunniadum terras Astræa reliquit,
Virgo Zodiaco dignamicare poli.
Quam placidum veris spirabit ab arbore lumen,
Cum vagus in roseâ Virgine Phœbus erit.
Sed quid ego rabidoſquè Canes, interquè Leones
Te Sacra Virgo loceni? Lucifer esto Dei.

Sancta Margarita à Deipara coronata.

Virgo pudoris Margari lilium,
Prognata Regum sanguine Pannonum,
Divûmq; claro Margaritum
Beliadum genitum cubili.
Quid alta Regum nomina negligis?
Illis nec unquam nota Quiritibus
Quæris sub obscuro latere,
Despicians asarota, claustro?
Conchiliatæ serica purpuræ,
Et fulgurantis chromata syrmatis,
Et Cestον, aurata atquè bullis
Cingula, fœmineumquè mundum
Regina solvit: Sentibus horridam
Seriq; duram corpore cæsulam
Assumit, ut vellus Calabrum
Corrigijs violenter arctat.
Sandalium clavibus asperis
Plantas pedatas, promptior induit,
Solumquè pulsat excitato
In superos animosa passu.
Tenella Virgo! quò pede saucio
Corpus fatigas? prodigi trajectatis,
Regumquè mensis, ferculorum
Quisquilias analecta Divûm
Censes: & artus virgineos gravi

Jejuniorum, tergaq́ verberum,
Flagro laceſſis, ſpiculiſque,
Senticeis laceras, & haſtis,
Regina! ſiſtas vulnera, mollior
O parce vitæ. Molior arduo
De colle Virginem vocare:
Abripior, graviorquè telo
Percellit aures ſermo puellulæ.
O PARCAT, inquit, vulnera corpori,
Qui pollicetur clarum Ibero
Luciferum remeare ponto.
Non audit ullam Virgo Acheloidum
Chelyn Sororum. calcar amabile
Sunt gloriæ flagra æviternæ,
Calcar habet generoſa virtus.
Sed ecce; pulchrum nil, vel amabile,
Linquunt inauſum tela Cupidinum.
En Regias vibrant fariſſas
Virginis in niveum pudorem.
Reges ab igni Margaris æſtuant,
Vultus decori lactea lilia,
Venuſti & oris tincta cocco
Labra, Ducum thalamum ſuadent.
Fruſtra fatigas tela Cnydi puer,
Quo figis audax ſpicula, Delie
Templum eſt Diane; quamvè ſpectas,
Nympha, thoros agapeta temnit.
Sed dum nec audit Regia filia,
Nec ulla celſi nomina ſtemmatis,

Honor fugacem quærit. ornat
Spina roſas, diadema virtus.
Regina Divûm Virgo puerpera,
Stipata Divis ſydereum latus,
Per pulchra cœli (nube ſciſſâ)
Fert niveos anabathra paſſus.
Gemmis coruſcam Virgineâ manu
Tendens coronam, ſydere pulchrior
Divam coronat Margaritam,
Ducit ad aſtra manu prehenſam.
O Diva! non de rore Sidonidis
Prognata concha Margari, gemmeæ
Aſſerta Virginum coronæ,
Fulge tuis age Margarita.

Epigramma.

MArgaris in laudes peramœnè lude Camœna,
Omnem de Cyntho Phœbe move lapidem.

GEMMEA ACROSTICHIS.

S apphyrus,
M agnes,
D amas,
M ianthus,
D adianus,
Z ichomar,
C emites,
L ectorius,
C hrisopraſus,
U binus,
O phtalmus,
A ſpis,
O pazius,
A nthracites,
U rophylax.

SAPPHYRVS CARBVNCVLI parens.

Sanctæ Margaritæ vermes in gemmas versi.

Sapphyri genitus partu Carbunculus ardet,
Magnus, & ignitus; non ita carbo micat.
Non Sapphyrus erat, sed de Beleide conchâ
Margaris, & gemmas hanc genera sse ferunt.
Scilicet infestos (regali Cyclade temptâ)
Vermiculos domito corpore passa fuit:
Gemmipara at vermes fiunt de corpore gemmæ.
Digna quod an gemmis Margari Virgo gemis?
Vermes in gemmas versos, natura creata
Obstupuit. Gemmas sola Virago parit.

AMIANTHVS.

S. Margarita nuptui contraria.

Cedere nec flammis, maculis nec discolor vllis,
Ferre venenati nil lapis iste potest.
Nec sparge maculis, nec Margaris ignibus vri,
Nullaq; Sirenum colchica ferre potest.
In medijs illæsa focis manet innuba Virgo,
In medio fulget gemmea Virgo luto.
Dividat in scrupos silices violentia flamma,
Non faciet scrupulos hic ferus ardor amor.

NICHOMAR.

Victoria, & amicitia.

FIxit in hoc tacitè currum victoria Saxo,
Atque latens pharetræ vincula fixit amor.
Nichomari vires complexa est Margari, docta
Seu vincire polum, vincere sive Stygem.

CHRYSOPRASVS.

Vestibus exuta repslenduit.

FIgura Chrysopraſi celat lux, prodit opaca
Nox, tantùm in tenebris fulgurat iſte lapis.
Margaris obſcuram detectâ veſte ſerenat
Luce domum: innubi Sol velut axe diem.
Indutâq; iterum tanquam caligine veſte
Obſcurat, Solem qualiter umbra tegit.
Lumina te celant, tenebræ Sacra Margari produnt
Celabas vitæ lumina, nocte patent.
Prodidit in Cœlo Venerem lux: Margarin at nox,
Aut gemma, aut Virgo, Margaris ergo fuit.

TRIPHTALMOS.

Oculata prudentia.

COllucet ternis hominum Triphtalmus ocellis,
Tuq; vides oculis Margari Virgo tribus.
Præſens, præteritum, Viſuq; triſonte futurum.
Janus eras, quod ſi non Mar-iana fores.

ANTHRACITES.

Lachrymæ.

HIC lapis ardet aquis, rapido reſtinguitur igni,
Virgo faces Cyprias neſcia, flagrat aquis.
Imber ocellorum Cœlorum ſuſcitat ignes,
Sopit at æthereas terrea flamma faces.
Margaris in lachrymis rorantibus ardet ocellis,
Dum cor Cœlum orat, rorat ocellus aquas.
Non lachrymæ Heliadum, ſed Margaris vnio ſtillat,
Vnio, nam ſequitur gemmea nexa cohors.

MAGNES.

Ferreus Cingulus.

MAgnes mirifico ferri devinctus amore,
Arctat in amplexus ferrea cuncta ſuos.
Magnas Virgo latus perſtringit vimine ferri.
Vincta fuit ferro, ſed fera victa caro.

ADAMAS.

Regios procos contemnit.

INnubam non adamas quamvis adamere Virago:
At, quia dura procis es, potes eſſe Adamas.

RADIANVS.

Precum ſuffragia.

FErt votis Radianus opem. Pia Margari, noſtras.
Fac Cœlo faciles, cœlitibuſue preces.
Saxa movent animos. Seu ſis Lapis, annue Virgo.
Saxa peto: ſed non verbero jam Lapidem.

GEMITES.

Pietas.

GEmites geminas ostentat imagine dextras,
Quas Natura suâ Dædala sculpsit acu.
Gemites Pietas, geminaquè ad sydera palma,
Vota, lapis plus hic se Pietatis habet.

Margaris ignito votorum plena calore,
Tendebat geminas in pia vota manus.
Et (Niobe ne fors certaret fabula vero)
Duriùs in lachrymis Margaris uda suis.

ALECTORIVS.

Pugna cum Dæmone.

VIcit Alectorio Virgo Phlegetonta lapillo:
Alecto lapidem sensit Alectorium.

RVBINVS.

Pudicitia.

NON rubet in collo, sed Virginis ore Rubinus.
Auribus, haud digitis pendula gemma rubet.

JASPIS.

Ægrorum medicina.

INsculpsit medicum parvo huic natura lapillo,
Qui medicam herbarum fasce ligabat opem.
Virgo Machaonios (ceu Jaspide) corpore succos
Continet, ac morbis aqua propinat opem.

Defecit morbis natura noverca: medendi
Suffecit cunctis Margaris arte plagis.

TOPAZIVS.

Flamma in vertice S. Margaritæ ludens.

Dicitur â longum quærendo Topazius; hoc eſt
Rara quod in terris vnio, carapolis.
Occuluit latebris Clauſtri ſe Regia Virgo,
Cœli ignem caſto condidit atque ſinu.
Emicat at ludens, in vertice proditor ignis:
Perdita quæ vè fuit, prodita luce ſua eſt.

Auruphylax.

Dicitur Auruphylax cuſtos fidiſſimus auri:
Virtutum; Auriphylax. O pretioſe lapis.
Abjecit roſeo gemmata monilia collo,
Margaris, hanc gemmam liquit in auriculis.

Tota gemmea es Margarita.

Tota gemmea Margarita, tota es,
Venuſtiſſima Margarita tota es.
Et pulcherrima Margarita tota es.
Rubenti rubicundior Rubino,
Albicantior albicante Myndan,
Et florentior Indico Smaragdo.
Tuo purpurat Amethyſtus ore,
Jaſpis lacteolo ſereniore
E frontis cilio nitet nitore.
Lychnis fulgurat in pijs ocellis,
Et Carbunculus ardet in labellis,

Gena est pulchrior omnibus lapillis.
Tota es gemmea Margarita tota.
Sed hem! Sidonios manu Beryllos,
Elenchos rapit auribus lapillos,
Omnes abijcit hos, & hos, & illos.
Non conchilia, non amoeniores,
Coctos murice vestium nitores,
Nullos ambigit Oebalis colores.
Suggestum ij. comæ serenioris,
Purpuramque genæ venustioris,
Solus inficit aut rubor pudoris,
Solus inficit aut pudor ruboris.
Non es gemmea Margarita, non es.
Corpus gemmiparum tuum Virago,
Vita gemmea gemmeumque nomen.
Rursus gemmea Margarita tota es.
Non es gemmea Margarita; gemma es.

Simile est regnum cœlorum Margaritæ pretiosæ.

Quærisquis divitias, opumque gazas,
Et longè vagus intueris agros,
Et latè numeras greges opimos,
Cui boum juga mille aratra vertunt,
Balant lanigeri greges, sub aureis
Spumant alipedes equi capistris:
Cui opes Ceres, & Pater Lyæus,
Fundit nectareos meri liquores.
Pleno copia diffluitque cornu:

Non sunt hæc benè tuta, crede non sunt,
Nullis tuta manent recluſa gazis:
Res fortuna dat has, & has, & illas,
Et fortuna tuetur has, & illas.
Sed fallax Dea cum dedit; reſumit.
Vt tuto tamen has opes beatus
Condas ſcriniolo, periculiquè,
Et diſcriminis, atquè ſortis expers.
Vendas omnia, & vniens acervos,
Emas ò bene cautus Vnionem.
Quam tutà potes obſerare ciſta.
Par cœlo pretioſa Margarita eſt.
Cœlumquè æquivalere Margarita,
Cœloquè æquivalere Margarita
Felici pretio poteſt. At emptor
Si vis marmora prævalere cœlo,
Aut mutare polis tuum lapillum,
Conjungas Adamanta Margaritæ:
Pluris veniet inde Margarita,
Tum gemma benè comparabis aſtra.
Et gemmam benè comparabis aſtris.
Et gemmà benè comparabis aſtra.
Sic cœlumquè lapilluloſquè felix
Non abs fœnore, dive fœnerator;
Vſuràquè tenebis æterna:

Dubito

Dubito cœlumne Margaritæ, an Margarita Cœlo sit similis.

ET Cœlum vibrat igneos focellos
Et virgo vibrat igneos ocellos.
Cœlum stellifero coruscat axe,
Pulchris ignibus absidem coronat,
Distinctisquè polum serenat astris,
Diffusisquè solum, salumquè lustrat.
Et totum radijs serenat orbem:
Cœlis æmula Virgo Margarita.
Quovis sydere pulchrior virago,
Auratis & Atlantidum capillis,
Cnossiâque serenior coronâ,
Formosis & amœnior Dianæ,
Et comis Veneris, comisquè Phœbi.
Seu cum Virgineo cubat grabato,
Seu cum puniceo excubat nitore,
Ceu Pallantias axe purpurato
Vecta, Virgineo resplendet ore.
Virgo fessa laboribus diurnis.
Strato liliolis, rosisque lecto,
Et sparso violis Achantulisquè,
Et chaltis hyacintulis crocisquè,
Lacteisquè ligustruis decoro;
Ast inter rosulas Achantulosq.
Strato vepriculisq, carduisq,
Savis clavibus, assuliscj lecto,
Virgo lacteolos reponit artus.

Hac ſtipata ſatellitum coronâ,
Securas videt vt roſas pudoris,
Securas violaſq; caſtitatis,
A nullis violabiles pharetris,
Cedit ſuauiolo Virago ſomno.
Sed compuncta vepriculis roſarum
Vix clauſos aperit virago ocellos.
Mox Cœlo tenus elevatæ mentem,
Cœlum ſpectat ocellulis apertis
Et ſtellantibus aſtra luſtrat aſtris,
Et ſurgens jubar aureum per orbem
Spargit ſydereo ore Margarita,
Totum Lychnide caſtitatis orbem,
Virtutumq; nitore Virgo luſtrat.
Et Cœlum creat, & creat Virago
Argentum, lapideſq; fulgurantes:
Et Cœlum rubet, & rubet virago,
Chriſti ſanguine, vel ſuo pudore:
Et Cœlum micat, & micat Virago
Illud lumine, Numine iſta Diuûm.
Pallet Cynthia, pallet & Virago,
Pulchri Numinis hoc amore forſan.
Sed; Cœlum domus eſt, & arx Tonantis.
Sed; eſt Margaris arca caſtitatis,
Templum, regia, cella puritatis,
Cujus dulcis Jeſulus roſeta, &
Inter lilia paſcitur puellus.
Cùm Cœlo pretioſa Margarita,
Et verſà vice par olympus illi

Pulchritudine purpurâq; certent,
Dic Amphibolicè benigne Lector;
Jam Cœlum superare Margaritam.

Inauris aurea & Margarita fulgens.

Prov. 25.

ET digitis adamas, & fulva monilia collo,
Lunula fronte micat, pectora torquis obit;
Auri cultus abest. Hanc Nympha appendito baccam.
Jam Cœlos Atlas fortis in aure ferès.

Gemmula Carbunculi in ornamento auri. Eccl. 32.

QUalis gemmula fulgurans in auro,
Fabrè Pyrgotelis polita scalpro,
Accendit digitos amoris igne,
Et binas sociat faces amantûm.
Talis Margaris annulo Sororum,
Et castâ Montalium coronâ,
Talis fulgurat orbe Virginali,
Virgo circulus ipsus annularis,
Nullo fictilis annulus Magistro.
Cujus si pretium sit æstimandum.
Auro cetera hic nihil videbis.
Hic Margarin annulus maritat
Cœlo progenore Virginum Marito.
Cui electior hoc fuit Puella,
Primæos dedit annulos quod illi.

Lapides excavant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur. Iob. 14.

NOn Zephyri pennâ, nullo mansescit ab igne;
Sed guttis Adamas cedere svevit aquæ.
Margaris vt malas lachrymâ stillante rigavit,
Saxea duritiesmox liquefacta fuit.
Continuo bibulus paulatim flumine limus,
Et lachrymæ tellus alluvione perit.
Permansit candor. Quem candidæ bacca nitorem
Non bibat? assiduis quam mare lavit aquis:

Placuerunt ancillis tuis lapides ejus. Psal. 101.

BEleide ex conchâ cupidos sumpsere Sorores
Virgineæ lapides, vis quibus alta fuit.
Hæc lachrymæ baccas: ignem tulit illa pyropi:
Virturemq; suam quælibet inde tulit.
Diffusis tandem baccarum gemmea mater
Virtutum radijs Margaris; astra petit.
Mutarunt elementa fidem, Beleia bacca
Si lapis est; sursum qualiter ire potest?

Lapides Sancti elevabuntur super terram. Zach. 9.

RErum opifex Sanctum lapidem super astra levavit
Margarin, vt Cœlo Pergama forte struat?
At, fundone Deus, laquearibus annue locabus
Margarin? ab nostra sit rogo porta via:

Duode-

Duodecim portæ duodecim Margaritæ sunt. Apoc. 21.

Bissenos numerant baccato cardine postes
Panditur empyrei quâ plaga sacra poli.
Margaris an decimus non tertius esse valebit?
Post te nos facili Margari poste trabe.

MARGARITOPHORON

alterius Authoris.

Sancta Margarita à se domitum Margaritum.

Laborioſi carminis arbiter
Apollo, doctà dic age Tibiâ
Melos; ſonoro læta Muſæ
Carmina depropérate plectro.
Dicenda Virgo, credite poſteri!
Non virgo, ſed vir. Tergora MARGARIS
Laſſavit iratis flagellis,
Sanguineo crepitante rivo.
Cubile crebris ſtum·nibus rubet,
Natat virago purpureo lacu,
Maſtumque Parcæ flent nefandæ
Tartarei Laris, & minantur.

Formidolosus Gutture Cerberus
Allatrat umbras: fulminat inferos
Insecruenta Virgo; Reges
Exuperat Stygiæ paludis.
Non usitatæ monstra protervia,
Bello gemiscunt, arma minantia,
Cristas, & immanes hiatus
Illacrymabilis auget orcus.
Severa lætum prælia despicit
Cœlum; Deorum ridet amabili
Rector labello: blanda nexis
Huic Elementa favere nodis
Certant. Celebres roboris indicat
Ausus virago, non muliebriter
Pavescit hostem, nec latentes,
Insidias Erebi tremiscit.
Non jam triumphos ferreus Hercules
Ad Astra tollat laudibus: ut canem
Orco trifaucem traxit. Acres
Æacides sileat favente
Mavortè pugnas. Sanguineum ciet
Virago bellum; sauciat ictibus
Hostem severis, terga quotquot,
Vulneribus rubicunda signat.

Sancta Margarita Patriæ Margaritum.

Ut numeret gemmas currit Mercator ad Indos,
Et nulli fidas Navita Sulcat aquas.

Si pretiosa tibi subridet gemma viator,
Hanc tibi Rex Belus, Pannonis ora dabit.
Accipe tam charum quàm rarum munus, habebis
In Gemma hac totas divitias Patriæ.

Idem.

GEmma Panomphæo non tantùm nascitur Indo,
Nascitur Vngarico par quoque gemma solo.
Par aio, an melior? nisi ei quæ flagrat in aëris,
Par sit in Oceani quæ tumulatur aquis.
Vivite Pannonij: vos vivere fecit honoros
MARGARIS Vngarico nata puella throno.
Spernite jam post hac (quo multum excellitis) aurum,
Sint vestræ sola hæc gemmula divitiæ.

Sancta Margareta pretium omnis Margariti.

INdici flammeis rutilant Pyropis
Montium colles, Adamante fulgent,
Explicant conchis rubra Margaritas
Marmora Ponti.
Gaudet Ægyptus Cereris Sicanæ
Fructuum donis: Libyæque Tellus
Falce fœndendas segetes gravatis
Præbet agrestis.
Balsami jactant Arabes fluorem,
Ferreum laudant Chalybes metallum,
Massicus spumat saturata pingui
Pocla Lyæo.

Pannonum tellus superat Sisanos,
Memmonis vincit segetes, Libyssam
Vincit, & furvi rubicunda ponti
Semina vincit.
Vincit Extremi freta Margariti
Vincit Eoas, Arabesq; virgas,
Vincit Indorum sola, MARGARITA
Virgine Gemmâ.

S. Margar. Stellis comptius Margaritum.

Stellas praliant & Æther,
Sed detriumphat Æther,
Stellas tuas, jubarque
Deposcit, obtinetq;.
Non Concha, non smaragdus
Non fulgetrans Beryllus,
Et Cecropis marita
Non prævalent Elenchi.
Omnes prais Pyropos,
Superque Margaritas
Tu MARGARIS cornscas.
O MARGARITA, sole
Micantior nitente!
O Lux jubarque Phœbi
Clarior Sereniorís,
Ardentior Boote,
Et Phosphoro nitente?
Flagrantior Capellis
Ardentior Canicle

Fulgentior Gemellis,
Septentrione Stella
Ornatior polari.
Vincis caput Leonis,
Et cingulum Orionis,
Vinciſq́ Capri cornua
Atlantidaſq́ vincis.
Eſt nempe major iſte
Splendor tuus, decuſq́,
Quam quidquid eſt in aſtris,
Quam quidquid eſt ſub aſtris,
Quam quidquid eſt quod Aſtrum eſt.

Sancta Margareta Cæli Margaritum.

REgina ad ſuperas feſtinat MARGARIS Oras,
Vt ſolet ad vitreas currere Cervus aquas.
Non, inquit, tutum eſt terrenis ſiſtere Gazis,
Cæli Theſaurus tutior ille mihi eſt.
Si mea quid valeant gemmarum pondera; ſi quæ
Gemma ego ſum; gemmis me ſociare volo.
Non ibi Latro ferus furtivis imminet auſis,
Non metuo fraudes fur maleſane tuas.
O ſi mille irent tales ad ſydera gemmæ,
Quàm nunc eſt, Cæli ditior aula foret.

Sancta Margarita Coronatum Margaritum.

DIa coronatur Cæli diademate Virgo
MARGARIS, hanc gemmam tanta corona decet.

Gemma coronatur, si gemmas Astra coronant,
Cedite stellati cuncta signa poli.
Nempe Deus si non esset diadema: Coronam
Ipsa coronaret Gemma puella suam.

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

Matthiæ Corvini Regis Hungariæ, ad Papam Pium II. & Cardinalium Collegium pro Canonizatione B. Margaritæ V. Epistolæ.

DVm præcedentia carmina cuderentur, R. P. Iacobus Nemethi, in vetusto quodã codice paria literarum à Matthia Corvino, Rege Vngariæ, ad Pium II. Sum. Pontif Cardinaliumque S. R. E. Collegium, pro Beatiss. Virginis Margaritæ Canonizatione datas se comperisse, earundem exemplaribus transmissis, sueta charitate mihi significavit his verbis: *R. in Christo Pater, P. C. Nuper reperi in veteri quodam M.S. libro inter Epistolas Matthiæ Corvini Regis Hungariæ binas literas, unas ad Papã (quitunc fuit Pium videlicet II. alteras ad Collegium Cardinalium: ratione Canonizationis B. Margaritæ Virg. uti videbar ex ipsimet literis à me ex illo libro descriptis. Annus, & dies datarum non est adscriptus, uti nec aliarum Epistolarum ejusdem Regis in hoc libro M. S. (quæ scriptoris magna inconsideratione sunt) ego tamen ex personarum non paucarum in illo M. S. libro facta mentione, ad quas litera sunt directæ, colligo manifestè, literas illas à Matthia Rege scriptas esse ad Papam, & Cardinales anno Christi*

1463. vel summum 64. &c. Posonij die 26. Martij, 1637. R. P. V. S in C. Iacob. Nem. eas, vt mihi jucundissimum fuit perlegere, ita & tibi, Lector Pie, ad majorem Dei, ejusdemque Beatiss. Virg. Margaritæ gloriam, sine mora communicare, par esse judicavi.

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino, Domino Pio, divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Domino nostro Clementissimo.

BEatissime Pater, & Domine, post humilem nostri commendationem ad pedum oscula beatorum. Inter multa ardua negotia, quibus nunc maximè urgemur, & de ijs etiam solliciti sumus, quæ ad honorem D. Majestatis, & Sacræ Religionis pertinent incrementum: immò quodammodo magis in præsentiarum veniunt in mentem ea, quæ devotionis sunt, quàm in otio domesticæ quietis. Proinde non erit mirandum, si hoc potissimùm tempore Sanctitati ea suggerimus, quæ plus pacis tranquillitati, quàm Castrensibus negotijs convenire videntur. Verùm, vt apertiùs intelligi possit, quod intendimus, paulo altiùs repetito initio, summam tamè breviter proponemus. Est quædam Insula Danubio circumfiua, in conspectu hujus Civitatis nostræ Budensis, quæ olim Leporium, postea B. M. Insula dicta est. In ea Insula Monasterium exstitit Sanctimonalium Ord. Prædicatorum, quod quidem Monasterium, quondam Rex Bela, Prædecessor noster fundaverat, & in eodem filiam suam, nomine Margaretam, Deo Virginem dedicavit. Ea Margareta, vitæ honestate, & sanctis operibus tantam cælitùs gratiam promeruit, vt tàm in corpore, quàm post obitum, magnis,

& euidentibus miraculis coruſcarit, quemadmodum adhuc multorum fide digna teſtimonia comprobant: & poſt ejus mortem à diverſis Romanis Pontificibus vel deputati, vel miſſi Inquiſitores, examinatis inde pluribus idoneis teſtibus, & tota profitente Hungaria, comperiſſe, ac ſcriptum reliquiſſe dinoſcuntur. Sed, vt ſit, Regum pariter, & rerum frequenti mutatione, ſuſcepta rei conſummatio vel prorogata fuit, vel neglecta. Nunc igitur Beatitudini V. in eo quàm humillimè, & ſtudioſiſſimè ſupplicamus, quatenus rem hanc intermiſſam, & ſibi forſitan diuinitùs, vt alia multa, & præclara, jam diù ſervata, per ſe, aut per ſuos recognoſcere dignetur. & cùm intellexerit, omnia, quæ ad id opportuna, & neceſſaria fuerint, ſatis conſtare, & ita placuiſſe Altiſſimo, diuinæ exinde benignitatis affluentiam, Apoſtolicæ auctoritatis præconio, & ſolemni publicatione declaret. Faciet in hoc V. Sanctitas rem glorioſam, & nobis, ac noſtris omnibus optatiſſimam: immò, quod vel primùm, vel ſolùm in talibus ponderandum eſt, multorum devotioni, & ſaluti profuturam, ac Omnipotenti Deo planè acceptam, qui accenſam lucernam non vult abſcondi, ſed illuminantẽ eam in edito poni, & ſe in Sanctis ſuis præcipit laudari. Qui & Beatitudinem Veſt: diù felicem ſervet Eccleſiæ ſuæ regimini, & augmento. Datum

Matthias Rex Hungariæ.

Illis verbis, *poſt obitum, magnis, & euidentibus miraculis coruſcarit, quemadmodum adhuc multorum fide digna teſtimonia comprobant*, Rex ad miracula ſuo tempore facta reſpicere videtur.

Collegio Cardinalium, ex parte Domini Regis.

Scripſimus Sanctiſſimo D.N. pro elevatione Corporis, ſive

Canoni-

Canonizatione B. Virginis Margaretæ, olim Belæ Regis, Prædecessoris nostri filiæ, Sanctimonialis quondam Ordinis Prædicatorum, in Monasterio Sanctæ Mariæ de Insula, juxta Civitatem nostram Budensem, Danubio circumfluæ: de cujus Virginis sanctitate, & miraculis, multa, & magna testimonia produci possunt. Proinde Rever. Paternitates Vestras quàm diligentissimè rogamus, quatenus rei tàm honestæ, & piæ, ac salutiferæ, promotionibus, & suffragijs suis adesse velint. In quo nobis quidem, & nostris plurimùm, sed Deo longè amplius complacebunt. Datum. Missa ha litera Romam à Rege Matthia Corvino, per Marcum Episcopum Tininiensem, Oratorem suum ad sedem Apostolicam Anno. Vrsit Rex Opt. sed Pio, Anconæ, dum in bellũ adversus Turcas proficiscitur, mortuo an. 1464. 17. Cal. Sep. res ad exitum non pervenit.

Alia de B. Virgine Margarita ab optimis amicis expecto, quæ, si data fuerint, in operis appendice legenda, Deo favente, proponam. Quod si quippiam id genus, quisquis es Pie lector, apud te est, ne pro mutua charitate impartiri gravere, vehementius obtestor. Interim verò, te ô Clementissima Patrona, ac Domina mea, Virgo Sanctissima Margarita, vt hos clientuli, famulique tui qualescumque, pro tua, æternique Sponsi tui Christi Domini, qui te elegit de mundo, gloria susceptos, aliosque graviores, vtroque auspice, suscipiendos, benignissimis oculis tuis è Cœlis labores aspicias, & approbes, conatibus faveas, atque ejusdem Regis gloriæ, sancta prece tua, validaque intercessione, gratiam, qua illo tecum vnà frui merear aliquando, exores, ex intimis cordis penetralibus devotissimè precor.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

De Sorore Elisabetha, Stephani V. Regis Vngariæ filia, floruit anno Christi 1278.

M. S. vita S. Marg. Eppius de Per. illust. Ordin. Prad. Diadicus p. p. vol. 4. & Taegius apud ipsum.

INter Vngaricæ nationis Sanctitatis præcipuæ Sanctimoniales, Elisabetha, Stephani V. Regis Hungariæ nata, ab Auctore vitæ M. S. Sanctæ Marg Ambrosio Taegio, Georgio Eppio, Ioanne Michaele Plodio recensetur. Quadrimula Ordinem Præd. in Monasterio Insulæ B. V. Deiparæ ingressa, adhuc parvula, amicam suam Sanctam Virg. Margaritam accedens, clanculum manum in dorsum illius immisit, nùm cilicina veste tegeretur, exploratura, quam ipsa verbis illis, receda, meque dimittas, abegit. Virginitatem corporis, animiquè illibatam perpetuò custodiens, magna orationis, spiritus, sanctitatisque laude excelluit. Humilitate, sanctæ cum primis amitæ suæ Margaritæ exemplo adeò eluxit, vt auctor vitæ M. S. duas humilitatis ideas, & exemplaria ambas nuncupaverit. Per hebdomadam coquinæ ministerio inserviens, cibos mundabat, & parabat, scutellas, ollasque abluebat: domum quoque & officinas everrebat, & ad omnia abjectionis opera eidem Sanctæ Margaritæ sociam se libentissimè adhibebat. Præfectæ Monasterio, hæreditatem illi à Patre Rege Stephano postulavit, literisque obsirmatam impetravit. Is enim Filiam, & Ordinem diligens, pluribus idem Monasterium bonis, potissimum verò portu Ireneo, Portorio cum Villa, Insulæque Villa locupletavit: qui etiam

ad

ad majorem templi ejusdem loci aram corpus suum sepeliri mandavit, quod & supra Evangelij locum, sub alto rubri marmoris tumulo factum. Testimonium sanctitatis B. Margaritæ, Papæ Commissarijs, 25. ætatis annos nata perhibuit. Quare longè supra annum 1270. vitam produxisse, certum est, cùm & Ladislao Rege ejus nepote, qui regnare cœpit ab anno 1278. viveret, quando fortasse etiam erat Antistita: quæ rogata, velum, ac vittam S. Margaritæ, pro arcenda proximè instante eidem Regi adolescenti morte destinavit, & pro eo Sanctimonialibus preces indixit; vt ex Auctore M.S. vitæ inter miracula ejusdem S. Virg. Margaritæ prænarravimus. Spiritu adeò præclaræ Virginis in Cœlos recepto, in Capitulo coràm Crucifixi imagine humatæ fuerunt exuviæ, quod & præfixa olim imbi scriptura testabatur.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

De Sorore Elisabetha, Filia Andreæ III. Regis Vngariæ. obijt anno Christi 1336.

DE hac F. Georgius Fppius VVimpinensis, S. T. Lector Ordinis Prædic. ita scribit. *Elisabeth, filia Andreæ Regis Vngarorum Illustrissimi, vita, religione, virtutibus, & miraculis præclarissima. Sicut enim lucerna splendens super candelabrum, ita hæc in congregatione Sororum singulariter radiavit exemplis eximiæ sanctitatis. Habebat hanc gratiam, tam apud Deum, quam apud Sorores, quam mirabantur valde, & intuebantur vultum ejus tanquàm vultum Angeli stantis inter illas. Per-* Georg. Fpp li. de personis triusp. sexus Illust. Ord. Prad.

acto demùm laudabiliter cursu vitæ suæ, in pace in idipsum obdormivit, stolam immortalitatis accipiens à D. Iesu Christo, sepultaque honorificè anno Domini 1336. Concinit hisce post Ambrosium Taegium & Plodius, qui tamen asserat, quo anno ex hac luce migraverit, se nescire, quòd, cujus Andreæ nata fuerit, nequiverit invenire. Cæterum fuisse illam filiam Andreæ III. qui dictus est Venetus, quòd natus sit filio Regis Andreæ II. Stephano ex Maurocenæ familiæ conjuge, cui nupsit, dùm post varia discrimina Venetias se contulisset, omninò putem exploratum esse debere. Nullus enim Andreas alius, ex quo Ordo noster fuit in Hungaria, præter II. & hunc III. extitit, vt ex vniversis Regum ejus regionis descriptoribus licet contueri. Hanc porrò, de qua sermo, Elisabetham, filiam Andreæ II. sub quo ab Ordine nostro sunt in eodem Regno capta primordia, minimè fuisse, certius est, quàm vt indigeat comprobari. Huic enim filia, Elisabetha nomine non fuit alia, præter eam, quæ nupta Ludovico Thuringiæ Landgravio, sanctitate clarissima à Gregorio IX. in album Sanctorum ascripta est, quæ Sanctimonialium vitam in Monasterio non duxit: immò neq; ex tertio Ordine Beati P. Dominici fuit, quamquam sub cura, directioneque Magistri F. nostri Conradi Marpurgensis, Inquisitoris per Germaniam, martyrijq; laude celebris, qui & gesta illius, ejusdem Gregorij jussu, libris octo complexus est, ad mortem vsque perseveraric, vti Thomas Maluenda ad annum Christi 1233. scitè deducit. Consequens igitur est, vt Andreæ III. qui ab anno Domini 1291. usque ad 1301. Hungarici Regni habenas moderatus est,

Plod. pp. vir. illust. col. 499.

Maluenda anno 1233. n. 17.

nata

nata fuerit. Porrò ipsa longè Parenti superstes, denique anno Christi 1336. concessit mortalitati, quemadmodum Eppius scriptum reliquit.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Gradus Consanguinitatis inter recensitas Regias Virgines, aliasq; sanctitate per eadem tempora celebres ex eadem Regia Vngarica stirpe personas.

ANtequam ex hoc loco recedam, gaudio plenus, contineri nequeo, quin Regiæ Hungaricæ, sanctitate, religioneque clarissimæ consanguinitatis per hæc tempora, lineas ducam, vt tantis exemplis, fideliter, & sanctè in religioso stadio Deo omnium conditori, ac redemptori omnes deseruire discamus. Sex insigni sanctitate personæ, nec tempore, nec consanguinitatis gradibus inter sese longè distantes fuere; tres ex Ordine Angelico Prædicatorum; Sanctissima Virgo Margarita Belæ IV. Elisabetha Stephani V. Elisabetha Andreæ III. filia: tres itidem ex Seraphico Ord. Minorum: S. Elisabetha vidua, quam plerique; inter tertij Ordinis personas accensent. S. Ludovicus, Mariæ Siciliæ Reginæ filius, S. Isabella, Petri Aragonum Regis filia. Andreas namque II. duas habuit vxores. Prior fuit Gertrudis Germana, è qua suscepit filios, Belam, Colomanum, Andream: filias, Sanctam Elisabetham, & Hioelesiam, sive Ardeuram, quæ nupta Iacobo Aragonum Regi, inter cæteros Petrum Regem peperit, ex quo prodijt Isabella, quæ nupsit Dionysio Regi Lusitaniæ, & post ejus mortem Mi- *Vt. Frâ. ciscum Tarapha de Regi-*

hus Hi ſpan. anno 1215. et 1262. & Lucium Marineum Siculū de reb. Hiſp. l. 10. p. 846. & l. 11. p. 851.

norum Ordinis inſtitutum complexa eſt. *Fallitur* proinde, qui in vita S. Eliſabethæ ſcripſit, Iacobum ex coniuge Tereſa, Andreæ Regis Vngariæ filia, & S. Eliſabethæ ſorore, Petrum Aragonum Regem filium progenuiſſe. Tereſa namquè non conjunx, ſed pellex fuit Jacobi Regis Aragonum, non Andreæ II. Vngariæ Regis, ſed Ioannis Bidauræ filia, è qua habuit Petrum, non Regem, ſed alium quendam, cui Caſtrum Ayerbæ dedit; & Jacobum, quem Dominū Caſtri Xericæ fecit in Regno Valentiæ: nec Petri Regis filia fuit S. Eliſabetha, quod eidem placuit auctori: ſed, S. vt ex rerum Hiſpanicarum ſcriptoribus diximus, Iſabella Poſterior Andreæ vxor, filia Marchionis Eſtenſis, quàm ex Syriaco bello in Hungariam per Italiam redux, ab eodem Marchione regali cultu exceptus, duxit: ex eaquè Stephanum genuit, qui à Patris obitu, (cùm mater, quæ ſe manifeſtis indicijs gravidam comprobaverat, impetrata à Proceribus abeundi licentia, ad parentes redijſſet) in lucem editus, pro Hungariæ Regis filio educatus eſt. Is ex ephebis necdum exceſſerat, cùm immatura imperandi cupidine ſtimulatus, avum maternum dominatu ſpoliare conatus eſt: ſed vbi res ex animi ſententia minimè ſucceſſiſſet; ad Iacobum Aragonum Regem affinem ſuum (qui ſororem ſuam Hioleſiam, ſive Ardeuram haberet vxorem) contendit; vnde in Italiam reverſus, à Ravennatibus Vrbi præfectus eſt. Ar inde exactus (cauſſa neſcitur) Venetias ſe contulit, vbi Patricij cujuſdam ex Maurocenorum clariſſima familia prædivitis filiam duxit vxorem, è qua filium, quem Patris Regis nomine vocavit Andream, cognomento deinde Ve

Bonf. dec. 2. l. 9. à prin.

netam, quòd in ea & natus, & educatus vrbe fuisset, accepit. Is, vivente adhuc Ladislao, filio Stephani V. Rege, avunculis, cùm instigantibus, cùm opitulantibus, in Pannoniam venit, & post Ladislai interitum Rex salutatus, & inauguratus est. ex hoc prodijt Elisabetha nostri Ordinis Sanctimonialis. Porrò Belæ, Andreæ II. filio, Maria Theodori Lascaris Imperatoris Græcorum filia, inter cæteros, Stephanum V. Regem, Sanctissimamq; Virginem Margaritam filios dedit. Stephanus filios habuit Ladislaum IV. Regni successorem, Elisabetham nostri Ordinis Sanctimonialem, & Mariam, èqua Carolo Claudo Siciliæ Regi nupta, S. Ludovicus ex Seraphico Minorum Ordine Tolosanus Episcopus ortus est.

Igitur Sancta Virgo Margarita, & Elisabetha Stephani V. filia, secundo: Sancta Margarita, & Elisabetha Andreæ III. filia, tertio se consanguinitatis gradu contingunt, vt deducta lineatione facillimum est contueri.

Bela IV. Stipes		Andreas II. Stipes	
B. Margar.	Stephanus V.	Bela IV.	Stephanus
	Sór. Elisabetha.	B. Margar.	Andreas III.
			Sor Elisabet.

A Sancta Elisabetha Vidua, S. Margar. duobus, vtraque nostra Elisabetha tribus gradibus distat.

Andreas II. Stip.		Andreas II. Stip.		Andreas II. Stip.	
S. Elisab.	Bela IV.	S. Elisab.	Bela IV.	S. Elisab.	Steph.
	S. Marg.		Steph. V.		And. III.
			Sor. Elis.		Sor. Elis.

Ipse

Ipsæ duæ Elisabethæ nostri Ord. Sanctimoniales, tertio consanguinitatis gradu conveniunt.

Andreas II. Stipes

Bela IV.	Stephanus
Stephanus V.	Andreas III.
Sor. Elisabet.	Sor. Elisabetha.

Sancto Ludovico S. Virgo Marg. tertio; Sor. Elisabetha filia Stephani V. secundo; Soror Elisabetha filia Andreæ III. quarto gradu appropinquat.

Bela IV. Stipes.	Steph. V. Stip.	Andreas II. Stipes.
B. Marg. Steph. V.	Sor. Elis. Maria.	Bela IV. Step.
Mar. Reg. sic.	S. Ludov.	Steph. V. And. 3.
S. Ludov.		Maria Sor. Elis.
		S. Ludov.

S. Virgo Margarita & vtraque nostra Elisabetha, S. Isabellam tertio gradu contigunt.

Andreas II. Stipes.	Andreas II. Stipes.	And. II. Stipes.
Bela IV. Hiolesia.	Hioleſia. Bela.	Hiolel. Steph.
S. Mar. Petr. R. A.	Petr. R. A. Steph. V.	Petrus. And. 3.
S. Isabella.	S. Isabella. Sor. Elis.	S. Isabel. Sor. Eli.

Sancta Elisabetha S. Isabellæ, tertio; S. Ludovico gradu quarto jungitur.

Andreas II. Stipes.

S. Eliſabetha. Hioeleſia.
Petrus.
S. Iſabella.

Andreas II. Stipes.

S. Eliſabetha. Bela IV.
Stepanus V.
Maria.
S. Ludovicus.

Denique S. Ludovicus, & S. Iſabella quarto gradu conveniunt.

Andreas II. Stipes.

Hioeleſia
Petrus R. A.
Iſabella.

Bela IV.
Stephanus.
Maria R. S.
S. Ludovicus.



DE REBVS HVNGARICÆ PROVINCIÆ SACRI ORDINIS PRÆDICATORVM.

Pars Tertia, Liber Primus.

De Viris Ecclesiastica Dignitate præclaris.

CAPVT I.

Quantæ excellentiæ Pastores, & Rectores Ecclesiæ, quantumquè ex eis Religiosis Ordinibus ornamenti accedat.

Matt. 5.

Ecclesiasticæ Monarchiæ partes præcipuæ, Rectores sunt, atq; Pastores, eximijs talis terræ, & lucis mundi titulis à Christo Domino cõsecrati, quod libi tubercios à vitiorum tabe purgent, & præ verent. verũ cœlestium amore, cunctarum, virtutum præstantia divino palato sapidos reddant; usq; in tantis mortalis vitæ tenebris ad cœlestes sedes contendendas lumen clarissimum præferant. Tanta cum illos autho-

ritatis

ritatis firmitate donavit, ut ipsorum leges, atq; præcepta, haud secùs, quàm si à se lata essent, custodiri mandarit. Hos ad magistrorum, religiosas verò personas ad discipulorum seriem spectare, suis Patres sancti scriptis tradiderunt: adeoq; tanto plus honorandi, ac suspiciendi, quantò à Catholicis Religiosi omni honore, & observantia digni semper æstimati. Nec dubitari potest, quin multùm Ordinibus sacris gloriæ, atq; splendoris accedat, cùm ad Ecclesiæ fasces, & gubernacula, viri sanctitate, eruditioneque insignes ex eis assumuntur. est Religio, Prælatorum seminarium, Ecclesiæq; firmamentum, proinde eò laudabilior, quò plura, insignioraq; fulcra, & lumina in commune ejus bonum contulerit. Quòdsi familia quælibet ex suis hominibus ad eas dignitates promoris illustratur, nobilitaturq;, quidni honore, & splendore augescat Religio, in quam, tamquam in suam familiam, professionis jure translati sunt, qui ex ipsa ad easdem assumuntur? Iure itaq; optimo, qui religiosum statum laudandum, Religionumq; historias conscribendas susceperunt, viros, qui ad Ecclesiæ fasces ex eis evocati sunt, magnis semper præconijs celebrarunt. fecit id S. Severus Sulpitius, cum in laudem S. Martini, ejusq; Monasterij, plures Episcopos ex eo tradit fuisse delectos, ita, ut nulla esset Civitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio cuperet Sacerdotem. fecit S. Antoninus Archiepiscopus Florent. fecit Hieronymus Platus, vir doctus, & pius ex Soc. Iesu, opere de bono statu Religiosi præclaro: fecerunt alij. &, ut reliquos tileam, fecit vir gravissimus nostri Ord. Magister Fr. Dominicus Gravina, *Ordinum omnium Defensor*, in

Matt. 18. Luc. 10. Dion. eccl. Hier. c. 6. D. Tho. 22. q. 186. ar. 7.

Seve. Sul. in vita S. Martini. S. Anto. 3. p. hist. t. 23. c. 11. & tit. 24 c. 8. Hier. Plat.

de bono statu religios. Dom. Gravina.

voce primùm Turturis, ac ſecundò, dùm in Congemmata ejuſdem Turturis voce, contra Cauteatorem idem argumentũ validè propugnavit. Faciemus & nos hic, ut in hac etiam parte, Hungaricam Prædicatorum Provinciam de Eccleſia haud malè meritam oſtendamus.

CAPVT II.

Supremarum Dignitatum Eccleſiaſticarum diſtinctio.

PRæmittendum autem ducimus, in hac dignitatum ſerie S. R. E. Cardinales, poſt Eccleſiæ caput, quod eſt Papa, cœteris omnibus ejuſdem Eccleſiæ membris, ac partibus, ſuperiores exiſtere, ut Eugenius IV. ſum. Pontifex ad Henricum Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui litem ea ſuper re contra Joannem Cardinalem Tit. S. Balbinæ auſus fuerat intentare, data epiſtola, fuſè, & ſolidè nimis oſtendit. Ipſis namque jure competit vox cùm activa, cùm paſſiva in ſupremi Vrbis, & Orbis totius electione. His Eccleſiæ caput, velut aurea circumdatum corona, tamquam fideliſſimis Conſiliarijs, ac Senatoribus utitur, ad graviores Eccleſiæ cauſſas prudenter, ac ſolidè decernandas. Hinc nomine ducto à cardinibus, de quibus olim fuerat à Spiritu Sancto prædictum, *Domini ſunt Cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*, jure optimo nuncupati. Ad quod alludens Pius II. ſic eos compellebat, *Conſiliarij noſtri, Conjudices Orbis terræ, ſuper quos militantis Eccleſiæ oſtium volvendum eſt.* & Patres Baſilienſis Concilij, ſic de illis ajebant: *Cum Summo*

Extat epiſt. apud Bzovium anno 1439. n. 141. V. etiam Gravinam tom 4. p. 2. à fol. 338. apud Card. Palear. de Conſule. S. Conſil. pp. q. 5.

Pontifici S. R. E. Cardinales in dirigenda Christiana Rep. collaterales assistant, necesse est, ut tales instituantur, qui, sicut nomine, ita re ipsa Cardines sint, super quos ostia Vniversalis versentur, & sustententur Ecclesia. Illi, ait Pius V. *sunt Templi Dei bases, clarissima Ecclesiæ lumina, qui pro animabus populorum, pro Fide, pro Iustitia, pro Veritate pervigilant. Illorum proprium munus est,* inquit Sixtus V. *assistere Christi in terris Vicario, eiq; in regenda Ecclesia Catholica consilium, & operam assiduè præstare, atq; cum eo Ecclesiæ necessitatibus providere.* Cardinalitius ipse habitus, sanguineum referens colorem, omniaq; ejus insignia, nil aliud, quàm veluti symbola quædam, debitam ab eis fidem, religionem, justitiam, publicæq; rei zelum usquè ad ipsam sanguinis effusionem, commemorant. Quare summus Pontifex cum purpureum his galerum imponit, ait: *Ad laudem omnipotentis Dei, & S. Sedis Apostolicæ ornamentum, accipe galerum rubrum, insigne singulare dignitatis Cardinalatus, per quod designatur, quòd usq; ad mortem, & sanguinis effusionem inclusivè, pro exaltatione S. Fidei, pace, & quiete populi Christiani, augmento, & statu Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ, te intrepidum exhibere debeas.* Ex ipsis quidam Legati à Latere dicuntur, Cardinales, sc. illi, quos summus Pontifex ex Vrbe, & curia Romana mittit, sive ad certam Provinciam administrandam, sive ad negotia cum Regibus, Principibus, vel cum Republica aliqua tractanda. Qui, quòd quasi è Latere Pontificis, cui assistunt, mitti solent, sic appellantur. Post Cardinales, Primates, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi recensentur. Episcopi, qui Parochis unius, vel etiam plurium alicubi Civitatum: Archiepiscopi, qui plu-

ap. Pal. l. c.

ap. Pal. l. c. ex l. P. Cerem. sect. 8. c. 7. in fine.

V. Azor. 2. p. li. 5. c. 27.

V. Azor. p. 2. l. 3. c. 27. vsq; ad 37.

ribus Episcopis unius Provinciæ: Patriarchæ, qui pluribus Provincijs, & Archiepiscopis præficiuntur. Primates verò ijdem sunt, qui Patriarchæ: nam, qui Græcis Patriarchæ, Latinis *Primates* dicuntur. Vtu autem receptum est, ut, præter Romanum *Pontificem*, quatuor præcipuè *Patriarchæ* nominentur, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, Constantinopolitanus. Reperiebantur etiam Corepiscopi, quorum alij veram Episcopalem consecrationem acceperant, sed Corepiscopi dicebantur, quòd propriam aliquam Ecclesiam non habentes, in aliena diœcesi ministrarent, ut mos est hodie nonnullis Episcopis titularibus, qui Suffraganei vocantur: alij verò, cùm simplices essent *Presbyteri*, in villulis & oppidulis, Episcoporum loco curam gerentes animarum, Episcopos aliquomodo repræsentabant. Sed age, qui in hujusmodè dignitatibus Ordinem in Hungarico Regno, ex illove illustraverint, videamus.

Bell. de Clarieis c. 17.

CAPVT III.

Cardinales.

TRes fuerunt Legati de Latere Cardinales, non equidem ex Hungariæ Provincia assumpti, sed qui sanctitate, eruditione, rerumque agendarum præstantia ad stuporem insignes, pro Regno illo allaborantes, plurimum ei splendoris, & decoris attulerint. Ex his primus fuit, Beatus F. Nicolaus, Italus Tarvisinus, Cardinalis Ostiensis, (à quo Rom. Pontifex consecratur) qui ex IX. Generali totius nostri

Ordi-

Ordinis Magiſtro, à Bonifacio IIX. ad Cardinalatum promotus, ab eodem Pontifice pro rebus difficillimis componendis Legatus in Hungariam miſſus fuit anno Chriſti 1301. ex Annalium conditore res erat. *Cum Hungari, relicto Carolo Roberto, quem titulo ſucceſſionis paternæ Bonifacius Octavus Hungaris Regem deſtinabat, Regnum in Vladislaum filium Vencenlai Regis Bohemiæ, contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, Archiepiſcopo Colocenſe inaugurante contuliſſent, Bonifacius, quòd Regnum Hungariæ Sedis Apoſtolicæ fiduciarium eſſet, nec quiſquam invito Rom. Pontifice, illud uſurpare poſſet, tùm, quòd Carolo Roberto jure propinquitatis magiſquàm Vvenceslao, aut Vladislao competeret, tùm, quòd Archiepiſcopo Strigonienſi, non Colocenſi poteſtas indicendi comitia, renunciandiq;, atq; inaugurandi Regem Hungariæ a Sede Apoſtolica collata eſſet, tùm quòd rebus orientalibus ſive recuperandis ſive defendendis potiùs Caroli ſucceſſio, quàm Bohemi alicujus electio conferre videretur, Vvenceslaum Regem datis litteris admonuit, vt ea, quæ in præjudicium Sedis Apoſtolicæ in coronando filio admiſerat, corrigeret, Vladislaum ex Hungaria in Bohemiam revocaret, bellis, & cædibus per diſcordiam procerum exortis ne materiam ſubminiſtraret, quin potiùs & auferret, & anteverteret, & prohiberet, & coer Et vt eò potentiùs rem Caroli in Hungaria perurgeret, Bonifacius Papa, alterum ab Vrbe Legatum miſit Cardinalem Oſtienſem F. Nicolaum Tarviſinum Ordinis Prædicatorum, vt Hungaros Carolum pertinaciùs recuſantes anathematis ſeveritate corriperet, Eccleſiaſtica cenſura percelleret, animadverteretq; in gentis aſperitatem, & pertinaciam, niſi pontificio obſequerentur imperio. Legatus, Budam profectus, nihil aliud*

per dies aliquot diligentiſſimè curavit, quàm Antiſtitum, & Optimatum diſſidentes animos ad concordiam revocare; quos ita diſcordes offenderat, ut rem continuò deſperaret. Multi, & ſi ſe Carolo infeſtos diſſimulabant, & Pontificis mandata obſervaturos pollicebantur, tamen re acerrimos adverſarios ſe præſtabant. Tam varias hominum mentes mirabatur Legatus, ex quibus tandem quid intra ſe ſentirent, nunquã intelligere poterat, quoq; magis eorum animos percontabatur, eò plus verborum ſibi dari noverat. Suam demùm operam fruſtratus, non priùs abire voluit, quàm Budenſibus templis, & ſacris omnibus totius Rogni, opera, & auctoritate ſua, fuiſſet interdictum. Ea occaſione VVenceslao Bohemiæ Regi perſuaſerat, ut academicum litterarum ſtudium Pragæ inſtitueret, ſed maiore procerum numero reclamante, res tùnc effectum non habuit. Sic Abraham Bzovius. Novum etiam Chorum Fratrum Prædicatorum Viennenſium eodem tempore, ſive eundo, ſive redeundo, Nicolaus conſecravit. Eccleſia enim jam anno 1237. ab Eberardo Archiepiſcopo Salisburgenſe fuerat conſecrata. Quod grati animi ergò in S. Mariæ Rotundæ Viennenſe Cœnobium, in quo jam ſeptennium ſtudij Generalis indignum Regentem, ſacræque Th. Profeſſ. in ejuſdem verò Vrbis celeberrima Academia, quadriennium S. Scripturæ Interpretem, cùm ab alijs noſtri Ordinis Doctoribus ſubſtitutus, tùm Profeſſor Ordinarius, egi, per tranſennam narratum. Romam reverſus Nicolaus, eidem Bonifacio ſucceſſit in Pontificatu anno Chriſti 1303. Benedictus XI. nominatus. In Pontificatu plurima Eccleſiæ utiliſſima conſtituit, & cùm majora ſperarentur, ſedilletquè menſes octo, dies

Sbarrey rol. per gamenum Con. Vienn: et alia ejuſdem Con. monũ.

Septem-

ſeptemdecim, nonis Julij 1304. veneno ficubus illito, ex hac mortalitate ſublatus, ad regna ſuperna commigravit. Fulſit poſt mortem plurimis, inſignibuſq; miraculis, quæ à vitæ illius vniverſis ſcriptoribus fuſè percenſentur. Extat inſigne volumen Commentariorum ejus in Matthæi Caput V. ante annos aliquot luci mandatum.

Secundus fuit Beatus Fr. Ioannes Dominici, Italus Florentinus, Archiepiſcopus Raguſinus, vir potens in opere & ſermone, pectoriſq; Apoſtolici, qui à Gregorio XII. ad Cardineam eminentiam evectus, ab ipſo Legatus à Latere miſſus eſt in Hungariam ad Sigiſmundum Regem, ut apparet ex litteris ab ipſo Cardinale Budæ datis, anno 3. Pont. ejuſdem Greg. hoc eſt anno Chriſti 1409. quas in vita S. Margaritæ deſcripſimus. Deinde Gregorio in Concilio Conſtantienſi per ſuum Legatum ipſum Ioannem Dominici Pontificatui renunciante, cum idem ipſe ſtatim à ſe Cardinalatum abdicans, in Epiſcoporum locũ deſcendiſſet, Concilio jubente, Sigiſmundo demùm Imperatore, tunc verò Hungariæ & Romanorum Rege applaudente, in eadem dignitate confirmatus, plurimis maximisq; laboribus pro Catholica Eccleſia glorioſè perfunctus; poſt Concilium, à Martino V. Sum. Pontifice, rogante Sigiſmundo, in Hungariam ad impias Huſſitarum hæreſes, quæ in Regno illo graſſabantur, extirpandas, ab eisq; excitatos tumultus compeſcendos, fuit ſecundò deſtinatus. Tanta enim erat illi apud Sigiſmumdum auctoritas, fides, devotioq;, ut eum ſuis omnibus conſilijs admitteret, arcta & intima cum eo familiaritate ſuſcepta: & quo majore ſibi eum nexu copularet, ad id muneris Lega-

tum

tum postulavit, impetravit, & in Hungariam ipse perduxit. Quò cum perveniſſet, invenit hæresim tantopere confirmatam, multorum Principum, & Procerum favoribus roboratam, ut nec adhortationibus, nec optimis virtutum exemplis, non solertiſſimis disputationibus, nec Ecclesiæ interminationibus, à concepta jam pridem pertinacia moverentur. Apparebat igitur Viro Sancto, eos non nisi armis, violentia, & supplicijs, ad fidei veritatem esse reversuros. Verùm Sigismundus eorum magis corpora, quàm animas diligens, cum posset parva manu pertinaces extinguere, (nam vis solùm in capitibus erat) maluit eos hæreticos vivere, quàm fideles omnes paucorum morte salvare. Dicebat autem, non leviter ad arma veniendum, mortuos homines ulteriùs converti non posse. Quamdiù verò vixerint, tempore quandoq; in melius commutari. Cui Cardinalis. *Tu quidem, ô invictiſſime Rex, innata bonitate ductus, adversus hos pestilentiſſimos viros nequaquam armis decertandum putas, credisq; eos bonis verbis ad veritatis viam reducere: ego verò prædico tibi, me hos homines talibus conjecturis hoc tempore cognovisse, ut sperare non possim, eos nisi in peiora, & perniciſiora ruituros. Tu igitur eo loco, & tempore adhibere remedia tentabis, cùm majorem in modum roboratis, facere idipsum non possis. Melius fuerat, cum adhuc res ipsa recentior esset, cum nondum tantos pestis invasit, eorum perfidiam armis opprimere, quàm in illud differre tempus, in quo plurimi fidei quam magna pericula sint incursari. Talis enim hæc pestis est, ut sensim latius invadat, nec bonis possit verbis adhortari ad meliora, & saniora converti.* His allocutus Cardinalis Imperatorem, ubi se nihil

V. Joannem Carolum apud Lea. l. 3. fol. 81. Concerrat Præd. anno 1418.

vidit

vidit proficere, plurimùm pro illorum populorum perdi-
ſione indolens, Budam Regni metropolim ſe recepit, ubi,
quaſi jam animo præſagiret, ocyus ſibi vitæ terminum af-
futurum, vigilijs, precibus, jejunijs, rebusq; divinis vehe-
mentiùs incumbens, demiq; Sacramentis Eccleſiæ robo-
ratus, ad immortalitatem migravit anno Chriſti 1418.
Ad cujus tumulum multa prodigia fieri ſolita, imagines
ibi plurimæ repoſitæ ante Hungaricam vaſtationem, te-
ſtabantur,

Tertius fuit F. Thomas de Vio, Jtalus Cajetanus, pri-
ùs Ordinis Prædicatorum Gen. Magiſter 38. ac poſtea Car-
dinalis S. Sixti, ingeniorum Phœnix, & omnium ſui tem-
poris Philoſophorum, ac Theologorum nulli ſecundus.
Jn collegium Cardinalium à Leone X. Pontifice coopta-
tus, mòx in Germaniam cum Legationis munere miſſus
ad compeſcendos prophanos rumores, quos Martinus
Lutherus, novus hæreſiarcha, apud Germanos excitave-
rat. Jnde verò reverſus, iterùm ab Hadriano Pontifice
maximo, anno 1523. Legatus in Hungariam mittitur, cũ
ingenti pecuniarum vi, ad comparandas copias adverſus
Solymannum Turcarum Jmperatorem, Hungariam infe-
ſtis armis invadere molientem, Ludovico II. Regi opti-
mo à Sede Apoſtolica flagitanti ſubſidium, eroganda. Jta-
que in Hungariam profectus, ſumma omnium, Regis in-
primis, lætitia exceptus, ita illorum animos authoritate,
conſilio, eruditione, opera confirmavit, ut non ſolùm
qua ratione reſiſterent, ſed & de bello ultrò hoſtibus in-
ferendo cogitarent. Jllud etiam fideliter, & fortiter præ-
ſtitit Cajetanus, quòd cùm ea, quam afferebat, pecunia,

Agit etiam de Legatione hac Rhuẽffi de r. b. Hung. li. 1. ad fi. V. Flavium Aquilannum in vita Th. Caiet. Plod. de vir. ill. p. p. l. 4. col. 585.

ita demùm diſtribuenda eſſet, ſi expeditio aliqua memoranda ab Hungaris in Turcam pararetur, eam ille nullo modo aliter atq; ex præſcripto erogare ſuſtinuit, tametſi nonnulli Proceres Hungari, magnis & conuitijs, & minis, ut pro eorum potiùs arbitratu erogaretur (qui ſe neceſſitates ſuas magis, quàm quivis externus, noſſe ſe dicerent) urgebant. Et quouſque ſanè ille in Hungaria permanſit, feliciter ac proſperè cum illa univerſa peracta. Sed brevi tempore Adriani morte ſubſecuta, à Clemente VII. qui eum meritò plurimùm diligebat, plurimiq; faciebat, inde revocatus, Romam rediit, ubi capta incenſaq; Vrbe à Cæſariano exercitu, perditiſſimorum latronum præda factus, quinque millium aureorum pretio, ab eorum manibus ſe redemit. Deniq; cum Clemens in graviſſimam, & à Medicis deploratam ægritudinem incidiſſet, ipſe quoquè graviſſimè ægrotare cœpit (quaſi ſe imminenti Pontificatus onere ſurripere vellet, ad quod communi omnium expectatione, votisq; vocabatur) morteq; ſua, Pontificis mortem prævenit, fœlicem animam Deo reddens 4. Idus Auguſti, ætatis ſuæ anno 66. à Chriſto verò nato, 1534. ſepultusq; eſt Romæ in veſtibulo templi Minervæ, pro foribus, in ſepulchro humi effoſſo, quod vivens ſibi paraverat. Egregias commentationes edidit in Hungaria, de quibus poſtmodum inter Doctores ſermo recurret.

Cæterùm ex ipſa Hungaria Provincia Cardinalis fuit Fr. Joannes Stoicus, Raguſinus, Doctor inſignis, & in Baſilienſi Concilio contra Boemorum errores de communione ſub utraque ſpecie diſputator acerrimus, glorioſuſq;

ſusq; triumphator; de quo inter Doctores uberiùs. Is ab eodem Concilio, non ſolùm Legationem ad Joannem Paleologum, Græcorum Imperatorem Conſtantinopoli exiſtentem habuit, ſed etiam Cardinalis creatus eſt. Teſtatur hoc narratio Concilio Baſilienſi ex Marco Ortuino Gratio, in Biniana editione præfixa, in qua dicitur. *Cardinalis Iulianus eò loci, id eſt, Baſileam, præmiſit Ioannem Potomarium, Pontificij Iuris Doctorem, Sacriq; Palatij Auditorem: & Ioannem de Raguſio, Theol. Profeſſorem, Ordinis Prædicatorum tùm Procuratorem Generalem, qui poſtea Argenſis Epiſcopus factus, etiam in Cardinalium numerum meruit recipi, titulum S. Sixti indeptus.* Teſtatur quin etiam planè S. Antoninus de actis illius Concilij ediſſerens. Quòd verò is ſyllabo Cardinalium noſtri Ordinis minimè accenſeatur, (unde quibuſdam recentioribus, rerum noſtrarum ſcriptoribus haud ignobilibus, circa hujus rei hiſtoriam dubitatio ſuborta eſt) factum, quòd ejuſdem Concilij acta, ab Eugenio IV. Sum. Pontifice, à cujus obedientia ſe ſubtraxerat, meritò fuerint abrogata. Dignus alioquin profectò ea dignitate Joannes, ut etiam Nicolaus Fudeſcus, Siculus, Abbas Panormitanus, ex Ord. S. Benedicti, juris eruditione clariſſimus, ab eodem Concilio ad Cardinalatum evectus. Refert Joannes Michael Plodius, legiſſe ſe apud nonnullos authores, eundem Joannem cujuſdam Eccleſiæ *Patriarcham* extiteſſe.

Meminit etiamejus legationis Ioannes Segoviensis præfat. ad partes indeclinabiles Concordan. Bibliorum, et Bzov. ſuſè anno 1435. à n. 28. V. Pla. 2. p. li. 3. col. 18.

Plod. lo. c. col. 17.

CA-

CAPVT IV.

Archiepiscopi.

IVxta annorum seriem Archiepiscopos, Episcoposq; recensibimus, sive ij Hungari, vel ex Hungariæ Regno, ibidem alibiue præfuerint, sive exteri Ecclesias ejusdem coronæ intra nostri Ord. Provinciam Hungaricam administraverint. Vsi verò sumus, ut plurimùm, S. Theol. Magistrorum, Fr. Antonij Senensis, Fr. Joannis Michaelis Plodij, atq; P. F. Alphonsi Fernandij opera, ita ut nostra annorum supputatio illorum supputationi fermè respondeat: proinde ab auctoribus percensendis, nisi quid peculiariùs occurrerit, supersedebimus.

Ant. Senen. in Chronico. Plo. p. 2. de Vir. Illust. verbo Archiepis. Episcopi. Fernandez in appendice. Concertat. Prædicat.

Itaque primò omnium offert se Fr. Andreas Hungarus, magna religione, doctrina, & prudentia vir, qui à Rege Hungariæ Burdegalam in Gallias ad Clementem V. missus, ut canonizationem Sanctissimæ Virginis Margaritæ, filiæ Belæ IV. promoveret, ab eodem Summo Pontifice Archiepiscopus Antiliarensis, sive, ut ait S. Antoninus, Ancoliarensis, circa annum Christi 1306. creatus est. Is, ubi commissum sibi gregem exemplo, & eruditione pavisset, regendi defessus, Præsulatu cedens, inq; Ordinem se recipiens, piè diem clausit extremum. Plodius scribit, missum Burdegalas à Rege Galliæ, sed verius censeo cum Leandro, missum à Rege Hungariæ, ut etiam monui in gestis S. Margaritæ, quo itidem loco, à quo Hungariæ Rege missus, dictum copiosè.

Fr. Alexander, *Plodio* Hungarus, Fernandio Croata, vir varijs, maximisq; dotibus insignis, Archiepiscopatum Cretensem in Græcia administrabat, An. Ch. 1327.

Fr. Nicolaus Sezzensis, ex Romana *Provincia*, cunctis virtutibus, quas in optimo *Præsule* requirere possis, præclarè excultus, Vrbis Zaræ, quæ Dalmatiæ caput est, Archiepiscopus fuit, ad annum Christi 1345.

Fr. Andreas à Dyrrhachio, Theologus præstantissimus, ad Ragusinam sedem à Bonifacio IX. sive, ut alij sentiunt, ab Vrbano VI. anno Christi 1389. evectus, cum annos 4. illi Ecclesiæ præfuisset, ex hac luce decessit, anno 1393. in D. Dominici æde sepultus.

Fr. Nicolaus de Ovis, Jtalus Forocornelienſis, susceptо *Prædicatorũ* habitu, magnos in pietate, & theologicis studijs progressus fecit: annoq; 1393. præcitato Fr. Andreæ, in Metropolitanæ Ragusinæ Ecclesiæ præfectura successit: quam cùm annos undecim, piè, & sanctè rexisset, multò antea die obitus sui prænunciata, non sine sanctitatis opinione spiritũ Deo reddidit anno Christi 1406. conditusque est in Ecclesia Ordinis ejusdem civitatis.

Fr. Joannes Dominici, natus Florentiæ, adolescens habitum Sac. Religionis induit: & post multa virtutum insignia, eidem Ragusinæ Ecclesiæ à Gregorio XII. anno 1406. omninò invitus præficitur, qui humilitatis ergò quantum potuit, renuit consecrari.

Fr. Michel, Jtalus Murianensis, Magister in S. Th. sapientissimus, Metropolitanæ Spalatensis in Dalmatia Ecclesiæ Archiepiscopatum tenebat sub annum Christi 1451.

CA-

CAPVT V.

Episcopi.

FR. Joannes Teutonicus VVildvensensis, sive VVildeshemensis, latinè, græcè, germanicè, hungaricè eruditus, Juris Cæsarei, Pontificiique Doctor, Papæ Capellanus, & Pœnitentiarius, adulta jam ætate habitum Ordinis suscepit, ac deinde ex Provinciali Hungariæ Episcopus Bosnensis, quamquàm repugnans, à Gregorio IX. factus, Ecclesiam illam cunctarum virtutum exemplo per tempus aliquod administravit. Magnis deindè precibus, vt Episcopatui renuncians Ordini restitueretur, ab eodem Pontifice obtinuit: cumq; quietè, sibique tantùm sollicitus vivere cuperet, invitus, multùmque reluctans totius Ordinis Præfecturam mirè compulsus, in ea lanctè in Domino obdormivit. Fuisse illum primùm ex Ordine nostro Episcopum, qui ad eam dignitatem anno Christi 1228. assumptus fuerit, censuerunt nonnulli. Quod si verùm esset, etiam illud laudis Hungaricæ Provinciæ accederet, quòd omnium prima, virum adeò præstantem, & sanctum, ad Ecclesiæ gubernacula dedisset. Cæterùm nec anno Christi 1228. Joannes, Bosnensis, cùm ab eo tempore non nisi post decennium circiter Bosnensis Episcopatus erectus fuerit: nec primus ex Ordine esse potuit Episcopus, cùm Thomas Maluenda, in perscrutanda antiquitate, solertia, & ingenio plurimum valens, tradat, primùm ex Ordine nostro assumptum Episcopum, fuisse Fr. Ray-

Malu. anno. 1231. n. 2. in fine.

mun-

Raymundum de Falgario, olim Beatiſſ: P. Dominici ſocium, qui Fulconi, viro celeberrimo, magnoq; Ordinis patrono, ſucceſſit in Epiſcopatu Toloſano, anno Chriſti 1231. vixitquè in eo ad annum uſquè 1270. Crediderim tamen indubiè, Joannem primùm fuiſſe Boſnenſium Epiſcopum, quod nedum Joannis Tomco, Boſnenſis Epiſcopi, qui id mihi expreſsè aſſeveravit, teſtimonio, ſed ea etiam ratione comprobatur, quòd Boſnenſis Epiſcopatus ſub annum 1238. primùm fuerit inſtitutus, vt ex Gregorij IX. literis eo ipſè anno datis Priori, & Fratribus Ord. Præd. diœceſis Quinq; eccleſienſis, quibus mandabat, vt in ædificatione Cathedralis Eccleſiæ Boſnenſis, & in propagatione, atq; defenſione Fidei Catholicæ, Eccleſiæ Epiſcopali Boſnenſi aſſiſterent, liquidò conſtat: cùm enim Joannes, triennio ab erecto epiſcopatu illo, anno nimirum 1241. electus fuerit (factus poſt ceſſionem Epiſcopatus Provincialis Lombardiæ) Magiſter Gen. Ord. Præd. non videtur alius priùs illi ſedi præfuiſſe. Facilè in ſcriptoribus nonnullis pro 1238. numerus 1228. irrepſit. Biennium plùs minùs Epiſcopatum adminiſtravit.

Georg. 9. epiſt. 211. apud Bzov. anno 1238. n. 4

F. Nicolaus Hungarus, Inquiſitor Hæreticæ pravitatis, ac deinde cujuſdam Hungariæ Eccleſiæ Epiſcopus, ad cælos per martyrium, quo ei vivo, ob Fidei catholicæ defenſionem, & propagationem, pellis, inſtar S. Bartholomæi, detracta fuit, feliciter evolavit.

Fr. Joannes Hungarus, cùm etiam S. Inquiſitionis officio præfuiſſet, ad Epiſcopatum evectus, non ita multò poſt eadem ex cauſſa, quòd Sanctam Catholicam Fidem prædicans longè lateq; diffunderet, ab hæreticis ſub-

ditis

dictis ſuis, lapidibus appetitus, & poſt mortem ſæviſſimè trucidatus eſt. De tempore mortis veriuſq; martyris omninò non conſtat. Plodius, Fernandiuſq; eam in annum Chriſti 1230. referunt. Quibus tamen obſtat, quòd ex Maluenda jam diximus, primùm Ordinis Epiſcopum fuiſſe renunciatum anno 1231. quodquè vulgò dicitur, Protomartyrem Ordinis fuiſſe Fr. Magiſtrum Conradum Marpurgenſem, quòd non ſimpliciter, ſed in ſerie Inquiſitorum accipiendum eſſe, idem Plodius meritò adnotavit: id namquè veritate nutaret, ſi jam Hungari noſtri F. Nicolaus, & Fr. Joannes, martyrio anno 1230. obijſſent, cùm certùm ſit, F. Conradum non niſi anno 1233. pro fidè occiſum fuiſſe; niſi fortè dicas noſtros Hungaros, factos Epiſcopos, Inquiſitores eſſe deſijſſe. Malpeus, recentiſſimus author, meminit ipſorum in Palma fidei ad annum 1241. vbi etiam ſcribit, aliquos tradere, Fr. Joannem anno 1250. Fr. Nicolaum anno 1270. ex hac luce ſubtractos. Verùm, quicquid ſit de tempore, de re ipſa dubitari non poteſt, cùm ejus, vna ſententia, ſcriptores memorent vniverſi; è quibus author indiculi virorum illuſtrium Ord. noſtri, poſt librum Privilegiorum, opera Fr. Stephani Vſusmaris Generalis M. Or. Romæ anno Chriſti 1555. editum, ſic refert.

V. pro hac Chronologia Ant. Sen. in Chron. p. 99. et 135.

Fr. Nicolaus, & Fr. Ioannes, vterque Hungarus, vterque Epiſcopus, & Inquiſitor, vterq; ab hæreticis interfectus, ille quidem decoriatus, iſte verò lapidibus obrutus, & enſe tranſixus.

Fernãd. p. 474.

Fr. Paulus, Epiſcopus in Hungaria anno Chriſti 1240. vt ijſdem omninò verbis ſcribit Fernandez in Con-

certatione

certatione *Prædicatoria*: nec plura hactenùs de eo scire licuit.

Fr. Herbordus, sive Riboldus, Hungarus, *Provinciæ* Lombardiæ, & Conventus S. Stephani Bergomensis, antequàm pro extruenda arce, à Sforcia Pallavicino, anno Christi 1561. dirueretur, sanè celeberrimi, filius; quem Alexander IV. ejusdem Vrbis Episcopum, anno 1261. propter eximias illius virtutes, creavit. Erat enim Pater pauperum, bonorum omnium amans, prudentia, & eruditione excellens, zeloq; Dei plenus. Statim atque Ecclesiæ regimen suscepit, curam, & Ecclesiam S. Jacobi de Porta, Ecclesiæ S. Stephani sui Ordinis adjunxit. Totis viribus laboravit, vt in ea Vrbe *Consortium misericordiæ*, ad pauperum inopiam sublevandam, erigeretur, Fratrum suorum *Prædicatorum*, atque Minorum consilio, & opera potissimùm vsus; ac demiquè de Canonicorum Capituli Bergomensis assensu, anno 4. sui *Pontificatus*, opus planè dignissimum ad exitum perduxit, eamq; regulam, seu viuendi normam, quam Sanctus F. *Pianamon*, primus Beatillum *P.* Dominici in ea Vrbe Socius, & Conventus S. Stephani fundator, eodem Episcopo demandante, conscripserat pro eodem Consortio, approbavit, confirmavitquè. Manet in hodiernum vsq; diem Consortium cùm annuo plusquam quatuor millium aureorum proventu; è quibus in S. Mariæ Majoris templo supra quinquaginta Sacra celebrantur: Clerici quinquaginta cùm Magistris pro humanoribus, & cantu ecclesiastico, ad inserviendum eidem templo, sustentantur: Virgines complures in matrimonium honestè collocantur, non

Plodinus P. 2. lib. p. col. 53. & 54. & in Prog. S. Dom. l. 2. c. 8.

exiguuſq; egenorum numerus ſublevatur. Tantum boni (præter alia) Vrbs Bergomenſis debet huic ſuo digniſſimo *Præſuli*, qui anno XI. ſui *Pontif.* Chriſti 1272. plenus bonis operibus, coronam juſtitiæ recepturus, evolavit in cælum. Corpus eius in Cathedrali æde S. Alexandri, quæ anno 1561. deſtructa eſt, conditum fuit.

Con. cert. f. 474.

Fr. Andreas Hungarus, Epiſcopus Boſnenſis anno Chriſti 1280. apud Fernandium loco jam præcitato.

Fr. Auguſtinus Hungarus, à Benedicto XI. Su. *Pontifice* Eccleſiæ Zagrabienſi in Croatia anno Chriſti 1302. vel 1303. præficitur. Temporis vero tractu, ad Eccleſiam Lucerinam in Appulia à Joanne XXII. tranſfertur. Moritur anno 1332. ſanctitate, & miraculis clarus.

Fr. Petrus Hungarus, homo prudens & gravis; atq; propter ſummam eruditionem in litteris, & concentu, ſuo tempore celebris, magnoſque Cardinali *Fr.* Nicolao Pratenſi ex noſtro Ordine, apud quem diù vixit, gratiſſimus, Boſnenſem Eccleſiam regebat anno Chriſti 1315.

Fr. Benedictus Hungarus, Epiſcopus in Tranſylvania à *Fr.* Gentili Montis Flori Minorita, Cardinali, & Apoſtolico in Hungaria delatere Legato, creatus eſt ſub annum Chriſti 1309. tametſi quidam Boſnenſem Epiſcopum faciant. fuiſſe vitæ quàm integerrimæ, eximiæque eruditionis, proditur.

Fr. Joannis à Dyrrhachio, vir magnæ honeſtate, & famæ, cujuſdam Eccleſiæ in Dalmatia fuit Epiſcopus ad annum Chriſti 1307. Is cùm diù gregi ſuo attendiſſet, novam Ordinis reformationem in Cœnobio S. Dominici Veneto fœlicibus auſpicijs incohatam audiens, Epiſco-

patui

patui renuncians, illò se contulit, vbi reliquo vitæ tempore, magna cùm religiosissimis illis Patribus austeritate transacta, foelicitèr ad Christum perrexit.

Fr. Jacobus Ragusinus, Episcopus Tribunensis, & Mercanen. in Illyrico anno, Christi 1413.

Fr. Joannes Stoicus, Ragusinus, quem Argensem, alij Argentinensem Episcopum fuisse scribunt. Plura de eo inter Cardinales, atq; Doctores.

Fr. Bartholomæus Italus Bononiensis, morum integritate, solidaq; eruditione præcipuus, Signiensem Ecclesiam in Dalmatia multo tempore sanctè administravit. Vivebat anno Christi 1450.

Fr. Blasius Constantinus, Ragusinus, vir doctrina præclarus, & in generali studio Bononiensi quondam Regens, ad Ragusini Senatus instantiam factus est Episcopus Tribunensis. Illud de illo memoratur, cum ab eodem Senatu ei Abbatia in Melidensi Insula ea oblata fuisset conditione, vt sui Ordinis habitu dimisso, nigrum S. Benedicti, sub quo illius Abbatiæ Religiosi militabant, assumeret, ea super re deliberandi tempus accepisse: vbi verò se quieti dedisset, apparuisse illi Beatiss. Patriarcham Dominicum, qui acriter ipsum reprehendens, quòd de sui Ordinis habitu, quem diù magna cùm gloria gestasset, jam dimittendo tractaret; humeros etiam ipsius, (quos denudare jussit, vt moris est, cum Superiores Ordinis, pro morbis coercendis, suis manibus subditis disciplinam infligunt) flagello, quòd gestabat, adeò acriter verberaverit, vt mane consurgens, præter vehementem dolorem, etiam verberum loca livida, & nigra sui smet oculis aspe-

ctaret. Quare Abbatia recuſata, Sanctiſſimum Ordinis ſui habitum, etiam in ipſo Epiſcopatu, ad mortem vſque retinuit, ad quam perveniens, efflictim petijt, vt ſub fratrum pedibus ſepulturam haberet, quod obtinuit. Vivebat anno Chriſti 1465.

Fr. Blaſius, alterà ſuperiori, qui ei in Tribunenſi ſede, teſte Fernandio, ſucceſſit, anno Chriſti 1480.

Fernãd Concert. p. 415.

Fr. Antonius Dalmata Iadrenſis, doctrina, & religione egregius, cùm Budæ Vicarius Prouincialis, Matthiæ Corvini Regis Hung. Capellan. & Beatricis Reginæ, ejus conjugis, Confeſſ: exiſteret, ad Epiſcopatum Modruſienſem, procurante Rege, electus eſt anno Chriſti 1481. ut ex Petri Nigri epiſtola ad eundem Regem dedicatoria Clypei Thomiſtarum editi anno 1481. videre eſt. ei poſtea M. Gen. Fr. Joachimus Turrianus, duos apud ſe Ordinis Fratres, clericum, & converſum habendi facultatem fecit anno 1482. ut in ejuſdem Magiſtri regiſtris apparet.

Fr. Thomas Batka, Hungarus, ab Alexandro VI. Sum. Pont. in Moldavia Epiſcopale onus ſuſcepit, ut ejuſdem Magiſtri Generalis regiſtra demonſtrant, in quibus an. Chriſti 1497. authoritas etiam illi dabatur, bonorum aliquorum, quæ Ordini Comitiſſa quædam ademerat, reſtitutionem procurandi.

Fr. Ioannes Hungarus Claudiopolitanus, ſive Colusvarienſis, virtute, & doctrina inſignis, à Pio IV. Summo Pontifice Epiſcopus Chanadienſis creatus eſt. Interfuit Tridentino Concilio, in quo etiam diem extremum clauſit anno Chriſti 1562. 24. Novembris, ut index Prælatorum ad idem Concilium oſtendit.

Haud

Haudquaquàm negaverim, benevole Lector, alios etiam in eodem Regno, aut ex ipso alibi Pontificia cura, & sollicitudine Ecclesiæ deseruisse; qui tamen per quamcunq; nostram diligentiam certò reperiri potuerunt, hic repositi sunt. In Catalogo Episcoporum Ecclesiæ Nitriensis, qui tomo tertio Decretorum Regni ejusdem annectitur, sedecimo loco *Frater Dominicus primus, qui fuit Pœnitentiarius Papæ*, & à 1379. usque ad 1390. Christi annum ei præsedit, recensetur. Quem, ut ex fratris nuncupatione indubiè religiosum agnosco, ex Dominici nomine non improbabiliter Dominicanum existimo, omninò tamen affirmare non ausim. Nec ambigas propter quædam loca jam recensita, nam omnes etiam Croatiæ, Dalmatiæ, Illyriciq; Conventus usque ad annum Christi 1486. (ut alio etiam loco dicemus) ad unam Hungariæ Provinciam attinebant.

Tom. 3. decr. Regni Hung. p. 616.

V. D. Ant. 2. p. t. 23. c. 13. §. 3. Plod. t. 5 vir Ill in princ. annot. 2.

Sed erit fortasse, qui inter Episcopos accensendum putet *Fr.* Andream Hungarum, insigni probitate virum, qui Carolum Regem, in bellum contra Bazaradum, Valachiæ Ducem, comitatus, re infœliciter gesta, Rege, ac toto exercitu fuso, ab hostis milite, cum sociis clavis confossus est: de quo Bonfinius ita scribit. *Incredibilis ibi legionum facta jactura, ingens patrata strages. Hic Andreas Albæ Basilicæ Antistes eximius, qui Regi serviebat ab epistolis, & Michael Posganus, ac Nicolaus Albæ Transylvaniæ Sacerdos: item Andreas Sarubensis ædis Antistes, è Sacro Dominici Collegio editus, singulari quadam probitate pollens, cum sociis plerisq;, defixis in capite clavis, cum in hostis potestatem venissent, omnes crudeli morte expirarunt.*

Bonif. Dec. 2. l. 9. an. 1332.

At verò, quòd Andreas Bontinio dicatùr Sarubensis Antistes, Episcopum illum fuisse, minimè comprobatur; cùm nullus sub totius Vngarici Imperij corona sit, fueritvè vmquā Sarubensis Episcopatus, & Antistitis, nuncupatio latiùs pareat, quàm Episcopi. Turocius de eadem re tractans, Andream nostrum Sarubensis Ecclesiæ Plebanum, & (si rectè memini) Andream alium, Albæ Præpositum appellabat.

CAPVT VI.

Episcopi, Nuncij & Inquisitores Pontificij, Regumque Legati.

NOn defuerunt etiam ex Ordine nostro Episcopi, qui à summo Pontifice, atque Regibus pro variis gravibusq; causis in Hungariam missi fuere. Ex ijs à me reperti sunt infrà scripti.

Fr. Bartholomæus Lapacius, *Florentinus*, Episcopus Coronensis, græcè, & latinè egregiè doctus, magnusque Theologus, (qui in *Florent.* Concilio strenuam adversus Græcos operam navavit, Marcumq;, Ephesium Episcopum, acerrimum disputatorem, in ipso Concilio per Ioannem à Latinis ex Ord. nostro triumphatum, nec tamen resipiscentem, publica Constantinopoli disputatione adeò convicit, vt præ confusionis tristitia gravitèr infirmatus, brevi animam egerit) pro munere Inquisitionis Sancti officij in Hungariam mittitur ab Eugenio IV.

Pontf. anno Christi 1430. ut alibi, cum de Inquisitoribus sermo fuerit, dicetur.

Fr. Paulus Ligur Monelensis, & theologicæ facultatis eruditione, & vitæ regularis observatione clarissimus, post pleraquè munera, atque officia, & inter ea Lombardiæ Provincialatum egregiè administrata, ab Innocentio VIII. Pont. ad sacri Palatij Magisterium evectus, doctrina, & religione ita resplenduit, vt Alexander VI. Innocentij successor, primùm Episcopatum Chiensem in Græcia ei detulerit, deinde Nuncium suum, sive Legatum in Hungariam destinaverit. Qui etiam Budæ mortalitati devotissimè concessit, æterna sui nominis memoria relicta, quòd tota sacra Biblia commentarijs illustraverit.

Fr. Petrus Ranzanus, Siculus Panormitanus, Episcopusquè Lucerinus, poesi, arte oratoria, historiæ peritia, & theologica doctrina præstantissimus. Illum, ob celebrem ejus famam, Ferdinandus Rex, Neapoli accersitum, filio suo præceptorem esse jussit, deinde ad Matthiam Corvinum Hungariæ Regem ei etiam legationem dedit, quæ ille munus triennium obivit. Meminit huius legationis Bonfinius, cùm scribit. *Multi ex universo orbe ad Matthiam Oratores confluxere, cousq; nomen ejus exciverat, vt universus eum orbis veneraretur, & timeret, & non solùm Christiani Principes, verùm etiam prophani, huc missis è remotissimis partibus Oratoribus, instarent, & amicitiam anhelarent. Superiori anno*, sc. 1486. *Petrus Siculus*, ad marginem, Ranzanus, *Episcopus Lucerinus, Historicus, & Orator optimus, à Ferdinando Rege missus erat.* Et alio

Bonfin. dec. 4. l. 8. fol 647.

loco

loco agens de funere Regis Matthiæ apud Albam Regalem: *Legatus Apostolicus, ac omnes, qui aderant, Oratores eòdem concessere, imprimisq; Ferdinandi Regis Orator Petrus, eloquentia, doctrinaq; non mediocri.* & inferiùs, habitam ab eo in Regis funere orationem, referens, *inter Sacrificandùm*, ait, *Petro Episcopo Lucerino viro doctissimo, & Oratori Neapolitano, datum laudandi Regis est negotium. Is de laudibus, & gestis ejus sat ornatam, & copiosam habuit orationem, & multis (annuente Senatu, cunctisq; Pontificibus) jam rationibus ostendit, Matthiam Regem, Christianæ Reip. assertorem, Principem invictissimum, & de Romana semper Ecclesia optimè meritum jure inter Divos esse referendum: quòd ab universa concione acclamatum est, & gravissimum super ea Senatusconsultum factum.* Sic Antonius Bonfinius Elaboravit Ranzanus, dum Legatum ageret, librum de rebus Hungaricis, aliaquè; proinde de illo etiam inter Scriptores fermo recurret.

Pag. 652.

Pag. 651.

Abbates.

NEc defuere fortasse etiam in Regno Vngariæ ex Ordine Prædicatorum Abbates: nam R. P. Iacobus Nemethi, sæpè laudatus, me monuit, se, in quodam M. S. literarum Matthiæ Corvini, Regis Vngaricæ codice, etiam epistolam ejusdem Regis ad Pium 2. legisse, de quodam Fr. Eustachio Ordinis Prædicatorum, quem Abbatiæ cuidam in diœcesi Zagrabiensi, Toporzka nomine, præfici cupiebat, illum à morum honestate, & vitæ probitate commendans.

P. Iacob. Nemet. ep. ad me data Poson. 26. Mart. 1637.

DE REBVS VNGARICÆ PROVINCIÆ Ordinis Prædicatorum.

PARS TERTIA,

LIBER II.

DE SANCTI OFFICII CONTRA HÆRETICAM pravitatem Inquisitoribus in Hungaria.

CAPVT I.

Quid Sanctæ Inquisitionis Officium: à quo institutum: quis Primus omnium Inquisitor: quantùm in eo laboraverit Ordo Prædicatorum: quantoperè hæreticis hominibus invisum.

PRoprium, ordinariumq; Episcoporum, jure divino eis conveniens munus est, creditam sibi plebem ab omni errore, & pravitate hæretica custodire, atquè defendere, seduloquè advigilare, ne perversorum dogmatum homines, luporum more ir-

V. Pio. dium in Pr. l. p. c. 11.

rumpentes, pium fidelium gregem pessundent, ut Sacra Conciliorum decreta testantur. Verùtamen, cùm ob tot curas, ingentemq; negotiorum molem, res tantæ vix ab eis satisfieri posset, placuit Summo totius Ecclesiæ Pastori Innocentio ejus nominis III. (suggerente per Apostolicæ Sedis Legatum B. P. N. Dominico, qui ad Albigensium nefariam hæresim nuper exortam, & per multas Europæ partes, Gallicanam præcipuè Provinciam, serpentem, fortiter debellandam exterminandamq;, apud Tolosates, pietate, vitæ austeritate, prædicatione, disputatione, signisq; laborabat) coadjutores adjungere, & aliquos designare, qui Summi Pontificis hac in parte personam repræsentantes, non tanquàm Ordinarij, sed vt Delegati, negotijs fidei superintenderent, atquè cum proprio tribunali, maximaq; auctoritate, hæreticorum cautlas, severè, juxtà meritorum, & scelerum modum animadvertendo decernerent. Ii Inquisitores, ab officio inquirendi hæreticos, & delicta, extrinsecùs verbis, vel factis in hæresis materia perpetrata, canonicè, juridicèq; pervestigandi, sunt appellati. Porrò Innocentius Pontif. Beatiss. B. Dominico, cujus sanctitatem, eruditionem, prudentiam, & ardentissimum divinæ gloriæ, salutisque animarum zelum jam optimè noverat, id muneris demandavit, contraque hæreticam pravitatem primum Inquisitorem instituit, & declaravit. Quod etiam Sixtus Quintus Pont. Max. apertè profitetur, cùm in diplomate de S. Petri Martyris solemni celebritate sic ait. *Imitatione accensus B. P. Dominici, et ille perpetuis & concionibus, & disputationum congressibus, Officioq; Inquisitionis,*

Incipit Inquisitorum Christi militia

quòd

quòd ei primùm Innocentius III. & Honorius III. commiserant, contra hæreses mirabiliter se gessit, & coet. Namq; Officium Inquisitionis primùm commissum fuisse B. Dominico, est eundem primum omnium Inquisitorem fuisse. Quòd enim dicitur à Pontifice, *primùm*, alios Inquisitores respicit, vt ipse primus ante omnes officium illud acceperit: neq; ullo modò ad ipsum solùm B. Patrem secundùm diversa tempora referri potest, quasi primò factus sit Inquisitor ab Innocentio, & Honorio, postea verò ab alijs, cùm idem S. Pater obierit anno 5. Pontificatus Honorij, cui post alios 5. annos Gregorius IX. successit. Sed de hoc Inquisitionis Primatu, quem aliqui B. Patri, non injusto minùs quàm irrito conatu præripere nisi sunt, adeò doctè, solidè, ac fusè scripsit Fernandius in Concertatione Prædicatoria, vt operam perdat, quisquis plura dicere contendit. Illum adeat Lector ingenuus, si rem è radicibus nosse desiderat. Laboravit in eo Officio strenuè Dux gloriosissimus, ingentesque fructus, atquè bona innumera attulit Ecclesiæ. Quod cernens Apostolica sedes, alios tanti Patris filios per totam Europam, in Gallia, Germania, Hungaria, Hispania, Italia, Polonia, Russia, Tartaria, vtraq; Vualachia, Græcia, & Hibernia; Per Asiam in Armenia, Georgia: perq; Africam, ad Orbem vniversum cùm repurgandum, tùm conservandum, instituit. factum id primùm per Honorium III. nam anno Christi 1225. qui fuit IX. Pontif. Honorij, Fridericus II. Imperator constitutionem edidit contra hæreticos, in qua meminit Inquisitorum ex nostro Ordine per sed. Apostolicam in Imperio datorum. *Quicunq; hæretici re*

anno 1586. idib April Romæ 1. sui Pont.

Fernād in Concert. anno 1216.

Extat epist. apud Bzov. anno 1225. n. 5.

pertisfuerint in civitatibus, oppidis, seu alijt locis Imperij, per Inquisitores ab Apostolica sede datos &c. & inf. *ad hoc notum fieri volumus, fratres Predicatores de Ordine Predicatorum pro fidei negotijs in partibus Imperij nostri contra hereticos deputatos, &c.* factum deinde ab alijs, nàm de Gregorio IX. Honorij successore ita scribit Antonius Senensis. *Ant. Sen. in Chron. anno 1227.*

Anno 1227. mortuo Honorio III. eligitur Sum. Pontif. Greg. IX. qui illo anno per totam ferè Christianam Remp. ex nostro Ordine instituit Censores hereticorum. Nulli enim censuit hoc munus aptiùs committi posse, quàm illi Ordini, quem per antonomasiam, magni Ordinis viri, Ordinem veritatis dixere, eò quòd pro veritate fidei propugnanda, & Ecclesiæ unitate conservanda, multa semper tulit, & fecit. De Vrbano VI. Ludovicus Paramus hæc refert. *Par. de orig. S. Inq. l. 2. t. 2. c. 29.*

Vrbanus VI. anno 1378. Magistro Generali Ord. Prad. datis litteris, potestatem fecit tres Inquisitores fidei instituendi, vnum in Armenia, & Georgia, alterum in Græcia, & Tartaria, tertium verò in Russia, & vtraq; Valachia. Quòd ita executioni mandatum, vt etiam in Insula Chiensi, non ita pridem Inquisitores esse desierint. Fr. enim Antonius Justinianus Archiepiscopus Naxiensis, qui in indiculo Conc. Trid. inter Archiepiscopos Pij IV. recensetur, & eidem Concilio interfuit, in eadem Insula fuit Inquisitor, pro jurisdictione, & fide tuenda multa passus. *Prad. 2 p. vir. Illust. ad an. 1566.*

Quòd in Africano Æthiopum tractu exiterint, atq; etiamnùm extent nostri Ordinis Inquisitores, scribit ad extensum Frater Ludovicus Vreta, suis de rebus Æthiopicis libris. *Ant. Sanct. Domin. tract. 4.* In Indijs Orientalibus Vibe Goa, Inquisitores fuere Frater Gaspar de Mello Ord.

Præd. S. Th. M. anno 1583. & *Fr.* Thomas Pinto Or. *Præd.* S. Th. M. an. 1586. vt M. *Fr.* noſter Antonius Souſa ſupremi Concilij S. Jnquiſitionis Luſitaniæ Senator, ex certa fide recenſet. At ne longior ſim, lege Eccleſiaſticos, noſtriq; Ordinis Annales, Paramum, Concertationem *Prædicatoriam*, Directorium Jnquiſitorum cùm Scholiaſte, alioſq; authores, ſi cernere cupis, quantùm ſemper ſollicita fuerit Apoſtolica Sedes Sanctum Inquiſitionis Officiũ vbiq; terrarum per inſtituti *Prædicat.* viros promovere, & amplificare. Et verò, cùm vltra quatuor ſecula in eo munere invictiſſimè illi militarint, adhuc operam ſuam Eccleſiæ indefeſſè præſtare non ceſſant. In Italia enim, præter Commiſſarium generalem S. Officij in Vrbe Roma (cui ex meo etiam Viglevanenſi cœnobio præfuerunt *Fr.* Michael Ghislerius, poſtea *Pius* V. F. Thomas Scotus Viglevanenſis, Epiſcopus Jnteramnenſis, *Fr.* Archangelus Blanchus, ex agro Viglevanenſi S. R. E. Card. Theanus) ſunt in diverſis vrbibus, & regionibus pluſquàm 30. Jnquiſitores. In Gallia tres, Toloſanus, Carcaſſonenſis, Avinionenſis. *Per* Dalmatiam totam, Generalis Jnquiſitor Zarenſis. In Germania, Colonienſis, qui etiam Trevirenſem, & Moguntinum diſtrictum complectitur. In Hiſpania, Regius Confeſſarius, *Fr.* Antonius Sotomayor, Archiepiſcopus Damaſcenus, totius Hiſpaniæ Supremus & Generalis Inquiſitor, quem in eodem officio *F.* Ludovicus Aliaga præceſſit. Jn Luſitaniæ ſupremo S. Jnquiſitionis Concilio, *Patre Provinciæ Portugalliæ* Ordinis *Præd.* (ſicut & in eodem ſupremo Senatu Inquiſitionis Hiſpaniæ, *PP. Provinciæ* Hiſpaniæ) *Philippi III. Catholici* Re-

Inquiſ. in Luſitania p. mihi 32.

gis

Mal. in an. nal. am. 1215. c. 8.

gis munificentia, locum perpetuum obtinent. Quantùm verò gloriæ (ut Thomæ Maluendæ verbis utar) splendoris, dignitatis, Ordo Prædicatorum habeat, quòd authore Sancto Dominico istud adeò Sacrosanctum Inquisitionis Officium primam originem cœperit, deinceps; in posteros fratres Prædicatores fœlicitèr propagatum sit, vix exprimi possit. Divinum hoc planè inventum fuit, & ingens in eo Dominicana Religio Christianæ Reip. momentum intulit, quandò eo potissimùm præsidio hæreticorum audacia retunditur, puritas, & sinceritas Christianæ fidei, illibata conservatur, evulsis, radicitus; extirpatis pravis, noxis; harefum, & falsorũ dogmatũ fruticibus, denique quibusvis hæreticis sanæ doctrinæ novatoribus, & alteratoribus, igne, ferro, ni resipiscant, extinctis, vel saltem deterritis, fugatis, profligatis. Quòd sanè verissimum esse, discrimen illud inter eas nationes, in quibus hoc Officium viget, Italiam, Hispaniam, Siciliam, &c. & eas, in quibus, aut esse desijt, aut munus suum Inquisitores liberè obire non possunt, luce meridiana clariùs ostendit. Hinc tanoperè Luthero, aliis; hæreticis tribunal illud invisum. Hinc illæ famæ Cornelij Agrippæ hominis vanissimi, libro de Vanitate scientiarum, & libelli cujusdam ementito nomine Sylvestri Prieratis, magni Inquisitoris, sacriq; Apostolici Palatij Magistri, (qui primus ex Italia contra Lutherum calamum strinxit, & ejus scripta, ac statuam, hæreticum publicè damnans, Romæ exussit) non jussu Cardinalium ad Officium S. Universalis Inquisitionis deputatorum, sed hæreticorum hominum opera edita. Nihil enim magis te-

nebrio-

nebriones hujuſmodi, quàm lux veritatis offendit. nihil æque lupi horrent atq; canes latrantes, & à grege arcentes: nihil magis fures & latrones, quàm iudicem, patibula, & cruces oderunt. & ſanè optimè Ioannes Cochlæus, vir doctus & pius, Luthero fratribus Prædicatoribus inſultanti, illud reponebat. *Habet Venerabilis iſte Ordo Prædicatorum propter ſoliditatem ſanæ doctrinæ B. Thomæ, jam diù ſingulare à Sede Apoſtolica privilegium, vt habeat Inquiſitores per totum orbem terræ. Quid mirum igitur, ſi hic ex profeſſo hæreticus jam pridem publicè condemnatus, inſectatur iſtius præcipuè Ordinis Patres? Nam & multi ex ijs in eum ſcripſerunt, quibus juſtè reſpondere non poteſt.* Sylveſter Prieras M. S. P. Tho. Caiet. Card. Sylveſter Ferrar. Chriſoſt. Iavellus, Amb. Catharinus, Conradus Chòlin, Joannes Dietembergius, Joannes Tetzelius, Iſidorus Iſolanus, Thomas Radinus, Jacobus Hochſtraſſen, Bernardus Lutzenburgenſis, Ambroſius Pelargus, Hieronymus Meropolitanus, Michael Vehus, & alji. Sed de his hactenus, jam ad præcipuum inſtitutum, propter quòd hæc opportunè præmiſimus, accedamus.

Cochl. in libello ſcriptorum Lutheri c. 9.

CAPVT II.

Quo tempore ſanctum Inquiſitionis Officium inductum in Hungariam, quiq; Primi Inquiſitores exiſterint.

HVngaria, ex primis fuit, quæ inter univerſas regiones ſanctum Inquiſitionis Officiū à Beatiſſimi P. Dominici morte ſuſcepit. Nam quo tempore Inquiſitores in Germaniā miſſi ſunt ab Honorio III. circa annum Chriſti 1225. & à Gregorio

IX. an-

Plod. l. 9. de Prog. Dom. c. 23.

IX. anno 1228. eodem (Plodio teste) etiam in Hungariam se diffuderunt; cùm tamen in Italia nonnisi ab anno 1238. & in Polonia à 1327. sub Ioanne XXII. fuerint propagati. Quod equidem, ut ex ingenti inclytæ gentis Hungaricæ tuendæ & amplificandæ Catholicæ Fidei studio profectum est, sic in summam illius laudem, gloriamquè sempiternam cedit. Sed quid mirum in Censoribus Fidei pro erroribus propulsandis, & tuenda veritate Catholica, excipiendis, sedulam fuisse, in cujus insignibus illa fulget, quæ cunctas hæreses sola interemit in universo mundo, ea inscriptione PATRONA HVNGARIÆ? Altissimas quippè radices Fidei ardor, Deiparæq; Virginis honor à tempore Sanctissimi Regis Stephani in Vngarorum cordibus egerant, ut ad hæc tuenda, augendaq; opportuna media libenter exciperent; ac si quicquam labis tantæ dignitati ex hæretica pernicie aspergi conspicerent, id statim latis sanctissimis legibus elui curarent. Quod & sub Ludovico II. Rege optimo, factitatum; nam cùm Lutheranum virus sensim in Hungariam serpere videretur, præstantissima illa antidota publicis Regni statutis sunt adornata. Omnes Lutherani, & illarum Fautores, ac factioni ipsi adhærentes, tanquàm publicos hæreticos, hostesq; Sanctissimæ Virginis Mariæ, pœna capitis, & ablatione omnium bonorum suorum, Majestas Regia, veluti Catholicus Princeps, punire dignetur, &: Lutherani etiam omnes de Regno exulpentur, & ubicunque reperti fuerint, non solum per Eccle-

In Constitut. Budens. Concernit sub Ludov. II. anno 1523. art. 4. Item. in Comp. Ra-

strasticos, verùm etiam per sæculares personas liberè capiantur, & comburantur. Porrò illorum priorum temporum Inquisitores (quamquam, qui primi omninò fuerint, adhuc me lateat) duo magni Viri inter cœteros recensentur, qui sanguinis sui purpura tantum munus illustrius reddidere, Fr. Nicolaus & Fr. Ioannes, de quibus inter Martyres, & Antistites, sumus elocuti. Iis verò, quæ ibi diximus, testimonium ex indiculo, qui annexus est Martyrologio Ordinis, cum Clementis IIX. approbatione Romæ edito, addimus in hæc verba. *Fr. Ioannes Hungarus, ex Inquisitore Episcopus, ab Hæreticis pelle detracta, crudeli morte occubuit. Fr. Nicolaus Hungarus, & etiam ex Inquisitore Episcopus, lapidibus obrutus, & gladio transverberatus, interijt.* *Kosſub Ludo. 2. an. 1525. nr. 4.*

CAPVT III.

Egregia quædam ab Inquisitoribus in Hungariæ Regno patrata.

SI Sanctæ Inquisitionis Hungaricæ acta, & archæa jam extarent, haud dubium, quin plurima, eaq; insignia ab Inquisitoribus facta ad æternam ejusdem Sacrosancti Officij, Ordinisq; Prædicatorij gloriam dare, liceret, sed quandò omnia, quà Turcarum, quà Hæreticorum vastitate pessundata, vix aliqua ex annalibus Ecclesiasticis collecta hic annotabo. Serenuè verò etiam cum viris Principibus munus suum obijsse Inquisitores, illud prodit quod apud Bosniam Hungariæ Regni Provincia factum fuisse, Annalium Condi- *Bzou. anno 1233. n. 14.*

eor ad annum Christi 1233. ita recenset. *Dux Regionis illius Bosnæ Nicoslaus, operâ Fratrum Prædicatorum per id tempus hæresim ejurarat, & in Fide Orthodoxa se perseveraturum sanctè spoponderat, dato Filio obside in manus eorundem Prædicatorum, cui vehementer metuebat, ne a Rege Hungariæ Feudi jure privaretur. Consuetudo enim Regni obtinuerat, ut Rex Hungariæ ejusmodi jura Hæreticis abrogaret, & recens ad Fidem conversis pro voluntate sua concederet. Cùm autem Nicoslaus multis argumentis Fidem suam Ecclesiæ probasset, scripsit Gregorius Regi quidem, ut ex ea laudata consuetudine benignè se erga eum, atq; Filium in Feudo concedendo, seu conservando, haberet. Fratribus autem Prædicatoribus, ut Filium ejus obsidem Patri restituerent, cùm de ejus Fide nulla dubitatio amplius remaneret. Utrisque dedit litteras Anagniæ. 6. Id. Oct.*

Ad Templarios (tanquàm de Hæresi, idololatria, aliisq; nefandis sceleribus in Concilio Viennensi damnatis) funditùs in Hungaria, ut & in cæteris Orbis partibus extinguendos, Clementem V. Pont. Max. Sancti Officij Inquisitorum opera usum, idem author scribit ad annum Christi 1308. his verbis. *Clemens Quintus, Regibus & Inquisitoribus Majoricarum, Siciliæ, Navarræ, Daciæ, Sueciæ, Portugalliæ, Cypri, Hungariæ, Trinacriæ, Norvegiæ, Bohemiæ, Aragoniæ, Castellæ, Comiti Sabaudiæ, Delphino Viennensi, Duci, ac Senatui Venetiarum, ut si qui adhuc Templariorum capti non essent, eos caperent, & tùm loca, tùm bona eorum in custodia fidelî, usque ad Apostolicæ Sedis dispositionem retinerent, commisit, adeoq; præcepit.*

Rzov. anno 1310. n. 3. ex epist. data Tolosæ 1. Cal. Ianuarij.

Pro Fraticellorum hæresi radicitùs extirpanda in Hungaria, eorundem Inquisitorum opera adhibita est

Cùm

Cùm enim illa Germaniam potissimùm pervagata, vicina Bohemiæ, Hungariæ, & Poloniæ Regna attigisset, Summus Pontifex Joannes XXII. datis anno Christi 1327. Provinciali Hungariæ Ord. Prædicatorum Calendis Febr. litteris, potestatem ei fecit, Inquisitores contra Hæreticos instituendi, quibus licitum esset, jus in delinquentes in Fide dicere, & ex præscripto sanctionum Ecclesiasticarum, reos castigare. Parem potestatem, datis 3. Cal. Maij litteris, Provinciali Poloniæ ejusdem Ordinis Prædicatorum largitus est, ut in eisdem annalibus est videre. Fraticelli, qui & Fratres de paupere vita, nihil proprij habendum, nec Respublicas à Christianis administrandas esse, docebant. Promiscuos concubitus licitos fatebantur, visionem divinæ essentiæ in novissimum usque diem, contra illud, *Hodie mecum eris in Paradiso*, animabus sanctis differebant, aliaquè multa phanatica divulgabant. Facultatem verò datam à pontifice Inquisitores instituendi in Hungaria, sic accipito, nō quòd prius absolutè non essent, sicut in Polonia, sed, ut vel multiplicatis hominibus, vel aptioribus, secundùm temporis, & circumstantiarum exigentiam, subrogatis, res aptiùs ex animi sententia pro Ecclesiæ bono consi ceretur.

Bzovius anno 1327. n. 18.

Praccolus in Eccles. hist. l. 6. c. 13.

Luc. 23.

CAPVT IV.

Missos in Hungariam aliquandò speciales Inquisitores.

SPeciales etiam aliquandò missos in Hungariam Inquisitores, animadvertimus: nam Eugenius IV. anno sui Pontif. XII. Christi verò 1442. F. Bartholomæum Lapacium, Florentinum, Episcopum Coronensem, ex Ordine Prædic. in utramq; Pannoniam, & Poloniam contra hæreticam sectam, quæ animi simplicis nomine vulgabatur, Inquisitorem allegavit. Quod sacrum munus fœliciter gessit, plurimis ad fidei veritatem reductis, vt nobilis author Ludovicus *Paramus* opere de orig. S. Inquisitionis scriptis consignavit. Ist hæc animi simplicis hæresis fuisse scribitur, qua præsertim, more antiquorum hæreticorum, fœminarum vsum promiscuum quidã licitum esse volebant: quæ cùm nova tùm esset, & carnalibus hominibus abundè placeret, longè, latèq; serpens, mortalium plures infecerat.

Param l. 2. t. p. cap. 5. Ioann. Carol. apud Leand. lib. 3. fol. 80.

Verùm Lapacius vir egregiè prudens, & doctus fuit, non latinæ tantùm, sed græcæ etiam linguæ peritissimus, qui in Concilio florent. anno Christi 1438. pro Catholica Ecclesia contra Græcos strenuè laboravit, ac deinde Constantinopoli, Marcum Episcopum Ephesinum, in eodem Concilio à Fr. Joanne de Montenigro Ord. Prad. qui Joannes à Latinis dicitur, convictum, ita coram Imperatore, Cardinali Legato Apostolico, (cujus erat

Leg. Diu. Ant. 3. p. hi. t. 22. c. 11.

comes)

comes) & Proceribus, publico adhuc certamine superavit, confudit q; ; ut mœrore, ac tristitia contabescens, intra paucos dies, in sua perfidia, alii etiam fœcibus blasphemo ore egestis, animam efflarit.

v. Iosephum Episc. Mutinensem cont. Marcel. Epher. post Concil. Floren.

CAPVT V.

Quousq; S. Inquisitionis Officium perduraverit in Hungaria.

PErseverasse Sacrosanctum Inquisitionis Officium in Hungaria cum Ordine nostro, ut minimùm, usq; ad tempus Mohaciana cladis, quando anno Christi 1526. Rege Ludovico II. cum universo Hungariæ flore à Solymanno Turcarum Imperatore infœliciter profligato, ea ferè tota in ipsorũ ditionẽ concessit, exploratum est. Nam ad finem seculi præcedentis, anno nimirum Christi 1493. sub Rege Vladislao, per universum Hungariæ Regnum, Fr. Nicolaus Mirabilis Colusvariensis, S. Theol: Doctor, & Professor, Apostolicusq; Concionator, idem officium administrabat. Ita enim habetur in quodam ejus libro de Prædestinatione, in membrana manu pulchrè descripto, auroq; ornato, quem ex Budensi, ut ajunt, Bibliotheca Regia, ceu monile acceptum Joannes Faber, Episcopus Viennensis, Bibliothecæ Collegij S. Nicolai ejusdem urbis donavit anno Christi 1540. cujusq; per Patres Societatis Jesu, ejusdem Bibliothecæ jam curã habentes, copia mihi humanitèr facta est, & exceptum exemplar apud me retineo. In epistola siquidem ejus libri nuncupatoria ad Regni totius Cancel-

larium,

larium, titulus hic præfixus est. *Fr. Nicolaus, ex Mirabilibus natus, Colusuariensis, Ordinis Predicatorum, Divæ Theologiæ Professor, ac per universum Dominium Serenissimi Regis Hungariæ hæreticæ pravitatis Inquisitor, & Apostolicus Prædicator, Magnifico Domino, Ioanni de Schellenberg, Regio Cancellario se commendat. Magnifice Domine, & si pro exhibita mihi humanitate, &c.* Opus verò illud perfectum fuit 12. Cal. Septemb. eodem anno 1493. ut ad finem ejusdem annotatur. Cùm itaque ab eo tempore usque ad cladem Mohacianam, triginta tres anni interfluxerint, & credibile sit, Fr. Nicolaum adhuc per aliquod tempus in eo officio perdurasse, (nam etiamnùm cernimus Inquisitores superstites, Mag. Fr. Paulum à Garrexio, Bononiensem, & Mag. Fr. Cornelium Nasium, Dalmatinum, qui supra triginta annos S. Officium egregiè administrarunt) vel si mortuus fuit, aut amotus, cùm adhuc res illius Regni essent, quoad Fidem, & Religionem, rectè constituæ, alios illi in eodem Officio esse suffectos: non est, cur opinamur, ante esse desijsse sacrosanctum illud tribunal, quàm Regnum Hungariæ immanissimi Turcæ penè protriverint; adeò ut verè steterit Inquisitio, quoadusque steterit Regni potentia, steteritq; potentia Regni, quoad steterit Inquisitio; Monarchia enim à Religione, & hæc vicissim ab illa suscipit adjumenta.

(o)

CAPVT VI.

Rebus Hungariæ deploratis, Fr. Antonius à Grosupto, S. Th. Doctor, pro illa, alijsq; partibus, Sancti Officij Commissarius designatur.

PEgno Hungariæ in summam calamitatem redacto, quod è Turcarum manibus reliquum fuit, hæretici homines sic occuparunt, ut vix ullam regionem reperias, in qua plures sit recensere. Ibi enim Luth. Calvinicolæ, Anabaptistæ, Ariani, (forsan & Athei,) alijq; perditissimarũ factionum sectatores, magno numero nidificarunt; vt si aliunde, Cæsaris, & Principũ aliorũ reformatione secedere cogantur, sive ij Prædicantij, sive ipsorũ auditores existant, non aliò libentiùs commigrare soleant; & qui ante cladem, sibi, licèt occultis, vitam non credidissent, jam in manifestissima perfidia, nullibi aliàs tutiùs, aut fœliciùs degere se posse confidant. Nec ex proximioribus tantùm partibus plurimi, sed vel ex ipsa Italia, homines corruptissimi, Georgi Blandrata Arianus, Melius, Socinus, Transylvaniæ pestes, alijque, quò conceptum virus in fidei veritatem liberiùs evomerent (quod in patria Vulcani terrore minimè ausi) eò se contulerunt. Cui malo occurrere volens Ecclesia, aliquos ex nostris ad eas partes pro sancti Officij munere designavit. Etenim anno Christi 1562. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, totius Christianæ Reip. Inquisitores Generales, Commissarium contra hæreticam pravitatem per Germaniam, Hungariam, Boemiam, & alia loca, in om-

nes,

nes, ſed in eos præcipuè, qui ex Italica natione, hæretica pravitate eſſent infecti, inquirendi, emendaq; faciendi, quæ opportuna eſſent, uſque ad ſententiam definitivam exclusivè, P. F. Antonium Groſuptium, S. Theol. Doctorem, inſtituerunt diplomate ſequenti, ex originali, quod in archivo Fratrum Prædicatorum Viennæ extat, fideliter deſcripto. *Chriſtophorus Madrutius, Epiſcopus Albanenſis, Otto Truchſes S. Mariæ in Transtyberim, Bartholomæus de la Cueua S. Crucis in Hieruſalem, Bernardinus Scotus S. Matth. Ioannes Romanus S. Priſcæ, Michael Ghislerius S. Sabinæ, Alexandrinus, & Clemens Olera S. Mariæ de Ara Cœli Tituli miſeratione divina S. Romanæ Eccleſiæ Præsbyteri Cardinales in univerſa Repub. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati, Venerabili Fr. Antonio Groſupto, Ord. Prad ſalutem in Dn. ſempit.*

Fortaſſe Polonia.

Cum ad aures noſtras, fide dignorum relatione, dudum pervenerit, quod multi ex Italica natione viri hæretica labe infecti, ad alia regna, & provincias Hungariæ, Boemiæ, Valerniæ, & ad alia loca ex Italia confugientes, ſe transferant, ut ſecuriùs hæreticorum more degere poſſint, & liberius contra Fidem Catholicam, & Sanctam Matrem Eccleſiam Catholicam Romanam, ejuſq; Prælatos obloqui valeant, & quod pejus eſt, ad Italiam, eorumq; Patriam aliquando pro earũ mercimoniis, aut rebus familiaribꝰ alias perſonas mittentes, Catholicos peſtiferis eorum hæreſibus inficere malunt, in maximum ſalutis animarum præjudicium: eapropter noſtro ex officio ſuper hujuſmodi exceſſibus providere volentes, confiſi de tua probitate, doctrina, & ſufficientia, ac fidei zelo, te, Fr. Antonium prædictum, tenore præſentium Commiſſarium noſtrum, autoritate A-

postolica, qua fungimur, instituimus, & subdeputamus in omnibus & singulis Civitatibus, Oppidis, & locis prædictorum Regnorum, & Provinciarum, adque, & quas te declinare contigerit, cum gratijs, & privilegijs, quæ hujusmodi Commissarijs nostris concedi solent, cum facultate, & authoritate contra quascumq; personas, præsertim nationis Italicæ utriusque sexus, cujuscumq; status, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ, tàm Ecclesiasticas, quàm seculares, hæreticas, aut de hæresi quomodolibet suspectas, informationes, & depositiones, seu denunciationes capiendi, & recipiendi, ac processus informativos tantùm formandi: processusq; informativos, depositiones, seu informationes quascumq; per te contra hujusmodi personas, ut supra, factos, & receptos in publica, & autentica forma fideliter, & per fidum nuncium, ad nostrum Sacrum Officium, ad manus nostras, vel Commissarij nostri Generalis in Vrbe transmittas. In quorum omnium, & singulorum fidem, præsentes nostras litteras exinde fieri, & per Notarium nostrum Officij nostri S. Inquisitionis infrascriptum subscribi, sigilliq; dicti Officij, quo utimur, jussimus, & fecimus appensione communiri. Datum Romæ in Ædibus nostris, sub anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Indictione Quinta, die verò vigesima mensis Januarij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Domini Pij, divina providentia Papæ Quarti, anno ejus tertio.

Claudius de Valle, S.R. manæ Vniversalis Inquisitionis Notarius.

Fuit Fr. Antonius Patria Isalus, Grosupto oppido Vallitellinæ, subditione Rhætorum, oriundus: ex Provincia Lombardiæ, & Conventu Morbinensi, aut Novo-

comensi, S. Th. Doctor egregius, & in Tridentina Synodo in societate nostræ Civitatis Viglevanensis Episcopi Mauritij de Petra, Theologus; quamvis diù Tridenti, ob præcitatum vrgens fidei negotium, in Germaniam citiùs remeaturus, non hæserit. Satis verò diù multumq; Viennæ mansit & Commissarius S. Officij per totam Austriam, ab anno Christi 1558. (juxtà litteras S. R. E. Cardinalium Gener. Inquisitorum eodem anno, die 13. Junij, anno 4. Pontif. Pauli IV. datas, in archæoq; ejusdem monasterij servatas;) & Vicarius Generalis Austriæ, & S. Theologiæ in celeberrima, & antiquissima Viennensi Academia publicus Ordinarius professor, sæpe etiam Inclytæ facult. Theologicæ Decanus; qui denique Incl. Nationis Austriacæ Procuratorẽ agens, ãno Christi 1570. l. 71. in brumali pestilentia, per totam ferè Austriam desæviente, piè in Domino obdormivit. De Legatione illius à Summo Pontif. Pio V. ad Archiepiscopum Strigoniensem, & alios illius Suffraganeos, pro extruendis Seminarijs juxta S. Concilij Trid. decreta, libro quarto dicemus.

CAPVT VII.

Extare adhuc in Regnis Dalmatiæ, & Illyrici, quæ olim sub Hungariæ Provinciæ ambitu continebantur, Sacrosanctæ Inquisitionis Officium.

OVo tempore Regna Dalmatiæ, & Croatiæ, & Illyrici, sub una Ordinis Hungariæ Provincia continebantur, Inquisitores ex nostro Ordine habuerunt. Diserte enim tradit Ludovicus Paramus, circa annum Christi 1320. in Provincijs, & Regnis Dalmatiæ, Croatiæ, Istriæ, Bosnæ, Ragusiæ, ex Prædicatoria familia Inquisitores extitisse. Narrat etiam Illustriss: & Reverendiss: D. F. Franciscus Gonzaga, Episcopus Mantuanus, ex Ord. Min. in historia de origine Ordinis Seraphici in Provincia Dalmatiæ, in archivis Conventus Jadrensis seruari bullam Joannis XXII. S. Pontif. qua statuit, ut Prædicatorum Ordinis Fratres, in eadem Provincia ad S. Inquisitionis munus assumpti, Fratres Minores coadjutores sibi assiscere possint. Quare mendum in Concertationem Fernandij per scriptoris, aut typographi incuriam irrepsit, dùm refertur ex Gonzaga, veritum à Joanne, ne Inquisitores nostri Minoribus coadjutoribus vterentur; cùm Gonzaga, non inhibitionem, sed concessionem Pontificiam, quàm diximus, scriptis prodiderit. Porrò tempore illo omnia earum partium monasteria, præterquàm Istriæ, ad unam Hungariæ Provinciam spectabant, vt in catalogo Provinciarum à Sancto Antonino

Paramus l. 2. t. 2. c. 11. n. 28.

Fran. Gonza. 4. p. g. 45.

Fernãd p. 181.

conſcripto licet intueri. Fœliciùs ſanè cùm illis, (quòd munus Dei eſt) actum. Adhuc enim in eis Sanctum Inquiſitionis Officium perſeverat, & viget, multas Civitates, & inter eas Cherſium, Jadram, (vulgo Zaram,) Sebenicum, Tragurium, Spalatum, Leſinam, Vrbem veterem, Curzolam, Catarum, &c. carumquè oppida comprehendens. Præeſt illi jam à tringinta annis, plus minus, Fr. Cornelius Naſius, S. Theol. Magiſt. doctrina, pietate, zeloquè inſignis, qui Iadera, urbe præcipua, regulariter conſidens, alibi, vt mos eſt, Vicarios habet. Horum opera Marcum Antonium de Dominis, Archiepiſcopum Spalatenſem, hæreſiarcham detectum fuiſſe, non ſemel è Patribus noſtris Dalmatinis audivi.

Acta Acta. reſta habes apud Bzovium anno 1479. à n. 19. vſq; ad 26.



DE REBVS HVNGARICÆ Provinciæ Ordinis Prædicatorum.

PARS III. LIBER TERTIVS.

DE DOCTORIBVS, ATQVE Scriptoribus.

CAPVT I.

Doctorum, Scriptorumquè nobilitas & præstantia.

ILlustri excelsóq; loco sitos esse in Ecclesia Doctores, satis ostendunt verba illa Pauli, quibus eos Ecclesiæ principibus, atque rectoribus adjunxit, cum diceret. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Et: *posuit Deus in Ecclesia primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.* Vsque adeò namq; ad Ecclesiæ regimen doctrina necessaria est, ut om- ad Ephes. 4. 1. ad Corint. 12.

nes

nia illius capita, quibus alios regendi munus incumbit, Doctores esse debeant, dicente per Jeremiam Deo, *dabo vobis Pastores, secundùm cor meum, & pascent vos in scientia, & doctrina*; & Apostolo scribente, *Oportet Episcopum esse Doctorem.* Etverò, quamvis ad Apostolos præcipuè, quibus dictum est, *euntes in mundum universum, docete omnes gentes*, Episcoposq; Apostolorum successores, munus docendi pertineat: alij tamen etiam ad ejus muneris consortium assumuntur, è quibus, qui revelationes à Deo immediatè suscipiunt, Prophetæ, qui verò de his, quæ alijs revelata sunt, populos erudiunt, Doctores à Paulo vocantur. Adeoq; nostri Ordinis Fratres, vel maximè Doctores esse decet, quos Clemens V. *Episcoporum, & Parochorum coadjutores* nuncupavit, quiq; *essentialiter, ex fine ministrum propry instituti*, ad salutem animarum, medio sacrarum litterarum studio procurandam, ordinati sunt, quare *Prædicatores* vocantur. Porrò Doctoris nomen, accipi potest uno modo pro quocumque, qui excommunitione majorum, vel plebem pro concione, vel in scholis discipulos, lectionibus, disputationibus, alijsq; litterarijs exercitijs informat, qua ratione quilibet Concionator, aut Lector Philosophiæ, sive Theologiæ, Doctor dici potest, Lectoresq; in sacris nostris Constitutionibus Doctores non semel nuncupatos invenes: aliomodo, eoq; nostro, Doctor is dicitur, qui in Ordinis, vel etiam orbis Universitatibus, aut Pontificiæ, sive Cæsareæ facultatis vigore, peractis actibus ad assequendum Doctoratus gradum præscriptis, solemni ritu solet inaugurari. Quomodo usus jam obtinet, ut Magistri, sive Doctores in Theolo-

Jerem. c. 3. 1 ad Tim. c. 3. Matt. c. 24. D. Th. Lect. 3. in cap. 12. 1. ad Corint.

Clem. duodum. de Sepult. in us.

Const. Ord. Pred. dist. 2. c. 1. n. 2. & c. ma. n. 8.

gia dicantur. Verovis autem modo, quidam doctrinam ſuam ſcriptis ad poſterorum etiam commodum conſignarunt, alij verò minimè, quibus, cæteris paribus, illi præferendi videntur, ut Bartholomæus Caſſaneus oſtendit: eis enim præcipuè quadrat, quod ſapiens ajebat, *Non mihi ſoli laboravi, ſed omnibus exquirentibus veritatem.* Quãvis ad omnes dirigatur, quod Angelus dixit Danieli, *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et quod Chriſtus ad ſuos Diſcipulos: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Dixi, cæteris paribus, nam ſcio ſcriptum eſſe à ſanctiſſimo Præceptore, omniumq; Theologorum Principe D. Thoma, Doctores plerosque excellentiſſimos, quales inter gentiles Pythagoras, & Socrates habiti ſunt, nihil ſcribere voluiſſe; unde etiam confirmat, à Chriſto Domino doctrinam ſuam ſcripto non fuiſſe tradendam. Profectò Magiſter ille meus, Hiſpaniæ Flos, totius ſapientiæ pelagus, poſt D. Thomam Doctorem Angelicum, nulli in ordine noſtro ſecundus, Fr. Petrus de Herrera, deniq; Epiſcopus, quem primarium Salmanticenſem, ceu Angelum loquentem frequentiſſimi ex univerſis Ordinibus auditores, arrectis auribus, ſummoq; plauſu ſemper auſcultabant; nunquam etſi à magnis viris ſæpè rogatus, & ferè impulſus, adduci potuit, ut commentaria ſua, omni acuminis atque eruditionis ſplendore referta, in totam Sacram ſcripturam, Theologicamq; S. Thomæ ſummam, ut ab omnibus vehementiſſimè exoptabatur, typis evulgaret; quod ſi feciſſet, haud

Caſſan. Catal. glo. mundi par. 10 conſid. 28. Eccleſ. c. 24. Dan. c. 12. Matt. c. 5. D. Thomas 3. p. q. 42. art. 4.

dubitem

dubitem, quin ſolis inſtar inter ſidera, præ Scriptoribus alijs, effulſiſſet.

CAPVT II.

Plurimos Viros eruditiſſimos, etiam Doctoratus inſignibus condecoratos extitiſſe in Prouincia Hungariæ, qui libros non ediderint.

INnumeros fuiſſe ex Hungariæ Prouincia, viros doctiſſimos, etiam Doctorali laurea ornatos, qui concionibus, lectionibus, diſputationibus errores confutando, veritatem firmando, ad fidem infideles trahendo, in hæreticos animadvertendo, conſulendo, Sacramenta adminiſtrando, aliaq; munera obeundo, in vinea Domini laborantes uberrimos fructus in Eccleſiam detulerint, maxima multitudo Martyrum, qui pro Fide, & animarum ſalute, quam ardentiſſimè ſitiebant, ſanguinem ſuum effuderunt: numerus plurium monaſteriorum utriusq; ſexus bonorum breviſſimo tempore conſtructorum, tot Præſules, Regum, ac Principum Confeſſarij, Fidei Cenſores, Peregrinantium ad partes infidelium miſſiones, commiſſiones Pontificiæ pro maximis Chriſtianæ Reipublicæ negotijs, aliaq; id genus plurima, de quibus cum nonnulla dicta ſint, multa ſuperſunt dicenda, ſatis oſtendunt. Quod ſi ex initio, & fine, liceat de intermedijs ferre judicium, nullus non crederet, quod diximus, veriſſimum eſſe, cum primus Hungaricæ Prouinciæ fundator fuerit Vir literatiſſimus, qui ante Ordinis ingreſſum publico ſtipendio in Bononi-

enſi

enſi Academia Doctor rexerat, & docuerat gloriosè: in Ordine verò ipſo tantùm gratia, & eruditione in docendo valuit, ut *Dux verbi*, quaſi alter Paulus Apoſtolus, & Doctor gentium, Apoſtolus ipſe, & Doctor gentilium Cumanorum, ſit appellatus. ex poſtremis autem anno Chriſti 1560. vivebat Fr. Georgius Szegedinus, in eadem celeberrima Bonnonienſi Academia jam pridem, anno ſcilicet 1539. S. Theol. Baccalaureus, cum ſumma laudis commendatione creatus, ut litteræ patentes Decani, & Doctorum Theologicæ facultatis ejuſdem Academiæ, quæ etiamnum extant in archivo Conventus Viennenſis noſtri, declarant. Anno etiam 1562. in ſacroſanctis Concilij Tridentinenſi conſeſſibus Fr. Joannes Coluſuarienſis Epiſcopus Chanadienſis cùm reliquis Patribus decernebat. Memorabat mihi, ex ſeniorum Claudiopolenſium relatione certiſſima, P. Iacobus Nemethi Soc: Jeſu, quendam F. Joannem Coluſuarienſem ſive Claudiopolitanum, qui in Sacra Theologia, & jure Canonico Doctor præſtantiſſimus eodem fere tempore Claudiopoli floruiſſet. Sed facile potuit is eſſe jam dictus Epiſcopus Chanadienſis, quem ad eam dignitatem Pius IV. ut habet indiculus eidem Concilio affixus, adeòque circa tempora illa (quibus regnabat Pontifex ille) promovit. Non deerit (ſat ſcio) qui iſta contemnat: ſed ille, quiſquis fuerit, meminerit, me non ex monumentis accuratè deſcriptis, quæ vel non fuerunt, vel temporum immanitate abſumpta ſunt, ſed ex ipſis ruderum ſegmentis eruere vetuſtatem.

CAPVT III.

Scriptores.

Ioan. Tritemius in Catalogo scriptorum.

AD scriptores accedentibus nobis, primo loco se præbet Fr. Joannes Teutonicus, Provincialis Hungariæ, Episcopusquè Bosnensis. De hoc Tritemius Abbas Spanheimensis, sic scribit. *Joannes, nomine, & natione Teutonicus; ex Civitate Friburgensi oriundus, Episcopus Bosnensis in Hungaria, Ordinis Prædicatorum, vir in divinis multùm exercitatus, & doctus in jure, & in seculari Philosophia egregiè peritus; qui propter eruditionem, & vitæ sanctitatem, ex Ordine ad Episcopatum assumptus priùs fuerat, quem postea deserens, ad Ordinem suum reversus est, & post Raymundum Generalis Magister Ordinis constitutus, multa bona fecit. Scripsit notabilem Summam Confessorum libris quinque, & quædam alia. Claruit temporibus Friderici II. anno Domini 1250. sepultus verò in Conventu suo Argentinensi, multis olim, (ut fertur) coruscans miraculis,* Tantum ille. Cæterùm non fuisse Joannem nostrum, Friburgensem, sed VValdeusiensem, superiùs ex universis vitæ illius scriptoribus enarravimus. Nec celebrem illam *Confessorum summam* edere ipse potuit, cùm author illius, sæpius Quæstiones suas resolvat ex doctrina non solùm Innocentij, Hostiensis, Raymundi, è quibus duo illi indubiè priùs scripserunt, potuit & S. Raymundus scripsisse priùs; sed etiam S. Thomæ, & Fr. Petri Tarantasij, discipuli ejusdem Angelici Doctoris, ac deinde summi Pontificis, Ioanne nostro ætate, & scriptione

postre-

posteriorum, cùm & ipse S. Thomas adhuc adolescens, à Ioanne nostro clavum totius Ordinis moderante, Coloniam ad studendum sub Magno Alberto missus fuerit. Fuit verò Summa illa edita à Fr. Joanne Friburgense, qui, quòd etiam Ioannes Teutonicus dicatur à S. Antonino, & alijs, quadam nominum communione factum est, vt opus vnius alteri, à Tritemio, authore alioquin solertissimo, tribueretur. Antonium Senensem ascribere nostro Joanni, quæ sunt à Beato Jordano primo Ordinis Magistro conscripta, *Plodius* annotavit. Nihilominus, Ioannem litteratissimum, (qui plurium linguarum noticia præditus, nec Sactæ Theologiæ duntaxat, sed juris etiam cùm Cæsarei, tùm Pontificij peritia insigniter excultus, cuius, priusquàm Sacri Ordinis habitum indueret, Doctoratus lauream adeptus fuerit, adeoquè quorundam Cardinalium Capellanus, & Summi *Pontificis Poenitentiarius* exciterit) Magist. Fr. Raphael de Parnaso, *glossemata, seu commentaria super Decretum*, illa nimirum, quæ Joannis Teutonici titulo vulgò præferuntur; & Michael Plodius, *plures epistolas sanctitatem, & zelum vndiquè spirantes, ad totum Ordinem* scripsisse, tradiderunt. Post virum tantum insignes habentur, qui sequuntur.

S. Antonin. 3. p. hist. t. 23. c. 10. & 11.

Raphael de Parnaso l. de proprio non habendo. c. 3. Plodius.

F. Augustinus Vngarus, Episcopus primùm Zagrabiensis, postea Lucerinus, vir doctrina, & sanctitate celebris, reliquit lucubrationes eruditissimas, inter quas extant concio habita anno 1303. ad Clerum Zagrabiensem, quando inijt Pontificatum, & oratio, quam habuit anno 1309. coram Cardinali Legato Apostolico F. Gentili Montis Flori Ord. Min. & Regni Proceribus, pro Ca-

roloBerto in Regno firmando, quas Ioannes Tomeo Episcopus Bosnensis, in vita ejusdem B. Augustini descripsit.

Fr. Gregorius Ragusinus, Sacræ paginæ eruditione præstans, & in theologicis egregiè versatus, scripsit *Commentaria in Epistolas D. Pauli* ad annum Christi 1305. Sic de eo Fr. Antonius Senensis, & Fr. Alphonsus Fernandez.

Fr. Boetius, ex Transsylvania, Theologus præclarus, Philosophus profundus, & consummatus, aliisq; disciplinis haud ignobiliter excultus, atq; regularis vitæ merito conspicuus, scripsit super libros Aristotelis Stagyritæ, Peripateticorum Principis, de

Sensu & sensibili,
Vita & morte,
Somno, & vigilia.

Edidit etiam *opus de Mundi æternitate.* Floruit ad annum Christi 1345. sic P. Nemethi in suis adversarijs. Verum est, Ant. senensem, illum inter Provinciæ Daciæ, alterius à Provincia Hungariæ, (ut liquet ex S. Ant.) alumnos recensere.

P. Nemethi Ant. Sene. in Bibliotheca. S. Anthon. 3. p. hist. tit. 23. cap. 11. parag. 13. Sixtus Senen. in bibliothl. 4.

Fr. Ioannes Dominici, cujus non semel gesta recenset hæc historia, patria Florentinus, Archiepiscopus Ragusinus, & Cardinalis delatere Legatus in Hungariam, in qua & mortuus est, S. Antonini Archiepiscopi Florentini præceptor, vir sanctitate, scientia, & eloquentia insignis; tantaq; ingenij solertia, & memoriæ tenacitate præstans, vt ipse in libro, quem Luculam noctis inscripsit, interposito juramento affirmet, se in nulla scientia præceptorem habuisse, sed exemplo Augustini omnes

perse-

perfectum disciplinas philosophicas, mathematicas, legales, theologicas edidicisse, & penetrasse. Hic Doctor celeberrimus elucubravit inter alia,

Commentaria in { *Ecclesiasten*, *Cantica Canticorum*, *Euangelium Matthæi vsq; ad caput XIX.* *Canticum Magnificat*, *Epistolam ad Romanos.* }

Reliquit etiam *in Psalmos Conciones quinquaginta*, quas Florentiæ in Ecclesia Cathedrali à Dominica septuagesimæ vsque ad feriam tertiam Paschæ, ad populum habuit.

Librum de Charitate super cap. 12. prioris Epistolæ ad Corinthios, qui incipit, *Si linguis hominum loquar & coet.* 44. circiter sermonibus digestum, elaboravit.

Itinerarium edidit, in quo Psalmi, & Cantica Canticorum explicantur.

Luculam etiam noctis conscripsit, in qua validè invectus est contra Christicolas illos, qui pene contemptis divinis oraculis, & ecclesiasticis libris, nimio studio, & cultu gentilium libros evolunt.

Præclarissimis illum laudibus S. Antoninus ejus discipulus commendavit. Et inter alia de ejus prædicatione, ita dicebat *Prædicauit eximiè Quadragesimis multis, Venetijs, Florentiæ permaximè, & alijs Ciuitatibus, de diuersis materijs. Et inter alia, vna Quadragesima Florentiæ in Ecclesia Cathedrali omnes Regulas Iuris, quæ habentur in Libro Sexto, bis dictim de prædicauit cum magno concursu audientium, vnam de mane, aliam de sero proponendo cum The-*

mate Euangelij, vel Epistolæ currentis, admirantibus cunctis. Subdit post alia, quæ quasi prædicandi regula possint Concionatoribus deservire.

Exhibebat autem in materia, & modo euangelizandi, magnam grauitatem, & quasi majestatem. Vox ejus sonora quasi tuba, nec extollebat, nec supprimebat, sed valde imprimebat, non solùm apertè docens & delectans, sed & flectens, corda etiam obdurata emolliens. Rarissimè allegabat Poetas, vel Philosophos, cùm tamen dogmata eorum in mente haberet, vt patet in opusculis ejus: sed sacra pagina erat testimonium suæ doctrinæ, quam nouis, & miris expositionibus decorabat. Vitiorum rigidus, sed honestus objurgator, & cæt. quibus sanctus ille pro sancto laborans, excelsis illum laudibus jure deprædicabat.

Fr. Ioannes Stoicus, Ragusinus, de quo etiam inter Cardinales, & Episcopos diximus, Magister fuit in Philosophia, Theologia, Sacraq; Scriptura eminentissimus, qui propterea in Basiliensi Concilio, cùm adeptum auspicandum, tùm in disputationibus contra hæreticos, consultationibus, legationibus magni ponderis, adhibitus fuit. Nam cùm Eugenius IV. Julianum, Sancti Angeli Cardinalem Diaconum, Apostolicæ sedis Legatum in Germaniam destinasset, sacram œcumenicam Synodum Basileæ, ex præscripto Concilij Constantiensis de celebrando generali Concilio post lapsum quinquennij, eo fine indictam, vt in ea ageretur de moribus fidelium reformandis, & Hussitis, qui totam fere Boëmiam occupauerant, compescendis, celebraret, eiq; nomine suo, & Apostolicæ sedis præsideret, idem Cardinalis, dum Præ-

Exeunte anno 1431. n. 10.

latos,

latos, & Principes opperiretur, Ioannem Polemarium, Iuris Pontificij Doctorem, Sacriq; Palatij Apostolici Auditorem, & Fr. Ioannem Raguſæum S. Theologiæ Professorem, Ordinis Prædicatorum tunc Procuratorem Generalem, Basileam, qui Concilium auspicarentur, ante se præmisit. Qui die Iovis 19. Iulij, anno 1431. Basileam venientes, die 23. ejusdem mensis, omnibus Ecclesiasticis personis tàm extraneis, quàm intraneis, convocatis in Capitulo majoris Ecclesiæ Basileensis, authoritate Apostolica, Iuliano Cardinali Legato, à fœlicis record. Papa Martino V. à superstiteq; Eugenio IV. Pont. facta, & ab eodem delegante vtrique concessa, veluti *Præsidentes*, Concilium incohaverunt. Ioannes Raguſæus, sumptis pro themate illis verbis, *Venit Angelus testamenti, quem vos vultis. Malach.* 3. multa de potestate, & voluntate Cardinalis Legati ad celebrandum Concilium; præterea necessitatem hujus Concilij plurimis ostendit, vteq; omnes animis, & consilijs adessent, Remq; publicam Catholicam juvare non negligerent, admonuit. Sacris de more absolutis, decreverunt singulis quintis ferijs pro communibus Ecclesiæ necessitatibus celebrari, ac interim alios Prælatos expectari. Sic itaquè ab ipso anno Christi 1431. cœptum Concilium, & ad 1449. vsque perductum. & sanè à principio vsq; ad annum 1436. legitimum fuit: sed deinceps, erecta cervice adversus Sum. Pontificem Eugenium IV. cujus authoritate contemta, eo deposito, alium non *Papam*, sed Antipapam, Amadeum Ducem Sabaudiæ, Felicem vocans, suppositit, in Sathanæ Synogogam, *Basilea basiliscum*, vt

S. Anton. 3. p. hist. tit 22. c. 6. par. 4. in fine

pulchrè

pulchre ait S. Antoninus, *pariente*, degeneravit. Dùm legitimum esset, strenuam in illo operam navavit noster Fr. Ioannes, per octiduum anno Christi 1433. Hussitis, quoad necessitatem communionis sub vtraque specie, confutatis. Quam rem, quoniam scitu digna est, dabo ex bonis authoribus apud Fernandium in Concertatione Prædicatoria, & ex ipsis actis Concilij Basileensis juxta Binianam editionem, Annaliumq; Conditore. Bohemi Hussitæ, impetrato salvo conductu ab omnibus Principibus, & civitatibus, per quorum ditionem erant transituri, die 4. Ianuarij anni 1433. Basileam, quo tempore Synodus apud Fratrum *Prædicatorum* ædes convenerat, pervenerunt. *Porrò* inter cæteros præcipui nominis Hussitas, celebris habebatur Ioannes de Rokizana, concionator, & *Pseudoapostolus Pragensis*, quo omnium nomine, diem, vt audirentur, postulante, decima sexta ejusdem mensis fuit destinata. Ipsa igitur die, Rokizana articulum de communione sub vtraque specie vsque ad diem tertiam proposuit, horis antemeridianis. Secundò Nicolaus Taborita, articulum de publicis peccatis corrigendis, per biduj tempus in medium protulit. *Post hunc*, Vdalricus Præsbyter Orphanorum, tertium articulum de libera prædicatione verbi Dei, duobus etiam diebus proposuit. IV. denique articulum de civili dom. Clericorum triduo Petrus Rayne absolvit. ij verò suarum disputationum copiam in scriptis sacro Concilio fecerunt, gratias agentes, quòd audiri meruissent; quamquam tres posteriores nihil veri fuerint, Ioannem Vvielephum, & Ioannem Hus, quos jam Eccl. damnaverat, Doctores

Fern. in Concer. anno 1433. Æ. Sil. Cod. Basiliensis. to. 4. Conc. Bzovij anno 14 3. n. 59.

evan-

evangelicos (quod etiam de de ſuis magiſtris faciunt noſtri temporis hæretici) vocitare. Iam res poſtulare videbatur, vt Boemis reſponderetur; quare Fr. Ioannes noſter Raguſinus, ſurgens in medio Concilij, facultatem privato nomine reſpondendi ſibi concedi, clara voce popoſcit. Annuente Sacra Synodo, per octo dies ad primum articulum, horis antemeridianis, vberrima profundiſſimaq; diſputatione reſpondit. Deinde reſponſit ad ſecundum articulum inſignis Theologus Aegidius Carlerius, Decanus Eccleſiæ Cameracenſis, per dies quatuor. Ad tertium articulum Fr. Henricus Kalteiſen, Confluentinus, Ordinis etiam Prædicatorum, in celebri Colonienſi Academia S. Th. Profeſſor, & hæreticæ pravitatis Inquiſitor, vir doctiſſimus, per dies tres. Ad quartum poſtremò, Ioannes Polomarius præcitatus. Extant ſingulæ Diſputationes impreſſæ tomo quarto Conciliorum ex editione Biniana. Eſt vero illa Ioannis noſtri ad juſtam libri menſuram, quam tamquam profundam, præcelſam, & veram, Aegidius Carlerius in eodem Concilio meritò commendavit. P. etiam Franciſcum Amicum, è Societ. Ieſu Doctorem Theologum, & in Græcenſi Academia olim Profeſſorem primarium, virum pietate, humanitate, eruditione, editisq; libris præclarum, eandem non ſemel muris laudibus prædicantem audivi. Habuit etiam Ioannes ab eodem Concilio legationem ad Joannem Paleologum, Græcorum Imperatorem. Scripſit Doctor ille inſignis, præcitatum opus *contra hæreſim Boemorum de Communione ſub vtraque ſpecie,* *Quodlibeta Theologica,*

Antō. Sen. Plodio Fernãdez.

Sermones de tempore.

Ambro Fo Taegio p.p. manu. Ord. Fern. ad Senen.

Fr. Iulius Dalmata, in ſcholaſtica diſciplina, & ſcriptura ſacra ingenuè verſatus, reliquit

Commentarios ſuper XII. Prophetas minores,

Opus de Animæ potentijs. Vivebat ad annum Chriſti 1460.

Amb Gozzad lib. de ſcrip. Or. Pr. Fernād ex l. R. & Coſt verſa rum in fine.

F. Bernardus Ghetaldus, Raguſinus, genere, & moribus clarus, ſcripſit *hiſtoriam virorum Illuſtrium Patriæ Raguſinæ* circa annum Chriſti 1470.

Fr. Paulus Vngarus Vatienſis, M. Artium, & Sac. Th. Lector ſcripſit, & tranſtulit Regulam, & conſtitutiones Sororum Ord. Pred. in Hungaricam linguam de verbo ad verbum, & alicubi majoris claritatis, ac Hungarici termonis leporis gratia, ad ſenſum, anno 1474. abſolutoq; die S. Remigij, in Conventu Sigetij, pro inſula leporum.

Gozzad Fernād

Fr. Ioannes Barbeta, Dalmata, edidit *hiſtoriam Dalmatiæ* circa annum Chriſti 1480.

Cozzad Fernād

Fr. Leonardus Raguſæus, Veneti dominij ſumptibus, publicus magna cùm laude in Patavina celeberrima toto terrarum orbe Academia S. Th. Profeſſor, *volumen Scholiorum in vniuerſam D. Thomæ Summam Theologicam*, & alia *quædam opuſcula* non contemnenda elaboravit ad annum Chriſti 1480.

ex epiſtola ejus in principio lib. jur.

F. Petrus Niger, Germanus, ingenio excellens, Philoſophia, & Theologia inſignis, in ſcriptura ſacra, linguaq; hebræa egregie peritus, & declamator illuſtris, variarum Provinciarū Academias, Montepeſſulanenſem Galliæ, Salmanticenſem Hiſpaniæ, Friburgenſem, & Ingolſtadienſem Germaniæ, quarum omnium fuit S. Theologiæ Bac-

calau-

cæsaureus formatus, laboris patientissimus, discendiq; studiosus, perlustravit. Hebraicam linguam à Magistris Iudæorum in Hispania se didicisse, epistola ad Episcopum Ratisponensem *tractatui contra Iudæos* à se edito præfixa, ipse testatur. In quo libro, assumpto ex *Ps.* 117. themate, *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes*, & cæt. ostendit 1. Christum in primo suo adventu venturum fuisse in statu paupere, non in Imperiali Majestate. 2. eundem Christum esse verum Deum, & secundam sanctissimæ Trinitatis personam, Verbum carnem factum. 3. tempus, quo Deus humanandus erat, jam præcessisse. 4. reprobandam gentem Indeorum Messiæ incredulam, paucosq; ex eis salvandos fuisse. 5. quòd Lex noua per Regem Messiam danda erat, veteri reprobata. 6. Regem Messiam de Virgine nasciturum, sacris literis fuisse prænunciatum. & singula sanè ex hæbriaca sacræ scripturæ veritate, verbis latinis ad hæbraica verba sigillatim redditis & subjectis, rationibusq; efficacibus inde deductis, & Rabbionorum ratiunculis refutatis. Quæ puncta omnia in Vrbe priùs Ratisponenti coram Episcopo, Prælatis, Consulibus, populo innumerabili, Rabbinis totius Alemanniæ nominatissimis, & magna Iudæorum vtriusq; sexus frequentia, ex ipsismet Iudæorum voluminibus, tempore paschali, sub divo, septem sermonibus, quorum quilibet trium horarum spatium occupabat, luculenter, deduxit, ac pronunciavit. Deinde verò ejusdem Ratisponensis Ecclesiæ hortatu, publicam, sive privatam, quæ in scripta redigi posset, disputationem, quatuor vel sex menses, aut integrum etiam etiam annum duraturam,

coram viris doctis, qui & veritatis agnoscendæ capaces essent, & Iudæorum numerum non excederent, doctissimis quibuslibet Iudæorum Rabbinis indixit: qui, cùm labentis anni evoluto circulo, ijs, quæ contra se erant proposita, haudquaquam respondere valerent, eos Petrus à veritatis fidei comprobationibus, victos adeòq; erroris sui falsitati protervè adhærentes, vivis publica concione coloribus expressit. Rem gestam narrat Petrus ipse eodem libro, quem Ratisponensi Episcopo nuncupatum typis mandavit anno Christi 1475. in Eslingens, Villa imperiali, extatq; in nostra Viennensi bibliotheca. Cui ingeniosè ad thema assumptum, nomenq; suum alludens, tetrastichon etiam istud adjunxit.

O fidei Petra, nunc lustra lumina Petri
Nigri, vel tetri, queat vt caligine tetra
Judaicæ gentis dissipata, Cunctipotentis
Pandere virtutem Patris, mundiquè salutem.

Tanti Viri fama, & celebritate permotus Magnus ille Matthias Corvinus, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, cum per *Fr.* Andream Dalmatam Jadrensem, S. Th. D. Regis Sacellanum, & Reginæ à Sacris Confessionibus, ac denique Modrusiensem Episcopum, Herbipoli Budam accersendum curavit, vbi instituta, vel designata apud Fratres Prædicatores cunctarum scientiarum Academia, Petrum ei præfecit. Quod Petrus ipse eidem Regi scribens commemorabat. *Audenter id dixerim, te vnam omnium esse Christianorum spem, te solum oppressu ab truculento Turca præsidium, te periclitanti Apostoli Petri naviculæ vnicum portum existere. Nec tantùm armis, ac viribus populum tuum, Cele-*

berrime

herrime Princeps, splendidum reddere, tutumq; atq; tranquillum servare desudas, sed industria, & censu, magnaperè curas enim bonis artibus, & litteris adornare. Instituisti namquè hac Civitate Buda, florentissima Regni tui sede, apud Predicatores Ordinis Fratres universale gymnasium, ubi cuncti generis disciplinæ, Philosophiæ, Theologiæ, sanctæq; Scripturæ, ubertim possit, quod quisque cupit, haurire. Operi verò tàm pio, tàmque mortalibus profuturo, non solùm originis & fundamenti unicus author existis; sed gratiæ quoquè, & authoritatis, conservationis, atq; proventus, benignus es semper indultor. Præceptores namquè, & qui regendo studio præsidentes habentur, aurum quotannis abs tua Majestate affluenter excipiunt. Scholaribus verò ipsis, conservis meis, cibos, vestimenta, lectos, & quæ hominibus per diem, ac noctem opportuna sunt, abundè largiris. Præseferunt namq; hæc in omnes beneficia tua; te Regem clementiæ, & bonitatis esse, demonstrant, sapientiam, humanitatem ostendunt, munificentiamquè declarant. Ad cujus dignissimi Studij incunda principia, ex Herbipoli Germaniæ Civitate, evocatus sum per Ven. Virum Fr. Antonium Jadriatinum, in Ordine meo doctrina, atquè Religione præstantem, quem antea & tuæ Majestatis Regiæ Capellanum, & Illustrissimæ Reginæ Beatricis ornatissimæ, amantissimæquè Consortis tuæ Spiritualem Patrem, & Confessorem cognoveram, nunc verò electum, tuæ Clementiæ gratia, in Modrusiensem Antistitem perjucundè cognosco. Jam data sunt rei exordia sua, & Summo opitulante Deo, dulces litterarum fructus carpuntur in dies, ut nimirum queas & quidem pulchrè cum Sanctissimo Apostolo dicere, Ego plantavi, rigarunt præceptores, Deus verò incrementum dedit.

Eo ipso tempore, & occasione, opus edidit, quòd *Clypeum Thomistarum* inscripsit, Regiq; dicavit, planè eruditum, & insigne, in quo subtilissimè æquè ac vberrimè, logicæ, physicæ, metaphysicæ, theologicæquè difficultates, ex sinceriſſima, miraq; Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis, ejusque veterum discipulorum doctrina expediuntur, elucidantur, & adversus impugnantes quoscumquè defenduntur. De hoc volumine ad Regem author ipse memorato loco subdebat. *Ego qui tanti Gymnasij, quam vis indignè, ago Regentem, & caput nuncupor, atquè Magister, dicabo tibi mentem, animumq; meum, quo præstantius habeo nihil, adjiciamq; omnes operas meas, industriam, atq; labores. Librum igitur quendam abhinc noviter editum tibi dedico, cui conficiendo plurimum contuli studij, plurimùm sudoris, atquè vigiliarum. Inscribo codicem Clypeum Thomistarum, ea potissimum ratione, quod D. Thomæ Aquinatis singularem incomparabilemq; doctrinam adversus impugnantes quoscq; defendo.* Liber Venetijs, anno Christi 1481. prodijt in lucem. Videbitur alicui ex præmissis à Petro, (nec sine causſa) Magnum, Regem Matthiam formalem Vniversitatem Budæ apud Prædicatores vel fundasse, vel saltem ejus initia dedisse. Nec ille, postquam Regina Beatrix Neapoli in Hungariam advenerat, maximum studium erga Religiones, vitæquè cultum, & litteras adhibuit. (nam, si Bonfinio credimus) *ex Italia Grammaticos, Poetas, Rhetores invitavit, Pannoniam alteram Italiam reddere conatus: viros quaquè arte præstantissimos undiquè disquisivit, conduxit Astronomos, Medicos, Mathematicos, Jurisqueconsultos dilexit, nullam artem contempsit un-*

Bonfin. dec. 4. lib. 1.

quàm

quàm. Bibliothecam ſtatuit, miram græcæ & latinæ linguæ fœcunditate completam, cultus quoq; librorum luxurioſiſſimus. Cùm enim Vniverſitates litterarum, ſtudiorumquè ſint officinæ, & in Italia tunc etiam plurimùm florerent, qui etiam ſtudiorum cultu voluit Hungariam Italiam efficere, credendum eſt, Vniverſitatem, vel inſtituiſſe, vel datis initijs inſtituere decreviſſe. Fuiſſe illum ad litteratos, in primis verò Academicos maximè, propenſum, etiam illud teſtatum reddit, quòd vbi Viennam bello cepiſſet, clementiſſimè ſe erga eoram geſſit Academiam, vt ex narratione libri ſecundi Procuratiæ Inclytæ Nationis Auſtriacæ ejuſdem Academiæ (quem percurri, dùm anno Chriſti 1635. indignus Procurator exiſterem) fit manifeſtum, ea eſt: *eodem anno* 1488. *die Conceptionis Mariæ, tota Vniverſitas ad Matthiam Regem Hungariæ ivit, & petivit confirmationem Privilegiorum, & Stipendiorum, ad quam D. Rex ſtatim reſpondit, & ſe voluntarium obtulit, & dixit magnas gratias Lectoribus de eorum deligentia, & porrexit Magnificis Doctoribus, & Magiſtris manum ſuam, ſuſcipiendo, & benedicendo; fecitq; intrare omnia ſuppoſita ad magnam ſtubam, vbi Vniverſitas audientiam ſubivit, & fecit orationem D. Doctor Joannes ex Salisburg.* Vbi, & quo anno Petrus Niger ex corporis vinculis euolaverit, non reperio. fol. 8. pag. 2.

Fr. Petrus Ranzanus, Siculus Panormitanus, Epiſcopus Lucerinus, vir magnus, trienniumquè Legatus in Hungaria apud Matthiam Regem, plura fertur ſcripſiſſe, & inter ea,

Quatuor volumina de ſcientijs vniverſis ſpeculabilibus,

practicis

practicis, geographicis, historia. Vitam S. Vincentij Ferrarij, Ord. Prad. tribus libris distinctam.

Librum de Vrbis Panormitanæ antiquitatibus.

Annales omnium temporum.

Scripsit etiam librum ad Matthiam Regem *de rebus Hungaricis* in Hungaria existens, qui cùm alijs aliorum authorum de rerum ejusdem Regni tractatibus impressus fuit cura Præclari Viri Joannis Sacobuci Tyrnaviensis: estq; , ipso Sambuco teste, LXI. liber, sive volumen eorum, quos omnium temporum scripsit annalium: unde & Ranzanus in hoc libro de reb. Hung. alios libros priores, vt XLV. &c. solet referre. Sic verò Sambucus Ranzanum commendat, vt nulli rerum Hungaricarum scriptori, ne ipsi quidem Bonfinio, qui præcipuus habetur, postponat, nam in Epistola, operi Ranzanì præfixa ad Maximilianum Regem, ait. *Ille verò Author Ranzanus per indices quosdam Regum à Beatrice sibi Vienna datos, ex ysdem, vnde Bonfinius sua descripserat, et addidit, vt qui de rebus Hungaricis aliquid prodiderunt, nulla ex parte sit postponendus. Etenim hac brevitate cuncta eleganter est complexus, ac nihil, quod in historia requiritur, ysquam omisit. Atquè hoc nomine hic scriptor vel præcipuè commendandus: quòd aliqua in hoc genere vel interrupta, vel neglecta librariorum incuria cùm sint, hunc omnium admoneri, & non parùm, ad sinceram, & integram veritatis cognitionem juvare queamus. Non deceat tamen Bonfinius ipse negligendus, qui amplissimè res quoquè externas prosequutus est. Sed ob brevitatem hic etiam commendabilis, & in quibusdam omninò præferendus. Qui cùm diù latuisset (vti adhuc reliqua ejus desi-*

deside-

derantur, quippe qui annales omnium temporum alios LX. & hunc LXI. & vltimum reliquerit) à me opera quorundam amicorum denique lucem aspicit: dignus, qui ante Bonfinij natalem apparuisset. Joannes etiam Listhius, sic cecinit de Ranzano.

Claros Pannonij soli triumphos
Bello, paceque splendidè peractos
In compendia digerens, latebat
Multos Razanus hic Petrus per annos:
Dignus, secula quem legant in ævum,
Laudent, concelebrent, ament, honorent.

Leand. in desc. Italiæ Fazzellus in decad. de reb. Siciliæ Porcatius in descrip. ejusdè Insulæ. Plo. p. 2 an. 1492. Ferm. p. 411. Plo. ibid. an. 1496. Ferm. p. 410. ex lib. ejus de Prædestin.

Obijt provecta ætate in Episcopatu suo Lucceriæ, anno Christi 1492. omnium lacrymis in funere cohonestatus. Scribunt de illo etiam Leander Alb. Thomas Fazzelus, Thomas Porcatius, Plodius, Fernandius.

Fr. Paulus Ligur Monclensis, Episcopus Chiensis, Nuncius Alexandri VI. Su. Pont. in Hungariam, vbi cùm summa pietate Budæ ex hac luce migravit. Reliquit posteritati in omnes libros Sac. scrip. tàm veteris, quàm novi testamenti, postillas eruditissimas sub an. 1496.

Fr. Nicolaus de Mirabilibus, ex Transylvania Claudiopolitanus, hodie Colosuarinus, S. Th. Doctor, & Professor, Apostolicus Prædicator, & Hæreticæ pravitatis Inquisitor per totum Regnum Hungariæ, scripsit anno Christi 1493. tractatum subtilem & eruditum de Prædestinatione ad Joannem Schellenberg, Regium Cancellarium, occasione concionis à se habitæ in solemnitate na-

calis S. Joannis coram Rege Vladislao, Matthiæ Succeſſore, in qua de eodem argumento diſſeruerat. Scripſit etiam opus aliud de Vera fœlicitate ad eundem Regem Vladislaum, cujus idem author meminit ad calcem præcitati libri de Prædeſtinatione.

Fr. Thomas Vius Cajetanus, ex Gen. Ordinis Præd. S. R. E. Cardinalis, inſignium, plurimorumquè commentariorum in *Philoſophiam, Theologicam D. Thomæ Summam*, cujus primus fuit expoſitor, (interpres propterea D. Thomæ per antonomaſiam à magnis viris vocitatus) ac in *totam Sac. Scripturam*; *aliorumq; præſtantiſsimæ eruditionis librorum de varijs rebus*, pro temporum neceſſitatibus, ſive ſponte, ſivè à magnis viris ex tota Europa ſæpiſſimè interpellatus, Summorum etiam Pontificum commiſſione, conſcriptor. Qui Schiſmaticorum in *Piſano* conciliabulo congregatorum audaciam, *editis doctiſſimis de Summi Pontificis Primatu, & authoritate, lucubrationibus*, fregit, atquè diſſecit: & *adverſus Lutheranos, de fide, & operibus, Sanctorum invocatione, miſſa, communione, confeſſione, ſatisfactione libris*, vel ab ipſo Fraſiano Lutheranismi fautore, de ſolidicate, & modeſtia commendatis, Eccleſiam Catholicam defendit. Hungariam quin etiam nobiliſſimis ſcriptis nobilitavit; cùm enim Legatus de Latere ab Adriano VI. ad illam miſſus fuiſſet, *Summulam de Peccatis*, Poſonij, quæ Vrbs eſt Hungariæ transdanubianæ prænobilis, octo germanicis milliaribus Vienna diſtans, perfecit, vt author ipſe ad illius finem fatetur. *Sit*, inquit, *Omnipotenti Deo laus, & gloria, pro perfecta vtcumq; hac Summula inter Hungaricæ legationis diſcrimina, Poſonij in die S.*

Cæcilia, anno salutis 1523. ætatis autem meæ quinquagesimo quinto. Amen. Est liber planè aureus, gemmeusq;, summis laudibus à doctis omnibus celebratus. Sapientissimum Magistrum meum, F. Petrum Ledesmium, Vespertinæ Theologorum cathedræ Salmanticæ moderatorem, magni nominis virum, librorumq; multorum authorem clarissimum, cùm semel publicè in scholis prælegeret, & per schedulas circa lectionis dimidium (vt moris est in Hispania) de variarum rerum dubitationibus interrogaretur, illudq; quispiã disquisijsset, quid de Summula casuum Cajetani sentiret, sic respondentem audivi: *adeò insigne opus esse, vt si nihil aliud tantus Cardinalis edidisset, pro eo solo dignus immortalitate, & de Ecclesia Dei optimè meritus esset.* dicebat etiam, *si quotquot Doctores suo tempore extabant, jungerentur, vt summam aliquam conficerent, nihil Cajetanica simile effecturos.* addebat: *omnes cæterorũ authorum summas, etiam suam tomis duobus comprehensam, quisquilias esse, si ad Cajetani Summulam comparentur.* Denique, *par esse, cunctos adeò illius esse studiosos, vt memoria hanstam haberent.* In Hungaria præterea Cajetanus egregium illud *opus* dictavit *duodecim lentaculorum*, in quo loca varia Novi testamenti difficiliora, per quæstiones doctissimè subtilissimeq; explicavit. Curi entacula vocaverit, aperuit ipse in ejus libri ad Clementem VII. Pon. M. epistola dedicatoria. *Sapientiæ diuinæ, Clemens septime Pon. M. mensam post perfectam peccatorum summulam instruere, cùm Hungaricæ peregrinatio vetaret: ne jejuna omninò mens manusque transiret, jentacula quædam parare curaui. Absq; ordine siquidem, & delectu, occurrentes nonnullæ per*

Fui sub ejus disciplina Salmãtica anno 1613. 14. 15. 16.

nouum teſtamentum ſententiæ litterali ſenſu hic declarantur. 1. 2. & 3. ſentaculum Poſonij : 4. in celeberrimo P. P. Benedictinorum monaſterio S. Martini de ſacro monte Pañoniæ, à Stephano I. VngariæRege fundato: à S. usq; ad 11. Budæ: 12. in regreſſu ex Vngaria, vt in ſingulorum fine patet, apparavit. Id enim inter cætera dona inſigne tanctus vir habuit, vt etiam magna negocia tractans, & in ipſis itineribus conſtitutus, adhuc de rebus graviſſimis, ac difficillimis, libros optimos (vnde & commentaria ſuper 2. 2. D. Th. in ipſa Ordinis viſitatione Gen. Mag. elaboravit) cõſcribere poſſet. Miræ ſunt laudes, quib' vivens, & poſt mortem, à viris maximis eſt celebratus, è quibus placet nonnullos referre, vt appareat, quanto Hungaria ſole fuerit colluſtrata. Ferunt, cùm in Romana deprædatione ab improbiſſimis latronibus captus fuiſſet, à magno viro illis ſic imperatum: *Ne extinguatis lumen Eccleſiæ.* Franciſcus Ferrarienſis, ille, qui libros S. Thomæ contra gentiles nobiliſſimis commentarijs elucidavit, ita ait. *Thomas Cajetanus omnium ingenioſiſſimus hominum, & Cardinei conſeſſus, nedùm familiæ noſtræ inſigne ornamentum.* Bartholomæus Spina, Sac. Apoſtolici Palatij Mag. *Thomas Cajetanus, poſtremus quidem tempore, ſapientiæ verò ac vitæ ſplendore his diebus nulli ferè ſecundus.* Sixtus Sen. *Thomas Vius, Cardinalis tit. S. Sixti, Ordinis Prædicatorum, natione Italus, patria Cajetanus, ejus denique Vrbis Epiſcopus, vir tàm vitæ ſanctimonia, quàm ingenij præſtantia illuſtris, ſubtiliſſimus Dialecticus, admirabilis Philoſophus, & Theologus incomparabilis, & inter eruditiſſimos ſui ſeculi longè eruditiſſimus.* Bartholomæus Medina, Primarius Sal-

Franc. Ferrar. præfat. in Com. S. Th. ad Cap. 7.

Bartol. Sp. præfat. ad

manti-

manticensis. *D. Thomam proximè insecutus est Cajetanus, doctrinæ D. Thomæ defensor acerrimus, flos ingeniorum omnium, vir ingenio, prudentiaq. acutissimus. &: Hoc solo nomine magnum nomen promeritus est Franciscus Victoriæ, quòd Cajetani sensum, & mentem, in aperto, & quasi ob oculos posuit, quod sanè difficilius puto, quàm clauum de manu Herculis eruere. Nam in hoc authore difficilius videtur benè illum exposuisse, quàm selectissima, & pulcherrima inuenisse.* Dominicus Bannez etiam Primarius Salmant. de Alphonso à Castro, & Prateolo, Cajet. oblocutoribus, illud vsurpabat, *Leoni mortuo etiam lepores insultant.* Dominicus etiam Gravina, Thomam Cajet. *florem ingeniorum* sæpè vocat. Flavius Aquilanus, qui XVII. annos eidem Cardinali fuit à secretis, & vitam illius, soluta, ligataq; oratione scriptis consignavit, in oratione parentali ad Cardinales ait. *Thomæ Cajetani matrem, castissimam fœminam, inter alia, D. Thomam Aquinatem puerum docere, atq. ad cœlum vsq. gestare, per quietem vidisse, satis constat.* & de illius sanctitate. *Patres Amplissimi, cùm satis signorum, atque miraculorum habeatis, quid tandem cessatis hunc hominem verè Sanctum in album Sanctorum ascribere? atque illi meritos honores decernere? nùm ad probandum illius hominis sanctitatem sunt nobis trecentorum annorũ testimonia requirenda? Non dubito, si nunc cessatum fuerit, aliquando tamen tantæ virtutis habendam esse rationem. Non patietur posteritas tantam virtutem inhonoratam jacere.* Martinus ipse Lutherus hæresiarcha, tanti viri doctrina, & argumentorum acumine prestrictus, sic ad eum supplex aiebat. *Reuerendiss. in Christo Pater, cùm diuino*

Comm. Cajet. in 22. Six. Sen. li. 4. bibl. S. Barch. Med. Præfat. ad t. 2. D. Th. Dom. Ban. 1. p. q. 2. a. 3. Grav. t. 3. par. 1. p. 317. ex tat Oratio Flavij to. 19. an. Exo. in fine.

munere-

munereſis unus inſignitus dotibus, præſertim judicij acrimonia donatus, rogo humiliter Reu. Tuam Paternitatem clementiſsimè mecum agere. Nec opponas, Gabrielem Prateolum, & Alphonſum à Caſtro in ſuis catalogis inter hæreticos Cajetanum aſcripſiſſe, id enim per ſummam injuriam factum adverſus virum ſanctiſſimum, & de Catholica Eccleſia, opere, ſermone, ſcriptisq; optimè meritum, Bzovius, & Gravina comprobarunt. Clamat enim contra hujuſmodi authores ſolemne illud D. Auguſtini contra Manicheos, etiam in canones relatum. *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atquè perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed à ſeductis, atque in errorem lapſis acceperunt, quærunt autem cautâ ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* Item: *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid pravumque quid ſapiunt, ſi correcti, ut ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaq; peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt. & : conſtituamus aliquem ſentire id de Chriſto, quod Photinus opinatus eſt, exiſtimantem ipſam eſſe Catholicam fidem: nondum illum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholica fidei, reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat elegerit.* Quam enim unquam Cajetanus ſingularem opinionem pertinaci præſumptione defendit, qui omnia ſua ſcripta, & dicta, judicio ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ ſemper ſubjecit, paratus ex animo retractare, nedum ſi illa aliter ſentiret, ſed ſiquis etiam privatus certiora, verioraq; docuiſſet? Neque is retractationum

Tomo 5. operum Lutheri, in actis Auguſtanis.

Bzov. an. 1534. n. 96. Grav. to. 3. præſ. 5. p. pag. 317.

Aug. ep. 162. al. 74. ſi. 3. Univ. Apoſtol. lib. 4. contra Donat. ſum c. 20.

com-

commentarium, exemplo D. Augustini, erat neglecturus, nisi mors illum præmatura sustulisset, vt auctor grauissimus Gravina, testatur.

Videbitur nonnemini, eorum etiam, qui Principum à sacris Confessionibus in Hungaria extiterunt, me catalogum contexere debuisse. Feciſſem sanè libentissimè, nisi hujusce rei, vt & aliarum multarum notitiam, exactiorem, tùm temporum injuria, tùm scriptorum incuria nobis abripuisset. Alioquin & in hac parte nostros laude haud exigua floruisse, vel ex eo constare possit, quòd Ordo Prædicatorum in eo Regno doctrina, & sanctitate, quæ ad id muneris apprimè desiderantur, cum primis floruerit. Illoque præcipuè tempore, in spiritualibus ejus operam Principes non minimini facere solerent; atq; in alijs, (etsi per transennam) ejus rei vestigium aliquod etiamnum conspiciamus. Nam Cumanos Principes, Ordinis nostri primitias ex gentibus, peccatorum exomologesin fratribus peregisse; Fr. Gerardum, virum sanctissimum, Mariæ filiæ Imper. Græcorum, Belæq; IV. uxoris; & Fr. Antonium Iadrensem, Episcopum deinde Modrusiensem, Beatricis, Matthiæ Corvini Regis conjugis, Confessarios fuisse, superiùs ex antiquis monumentis descripsimus.

DE REBVS HVNGARICÆ Provinciæ Ordinis Prædicatorum.

PARS III. LIBER QVARTVS.

DE MVNERIBVS, PRO Ecclesia, Regnique Hungarici bono ab hominibus Ordinis Prædicatorum susceptis.

EGregiè Sacrum Prædicatorum Ordinem intra Hungaricum Regnum, & extra, pro Ecclesia, eorumq; ejusdem Regni bono laboratâ, primum, & in signia, Apostolicarum primus Scriptus, ab eo suscepta, fideliterque numera pertractando declarare nos, quanta allegandarum diligentia, ex Annalibus Ecclesiasticis, atque aliis sinceris monumentis, servata annorum fere designatione.

Anno Christi 1221 Honorius III. datis literis Apostolicis Beato F. Paulo Hungaro, S. P. Dominici Discipulo,

primo

primo Hungaricæ Provinciæ Prōvinciali, & Fundatori, ac ſocijs, eos pro felici in patria ad majorem Dei gloriam, ſalutemq́; animarum, Ordinis Prædicatorum erectione omnibus commendavit. Harum literarum meminit hiſtoriola quædam Con. Viennenſis M.S. ad ſecundam ſecundæ Ang. Doctoris, ſub primam typographiæ infantiam in membrana exaraſam.

A ñō Chriſti 1232. Cum Boſinæ (olim Dardania) & Dalmatiæ maximis agitarentur erroribꝰ, populos hæreticis ſeducentibꝰ, ab Honorio III. Pōtifice Maximo Colocenſis Antiſtes illuc Legatus miſſus eſt, vt ſeu ſuaſionibꝰ, ſeu Crucеſignatorum armis ad ſanam mentem redire compelleret. Sed cùm nec verbis, nec armis ab erroribus ſuis avelli poſſent, rem prorſus deſperatam, juſſu Pontificis, Prædicatorum familiæ commiſit Antiſtes. Qui Pontificis juſſa diligenter, & intrepidè perficientes, cœperunt diſceptationibus literarijs, & concionibus, hæreſeos labe inquinatos jàm acriter urgere, Colomanno Rege aſſiſtente, vt plures coegerint à tenebris ad verum fidei lumen redire. Verùm unicio ex Fratribus plures, dum conſtantiſſimè fidem Chriſti tuerentur, Martyrio coronati ſunt. Tandem pede firmato, multos erroribus implicitos, & in ſua perfidia obſtinatos igni tradiderunt, deinde Fratrum opera, templa deſtructa, ſpinis, fruticibus, virgultis oppleta, ſunt inſtaurata

XI. Leand. l. 2. p. 59. Bzov. anno 1222. n. 10. Malv. eod. an. c. 2.

An. Chriſti 1233. apud eandem Bosnam, Provinciam Hungarico Regno ſubjectam, Dux regionis illius Nicoslaus opera fratrum Prædicatorum per id tempus hæreſim ejuraverat, & in Fide Orthodoxa ſe perſeveraturum

XII. Bzovius anno 1233. n. 14.

ex ep. 293. & 294.

sanctè spoponderat, dato filio obside in manus eorundem Prædicatorum, cui vehementiùs metuebat, ne à Rege Hungariæ feudi jure exveretur. Consuetudo enim obtinuerat, vt Rex Hungariæ ejusmodi jura hæreticis abrogaret, & recèns ad fidem conversis pro voluntate sua concederet. Cum autem Nicolaus multis argumentis fidem suam Ecclesiæ probasset, scripsit Gregoris IX. Regi quidem, vt ex ea laudata consuetudine benignè se erga Ducem, atquè filium in feudo concedendo, seu conservando haberet. Fratribus autem Prædicatoribus, vt filium ejus obsidem Patri restituerent, cum de ejus fide nulla dubitatio amplius remaneret.

III. Rzovii anno 1234. n. 11. ex ep. Greg. an. 8. Pontif. 282. Raynal. Nauclr.

Anno Christi 1234. Cùm fratres Prædicatores ex Hungaria vnà cum B. Paulo Hungaro excurrentes, magnos profectus Fidei Christianæ apud barbaros illos fecissent, monebat Greg. IX. Pont. suggerentibus iisdem Prædicatoribus, Belam Regem Hungariæ, vt ad imitationem majorum suorum, recèns conversis Cumannis, & Episcopo eorum, nuper à sede Apostolica Prælato, Ecclesiam aliquam Cathedralem erigendam designaret, ædificaret, atque proventibus assignatis locupletaret.

V. Rzov. anno 1238. n. 4. ex epist 233.

Anno Christi 1238. Greg. IX. scripsit Provinciali Hungariæ Ord. Prædicatorum, & Ministro Ordinis Minorum Prov. Strigoniensis, vt vota Crucesignatorum pro subsidio Terræsanctæ facta, in jam contra Alanum, Dominum Bulgarorum, hominum hæreticorum, atquè schismaticorum, expeditionem susceptam, commutarent, & contra eundem piam militiam Christi signo insignirent. Scripsit in eandem rem Belæ Regi Hungariæ, vt

arma

arma in Asanum schismaticum, & hæreticum susciperet: quæ etiam ex eo caperet, ea sub jure retineret.

Eodem anno, Priori, & Fratribus Ord. Præd. diœcesis Quinq; ecclesiensis, vt in ædificatione Cathedralis Ecclesiæ Bosnensis, & in propagatione, atquè defensione Fidei Catholicæ, Ecclesiæ Episcopali Bosnensi assisterent, præcepit. *Bzov. ibidem ex ep. 211.*

Anno Christi 1239. Gregorius IX. Provinciali Hungariæ Ordinis Præd. mandavit, vt Fratres suos ad prædicandum schismaticis, & hæreticis Bosnensibus mitteret. *VII. Bzov. anno 1239. n. 11. ex ep. 175.*

Anno Christi 1242. Innocentius IV. Fratres Prædicatores ad Bathum Tartarorum Ducem, Hungariam devastantium legavit, quibus jussu Pontificis, quamnam Religionem profiteretur, quærentibus, Christianum se esse dixit: quod ni crederent, Pontificem monerent, vt rei experimentum facturus, veniret. Cùm Fratres adderent, quamobrem in Christicolas crudeliter adeò, & immaniter desæviret, Christo suis mansuetudinem, & dilectionem ad proximos imperante; respondit: majoribus suis, sibique mandatum à Deo fuisse, vt de vniversis scelestis hominibus, cujuscunque Religionis existerent, vindicarentur. *VIII. Petrus Mat. in vita S. Lu. Regis Galliæ, li. p.*

Anno Christi 1247. Cùm Archipiscopus Colocensis maximas expensas in eradicandis, atq; convertendis Bosnensibus hæreticis fecisse assereret, ac propterea in Episcopum Bosnensem jus Metropolitani prætenderet, Innocentius IV. Episcopo Iaurensi, & Priori Albano Ordinis Prædicatorum, vt eam rem certo certiùs inquire- *IX. Bzov. anno 1247. ex epist. 155.*

rent, & ſedis Apoſt. auctoritate, Eccleſiam, Epiſcopumq; Boſnenſem Colocenſi ſubijcerent, commiſit.

X. Ezon. anno 1250. n. 4. ex epiſ. 61.

Anno Chriſti 1250. Innocentius IV. Pontif. ſui anno IIX. præcepit *Prouinciali Hungariæ Ord. Præd.* vt aliquos Fratres eruditione, ac pietate præſtantes ſubmitteret ad ſchiſmaticos in conuicinis *Prouincijs* ad gremium Eccleſiæ conuertendos; ipſis verò poteſtatem fecit, vt reduces abſoluerent.

XI. Ezon. anno 1253. n. 5. ex epiſ. 410.

Anno Chriſti 1253. Innocentius IV. univerſis, & ſingulis Fratribus *Prædicatoribus*, apud Cumanos verbum Dei prædicantibus, vt 20. vel 30. vel 40. dierum indulgentiam, his, qui concionibus eorum intereſſent, elargiri poſſent, indulſit.

XII. extat I. Prin. Or. P. Mag. Gen. F. Steph. Vſſmauris. fol. 30.

Anno Chriſti 1253. Innocentius IV. Fratribus Prædicatoribus apud Cumanos, & Hungaros, aliosq; infideles prædicantibus tale dedit diploma. *Innocentius Epiſc. Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs, Fratribus de Ordine Prædicatorum, in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Comanorum, Aethiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazararum, Gothorum, Zicicorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moſcelitarum, Tartarorum, Hungarorum majoris Hungariæ, Chriſtianorum captiuatorum apud Tartaros, aliorumq; infidelium nationum Orientis, ſeu quarumcunq; aliarum partium, proficiſcentibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum hora undecima ſit diei hominibus, vt exeant ad opus uſque ad mundi veſperam deputati, & illud Apocalipſis eulogium citò credatur cum matris Eccleſiæ conſolatione complendum, videlicet oportere viros ſpirituales, vitæ mundiciam, & intel-*

ligen-

digentiæ gratiam cum Ioanne ſortitos, populis, & gentibus, linguis, Regibuſque multis ænuò prophetare, quia non ſequetur reliquiarum Iſrael per Iſaiam prophetata ſalvatio, niſi (juxta Paulum Apoſtolum) priùs introeat gentium plenitudo: Nos, licèt immeriti, ſuper Apoſtolicæ ſedis ſpeculam conſtituti, fideliter ac prudenter diſpenſandis Dei miniſteriis, & operibus coadiuuandis, intendimus, ſi vergente plenitudine temporis, poſt pia priorum ſtudia in viam Domini Sabaoth novos, & penè noviſſimos, qui ſapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur, quos juxta profeſſæ Religionis officiũ, zelus comedit animarũ, & in quadrigæ quarta, quam variis chariſmatum donis, & fidei fortitudine trahitis, vbique diſcurrere, vexillum Regis gloriæ procul levare geſtitis, ad gentes, quæ Ieſum Chriſtum Dominum non cognoſcunt, & ad ſubtractionis filios, qui Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ non obediunt, deſtinamus; vobis in remiſſionem peccatorum omnium injungentes, quatenus ſeminaturi ſuper aquas multas, in illo tantùm, qui mundum dixit ſe vicisſe, confiſi, ad illuminationem cæteræ multitudinis, & exterminium hæreticæ falſitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos in tuæ fermonis, & certitudine operis propoſitum vobis iter ſine quorumlibet offenſione curratis. Vt autem miniſterium veſtrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, præſentium vobis auctoritate concedimus, vt in terris, quæ adhuc ſedis Apoſtolicæ Magiſterio non intendunt, proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, (non obſtante ſi aliqua ſint excommunicatione ligati) in verbis, officio, & cibo, ac in alijs ſecurè communicare, & ipſos, ſeu etiam alios, converti ad vnitatem fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ec-

clesiæ filijs valeatis: & Presbyteri ex vobis, ipos aggregatos possint insignire caractere clericali, & ipos ad Acolytatus Ordinem promouere. Liceat etiam vobis ibidem, redeuntibus ad obedientiam sedis Apost. qui sunt excommunicationeligati, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesiæ impartiri, & super eo dispensare cum ipsis, qui sacros receperunt Ordines, & diuina celebrarunt officia sic ligati: hoc ipsum vobis sit licitum circa illos de terris eisdem, qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eodem die, vel superiores, prætermissis inferioribus, conferre, seu recipere Ordines præsumpserint, (si tamen in hoc seruata talis forma extiterit, per quam Ordines recepissent:) vobis præterea dispensare liceat, vt illi ex nationibus vestræ prædicationi commissis, qui post susceptionem sacrorum Ordinum, vel in gradibus, & cognationibus à diuina minimè lege prohibitis, matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem: & hi, qui ad Ecclesiæ Cath. redierint vnitatem, vt inter suos habitent, communicent: nec non, quòd Clerici nationum ipsarum publicè ad obedientiam sedis Apost. redeuntes, gaudeant priuilegio clericali. Sit etiam vobis licitum, omnium fidelium in terris prædictis confessiones audire, ac ipsis injungere pœnitentias salutares, & excommunicatos à Canone, vel alio modo, juxta formam Ecclesiæ absoluere, dummodo injuriam, & damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earum, in casibus, in quibus solent Legati Sedis Apost. dispensare, ac etiam cum Clericis ipsarum partium, patientibus defectum natalium, (dummodo non sint de adulterio, vel incestu, aut de regularibus procreati) sit vobis dispensandi facultas. quam circa illos similiter habeatis, qui ab vnitate Ecclesiæ Cathol. seu

Religi-

Religione, vel clericali Ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, & dignè satisfacere de commissis. Ita quòd ipsi Religiosi ad sua loca, salva disciplina Ordinis, resumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt astricti, juxta præmissam formam, & prædictæ satisfactionis modum, absolvere valeatis, & cum irregularibus ex eisdem (sicut est expressum superiùs) dispensare. Ad hæc sit vobis absolvendi facultas occisores Clericorum, & religiosarum personarum, in prædictis partibus constitutos; fundandi de novo ibidem Ecclesias, & reconciliandi ipsas, quæ sunt casu aliquo propbanatæ, ac de novo fundatis rectores idoneos providendi, & illis, qui de gentibus, vel de schismaticis noviter sunt conversi, dandi licentiam, ut uxores suas, cum quibus in gradibus à lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere. De causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam vestram deferri contigerit, legitimè cognoscendi, ac discordantes inter se ad invicem, quòd ad pacem, & concordiam redeant; necnon, quid inordinatè viventes, de suis excessibus, sicut justum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram Ecclesiasticam, vobis libera sit facultas. Insuper in locis, in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus residentiam facietis, missam, & cætera divina celebrare officia, & in eisdem partibus, Coemeteria benedicere, ac dare indulgentias, commutare vota, facultatem, & licentiam habeatis. Cæterum vobis concedimus, quod à Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Ordines, & alia Ecclesiastica Sacramenta suscipere, & altaria portatilia, more ipsorum, à jam præfatis Episcopis benedicta, habere, & illis uti possitis, si contingat vos aliquo casu nostra

altariola non habere, ac vestes Sacerdotales, altaris pallas, corporalia, per eos, qui ex vobis sunt Presbyteri (cùm necesse vobis fuerit) benedicere, vbi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, nec non alia facere, quæ ad augumentum Dominici nominis, & ampliationem Cath. fidei; ac reprobationem, & irritationem illorum, qui Sacris Traditionibus contradicunt. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, apostolorum ejus, se nouerit incursurum. Datum Assisij X. cal. Augusti, Pontificatus nostri anno vndecimo.

Pier. anno 1234. n. 5. Fernandez in Conc. Prad. cod. an. n. 11. Castill. f. 5. Leand. Alber. Flam. f. 4. an. & 10.

De eodem Pontifice Innocentio, ita scribitur. Ejus auctoritate magnus numerus Prædicatorum ad infidelium destinatorum, multas barbarorum Provincias peragravit, in quibus nulla adhuc Christi notitia, nullum lumen erat; idquè eo fructu, vt scriptum sit, miri non posse numerum animarum ad rectam fidem per eos traductarum, præsertim verò in Cumanorum gente. Vnde Benedictus, qui cæteris præerat fratribus, ad Generalem Magistrum Vmbertum scribens, (quæ adhuc extant literæ) hoc narrat, multa hominum millia, non solùm ex plebe, sed etiam ex prima nobilitate, baptismum juxta ritum S. R. E. suscepisse. Refert etiam, Cumanos, jejunia quadragesimæ, & alias Ecclesiæ cæremonias, ad unguem observasse; ipsosq; ingenuè profiteri solitos, hæc omnia bona per fratres Prædicatores sibi contigisse. Quia verò plurima damna à Tartaris patiebantur, Magistrum Generalem Ordinis efflagitabat,

vt in Comitijs generalibus cunctis fratribus injungeret, vt suis precibus pro eorundem neophitorum conversione, & protectione, apud Dominum intercederent.

XXIII. Bzov. anno 1264. n. 10. ex ep. 6. Rzov. anno 1266. n. 18. ex ep. 90.

Anno Christi 1264. Vrbanus IV. Provinciali Hungariæ Ord. Prad. vt Episcopos, & Prælatos, ad pacem inter Belam Patrem, & Stephanum filium, Reges Hungariæ, conciliandam inducerent, admonuit. Quæ denique post diuturna dissidia anno Dñi. 1266. stabilita fuit, quando condiciones ejusdem in Insula B.V. Mariæ, die 9. Martij in instrumentum publicum à Philippo, Strigoniensi Archiepiscopo, aulæ Cancellario, redactas, ad preces vtriusque Regis, Papa Clemens IV. ad æternam rei memoriam, eodem anno 10. Cal. Iulij. Viterbij confirmavit, donationemque bonorum Reginæ vxori Belæ, consensu Stephani factam, in perpetuum approbavit idem Clemens, 12. Calend. Iulij.

XXIV. Bzov. anno 1274. n. 16. ex ep. 295.

Anno Christi 1274. cùm ex decreto Concilij Lugdunensis Sacra militia contra Saracenos in Syriam indicta fuisset, vt Christifideles eò fervantiùs sacram militiam susciperent, & tanto majora subsidia corrogarent, scripsit Gregorius X. Pont. Lugduni idibus Novembris ex decreto ejusdem Concilij, undecim Provincialibus Ord. Prædicatorum, Lombardiæ, Romanæ, Franciæ, Provinciæ, Hispaniæ, Hungariæ, Græciæ, Teuconiæ, Angliæ, Daciæ, & Poloniæ, in reliquis verò partibus Italiæ, fratribus Ordinis Minorum, vt sacrum bellum indicerent, & ad illud, sive juraudum, sive prosequendum, Christi fideles incitarent. Insuper injunxit eis, vt Indulgentiam plenariam prædicarent his, qui in Syriam

proficiscerentur, multaque privilegia, gratias, & immunitates fidelibus impertirent, qui vel armatos, vel pecunias, vel aliqua alia sacræ expeditioni necessaria subministrassent.

XV. In lib. Privil. apud Sufinar. fol.

Anno Christi 1288. Nicolaus IV. fratribus Prædicatoribus, apud Hungaros, Cumanos, & partes infidelium prædicantibus idem diploma, eisdem verbis, Reate, 3. Non. Septembris, Pontif. anno primo, quod Innocentius IV. suprà num. XII. expedivit.

XVI. Rayn. 1301. n. 4. 5. 6.

Anno Christi 1301. Bonifacius IX. Su. Pont. Fr. Nicolaum ex Ord. Præd. Cardinalem Episcopum Hostiensem, qui ei postea in Pontificatu anno sequente successit, Legatum de latere in Hungariam misit, vt ageret, quò Carolo Bertum, jam à se renunciatum Regem cuncti susciperent, ei (vt par erat) obtemperantes. Quam rem hac ipsa parte libro I. fusiùs enarravimus. Sed post ibi scripta incidi in vitam illius, quam Mag. Fr. noster Georgius Lazari, Tarvisinus, operi tanti Pontificis super Matthæum in lucem á se emisso præfixit; in qua res paulò aliter, quàm ibi insinuavimus, tradi videtur. aitenim: *illo* Nicolao *ad tantum fastigium* Cardinalatûs *exaltato, repente florentissimum Hungariæ Regnum ob mortem sine liberis Andreæ Regis hujus nominis III. tres potentissimi Regni competitores, maximo, eoque perniciosissimo totius gentis schismate, variis pretensis juribus, coronam instantissimè postulantes, inferrexerunt. Atque inprimis Otho Bavariæ Dux sibi deberi contendebat, eo quia Stephani V. Regis, ex sorore nepos esset. Quo etiam nitebatur argumento Venceslaus, Venceslai Boemiæ Regis filius, ejusdem Stephani ex altera so-*

Editum fuit liber Venetiis apud Damianum Zenarium, 1603.

rore nepos. Urgebat verò, præ cæteris, Carolus Martellus Caroli Siciliæ Regis natus, eo quòd non jam ex sorore, sed ex filia Stephani V. genitus erat; atque regium diadema sibi decem ante annos a Primoribus Regni (superstite adhuc verùm impotente Rege) collatum, non tam petere, quàm repetere videri volebat. Fervebat ea res, vt plerumque varia erant hominum, & Principum hinc inde fluctuantium, & dissidentium studia, atque prope vergere ad seditionem videbatur, & demum res erat plena periculi; cùm Pontifex opulentissimæ illius Provinciæ (at verius totius ferè Christianitatis) miseratus excidium, & vastitatem, præsentissimum remedium attulit. Videbatur enim sibi tot tamque periculosa dissidia, nonnisi vnius Nicolai Boccassini Cardinalis, & Episcopi Ostiensis, citiùs, & magis, quàm alterius dexteritate posse sedari. Neque illum fefellit opinio. Nam legati illuc missi prudentia ita demum factum est, vt brevi cedente Othone, & Venceslao à Catholico Patre dominum revocato, Pannonia tota, Carolo Martello, à quo potissimum jura stabant, facilè atque obsequentissimè cesserit, Buda tantùm eo quòd cæteris pertinaciùs obstitisset, justis Pontificis interdicta. Sic Lazarius. Verùm non Carolo Martello, sed hujus filio Carolo Roberto Regnum addici voluisse Pontificem; nec tunc exanimi sententia rem peractum (non equidem aliquo Legati peccato, qui vir fuit atque prudentissimus, ac sanctissimus, nihilque prætermisit eorum, quæ in illa, sive suavitate, sive rigore desiderari possent, vtque VVenceslaus Pragam revocaretur, effecit) sed propter optimatum animos aliò propensos, & à Bonifacio, quasi jus Regem instituendi sibi

v. Bonfinium dec. 2. li. 9. pag. 115 Abraham Buk. schay p. 920. Caspar. Ens l. 2. de

rob. hung. p. 71. & deinceps.

arrogaret, vehementiſſimè averſos, tradunt Hungarici annales vniverſi.

x. & xi. v. ſupra p. 2 lib. 2. c. 17.

Anno Chriſti 1302. vel 1303. Fr. Andreas Hungarus, vir præclaris virtutibus exceltus, Romam ad Benedictum XI. Su. Pont. procurandæ B.mæ Virginis Margaritæ Canonizationis cauſſa à Rege Carolo Berto miſſus: inde, ipſomet Rege demandante, in Gallias ad Clementem V. anno 1305. pro eodem negotio contendit, quem Pontifex anno 1306. Archiepiſcopum Antibarenſem eſſe juſſit.

XLIX.

Anno Chriſti 1262. S. Thomas Aquinas Ordinis Prædicatorum, Angelicus, Quintuſquè latinæ Eccleſiæ Doctor, *Pius V bulla, Mirabilis Deus, Romæ anno 1567. Pontif. anno 2.* ac Divinæ Voluntatis Interpres, *Clemens VIII. brevi ad Cives Neapolitanos*, cui illud donatum inſigne, vt plurimos libros non ſine ſpeciali Dei infuſione, *Ioannes 22. in bulla canonizat ejus, Redemptionem, anno Chriſti 1328. Pon. 7* & totam ſuam doctrinam ablq; vllo prorſus errore conſcriberet, *Clem 8. in alio brevi ad Cives Neap.* apud Vrbanum IV. Sum. Pontificem (qui illum eximiæ ſanctitatis, & doctrinæ merito, plurimi faciebat, eumque, inter alia, Solemnitatis Corporis Chriſti Officium, quod hodieque per vniverſam Catholicam Eccleſiam recitatur, componendum, Catenam auream ex Patribus in Evangelia texendam, & ad librum de Græcorum placitis reſponſionem injunxit) Beatum, *relationes Patrum Sancti Pauli 1. Eremitæ in Vngaria*, Euſebium Vngarum Strigonienſem, primum Sancti Pauli 1. Eremitæ inſtitu-

auctorem, qui eo tempore, cum Socijs quibuſdam, pro Ordine ſuo, & pro S. Auguſtini Epiſcopi Regula impetranda, ad Vrbem ex Hungaria convenerat, plurimum adiuvit, religioſus religiosos promovens, & pro Sanctis Sanctus ipſe laborans. Quamobrem memoriam ejuſdem S. Doctoris, Patres Pauliniani ab eo tempore gratitudinis ergo ſemper ſervarunt, diem etiam obitus, & canonizationis illius ſuis annalibus peculiariùs annotantes. Initia dederat Ordini illi B. Euſebius, Strigonienſis primùm Canonicus, cùm alijs nonnullis pijs viris anno Chriſti 1215. vel 16. qui ſæculo valedicentes, imitatione Sanctorum anacoretarum, Pauli, Antonij, Hilarionis, Macharij, & coet. in ſylvis, & montium radicibus Deo vacare cœperunt. Quorum numero aucto, pietate ac religione vulgata, Bartholomæus Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, nobile eis, S. Iacobi nomine, primum omnium monaſterium in Patak extruens anno 1225. eoſdem in vnum coegit, formulam in communitate vivendi præſcripſit, coſquè in ſuam tutelam coopravit. Ab alijs ſubinde Vngariæ Prælatis, plurimis Ordo ille favoribus, gratijſquè cumulatus, & à Fr. Gentili Ord. Min. Cardinali de Lat. Legato in Vngaria, auctoritate Clementis V. ſub eadem B. Auguſtini Regula, anno 1308. confirmatus, in Poloniam, Germaniam, atquè Hiſpaniam ſeſe diffudit. Sed cùm primis in Vngaria, cœnobiorum numero, & amplitudine, pietate, ac ſanctitate claruit; itaut magnus ille Beatus N. Joannes Dominici, Cardinalis de Latere in Vngaria Legatus, Patrum illorum religione allectus, ſibi Budæ moriens apud eos ſepulturam elegerit. Corpore

Bzovius ex Onuphrio refert in annum 1216.

Bzov. anno 1308. n. ult. Alphons Ciacco. in Clemet. V.

enim

enim solo in terra degentes, cogitatione, & aviditate in cælesti patria conversabantur, contemptis terrestribus, in lacrimis, & precibus, dies, noctesque ducebant; deprimentes seipsos, vt à Deo exaltarentur, carnem fame, siti, frigore, æstu, solitudine, vigiliisque conficientes, vt æternorum gaudiorum delicijs frui mererentur. Vere illis quadrabat, quod Athanasius in vita Magni Antonij scribit. *Erant in monte* Hungaria *monasteria* Pauli 1. Erem. *tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, lugentium, orantium, qui inferiorem regionem quandam à mundana conuersatione sejunctam videbantur incolere.* Habitu interiori albo, instar Dominicanorum, vtuntur à 18. cal. Decemb. anni 1381. qua die, S. Pauli 1. Erem. corpus, per Ludovicum I Regem Vng à Venetis acceptum, Demetrius Cardinalis SS. IV. Coronatorum, Archiepiscopus Strigon. ad monasterium S. Laurentij supra Budam, in quo trecenti, aut quingenti religiosi olim habitasse dicuntur, solemni processione, & pompa transportavit. Gaudent indulto Pont. Priuilegijs Carthusian.

D. Athanasius in vita S. Ant.

XIX. Eodem anno 1308. Clemens V. Regibus, & Imperatoribus Majoricarum, Siciliæ, Navarræ, Daciæ, Sueciæ, Portugalliæ, Cypri, Vngariæ, Irlandiæ, Norvegiæ, Bohemiæ, Aragoniæ, Castellæ, Comiti Sabaudiæ, Delphino Viennensi, Duci, & Senatui Venetiarum, vt si qui adhuc Templariorum capti non essent, eos caperent, & tam loca, tùm bona eorum in custodia fideli vsque ad Apostolicæ sedis dispositionem retinerent, commisit, adeoq; præcepit.

Eodem anno 1308. Clemens V. Pontifex Romanus scribit ad Regem Vngariæ, & Episcopum Zagrabiensem, vt Templarios capiant, & bona eorum custodiant.

XX. Anno Christi 1309. Fr. Gentilis, Ordinis Minorum

Car-

Cardinalis, pro negotijs Regni componendis à Su. Pont. Clemente V. missus Legatus de latere, opera B. Fr. Augustini Hungari, Episcopi Zagrabiensis, in re difficillima, potissimùm usus est. Qui Magnates singulos priùs conveniens, eruditissima deinde ornatissimaq; in totius Regni Principum, ac Procerum consessu habita oratione, multis solidis, nervosisquè rationibus ostendit, Carolo Roberto Regnum jure deberi: adeoq; persuasit, vt unanimi consensu illud ei decernerent, firmiterquè sancirent. Orationem R.mus D. Ioannes Tomco in vita ejusdem B. Augustini exaravit; quàm, cùm illius M. S. legendæ copiam fecisset, ob temporis angustiam, & varias occupationes, describere non licuit.

annex Tomco Episc. Bosnensis in vita B. Augustini Ep. Zagrab. & Lucerini.

Anno Christi 1324. Joanes XXII. Su. Pontif. F. Joannem Dominicum Ordinis Prædic. in Dalmatiam pro gravissimis Sedis Apostolicæ negotijs internuncium destinatum, datis 7. Idus Martij literis, Avinionem revocavit; vt certo certiùs cognosceret, quanta auxilia Austriorum contra Scalamum conquisivisset, quidve in adjuvandis orientalibus Guelfis cum Illyrijs statuisset.

ann. XXI. Bzov. anno 1324.

Anno Christi 1327. Cum Fraticellorum hæresis Germaniam præcipuè pervagata, vicina Bohemiæ, Hungariæ, & Poloniæ Regna attigisset, Joannes XXII. datis Provinciali Hungariæ Ord. Præd. Calendis Febr. literis, potestatem ei fecit, Inquisitores contra hæreticos instituendi, quibus licitum esset jus in delinquentes in fide dicere, & ex præscripto sanctionum Ecclesiasticarum reos castigare. Parem potestatem, datis 3. cal. Martij litteris, Provinciali Poloniæ ejusdem Ordinis Præd. largitus est.

ann. XXII. Bzov. anno 1327. n. 16. 17. 18.

Cre-

Credibile verò est, non ad Provincialem duntaxat, sed & ad Regem, & Archiepiscopum Strigoniensem in Hungariam Pontif. scripsisse; cùm non ad Provincialem solùm, sed etiam ad Regem, & Archiepiscopum Cesenensem, eis vehementer Sancti Officii causam commendans, in Poloniam literas dederit, quas Rzovius in gratiam patriæ singulariter descripsit. Vti precibus apud eundem Annalistam non semel, si quomodo in Vaticano eæ literæ comperirentur; sed cùm à longo tempore, pene desperato morbo, (quo, & anno 1637. mense Februario, heros insignis, pie, Romæ, tot laborum, laborumq. pro Dei Ecclesia exantlatorum, decreta in Cœlis præmia percepturus, ex hac vita decessit) decumberet, nihil accepi.

Anno Christi 1330 cùm Malendæ, & Alani Gentiles, sub dominio Hieratum, ex Hungariæ Regum stirpe progeniti, Prædicatores postulassent, Ioannes XXII. Fr. Thomam Dominicanum, Senusatensem Episcopum, quòd magnæ religionis prædicator, & legis in Dunum eruditissimus esset, aliosque Socios quàm plurimos, ad eos convertendos destinavit.

Anno Christi 1348. Clemens VI. Prioribus Fratrum Prædicatorum, & Ministris Fratrum Minorum Provinciæ Hungariæ, vt ad prædicandam Fidem Catholicam Cumanis, & alijs populis infidelibus, intra fines Regni Hungariæ constitutis, viros de clima, eloquentia, & morum integritate præstantes submitterent, delegavit.

Anno Christi 1370. cùm Ludovicus Hungariæ, Rex, finitimas quasdam Provincias, permutatione Sum. Pontificis, recèns subjecisset, destinati ex Franciscani ordi-

& alii-

x cent. Epit. anno 1320. n. 38.

xiv. Reg. anno 1348. n. 10. ex ep. 2. edit. Surii. 6.

xiv. Reg. anno 1370. n. 11.

& aliquot ex Ordine D. Dominici, non pluribus diebus, quàm quinquaginta, ducenta millia hominum ad Christum adduxerunt. Quo successu impulsus Rex optimus, ad Ordinis vtriusque Generales scripsit, vt duo mille fratres ad se mitterent, quoniam nulli esset opus defuturum. Leguntur adhuc Vrbani V. Pontificis ad vtriusque Instituti religiosos epistolæ, quibus eos ad tàm optabiles, & religiosos labores, piè & ferventer invitabat, multisque privilegijs, & gratijs excitabat.

xxxi. Bzov. anno 1374. n. 2.

Anno Christi 1374. in Valachia, magna pars populorum, ejurato schismate græcanico, opera Fratrum Prædic & aliorum cooperariorum, ac Ludovici Hungariæ, & Poloniæ Regis, ad vnitatem fidei hoc tempore reverterat, exemploq; alijs fuerat, vt reliqui ad idem ovile catholicum redire cogitarint. Vnum oberat, quòd Episcopum proprium nondum habebant, qui ex officio pastorali huic ministerio advigilaret, ferè omnibus ex Clero Vngariæ Prælatis. Hortatus est Pontifex Strigoniensem, Colocensem Archiepiscopos, qui ex sententia Regis, quid expediret saluti illorum populorum, decernerẽt.

xxxii. Bzovius anno 1378. n. 34.

Cùm anno Christi 1378. Catharina Senensis, Virgo Sanct. Ord. Pr. tùm revelationum, tùm miraculorum gloria id temporis illustris, Vrbanum VI. legitimum Sum. Pontificem agnovisset, simulque Carolo Imperatori, legitimè electum, coronatumque à Cardinalibus, nec in metum conferendam esse electionem, scripta epistola significasset: nec non tres Italicos genere Cardinales, qui ab Vrbano defecerant, vt ad sanitatem mentis redirent, illumque ab ea rite, non autem meru creatum Pontificem

sequerentur, datis illis literis admonuisset: octo etiam epistolas Vrbano scripsisset, quibus eum hortabatur, ad Ecclesiam Romanam, vt hortum optimis suavissimisque floribus, ita sanctissimis Cardinalibus muniendam, qui essent velut columnæ firmissimæ, & ad omnem satanæ impetum inconcussæ: eadem S. Virgo anno 1379. pro eadem caussa Vrbani VI. veri legitimique Pontificis Romani, Carolo R. Gallorũ scripsit epistolam, qua nihil gravius nihil elegantius aut concipi animo, aut scribi ab ullo illius temporis viro potuisset: & eodem argumento nihilo inferiores ad Ludovicum 1. Regem Vngariæ dedit, quibus hortabatur, vt Vrbano adhærerent, auxilium, & suppetias pro Ecclesiæ pace, & vnitate quamcitiùs ferrent. Literæ ad Ludovicum ex etrusco in latinum versæ sic habent.

Exor. anno 1379. n. 13.

Charissime in Christo Jesu dulci, Pater. Ego Catharina servorum Christi Jesu famula, & mancipium, tibi in pretioso ejus sanguine scribo, in vera, te, perfectissimaq; charitate fundatum videre desiderans. In charitate, inquam, quæ non, qua sua sunt, sed puram gloriam, laudemq; nominis Dei in salute animæ, nec proximum propter se, sed duntaxat propter Deum inquirit. ea, quæ vera parens est, ad ubera sua proles virtutum enutriens, qua sine nulle vita inesse potest virtuti. Nam etsi potest homo vtcumq; virtutis actum habere, at non, qui verè sit actus virtutis, absque charitatis affectu. Ideoq; glorioſus ille Apostolus, Evangelij tuba, Paulus ajebat: 1. Cor. 13. *si linguis hominum loquar & Angelorum, & noverim mysteria omnia, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut arde-*

ex lib epist. S. Cat. Senen. epistol. 129.

am,

am, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. *Charitas ea diligit, quæ Deus diligit, adeoq; illam habens, expoliat ſe veterem hominem, peccatum nimirum, quòd ita Deus odio habuit, & abominatus eſt, vt ipſum in Filij ſui corpore mulctare decreverit; induatq; novum dulcem Jeſum Chriſtum: charitati adeò devinctus, vt cujuscumque fuerit ſtatus, aut conditionis, Chriſti amplectatur doctrinam, neque vnquam obliviſcatur ſequi veſtigia ejus. Anima manens in charitate, mundum ſpernit cum vniverſis divitijs, & oblectationibus ſuis, æſtimans illas ad juſti ponderis libram, tanquam res ſc. quæ nulla firmitate, vel ſolidate ſubſiſtunt, adeoquè quaſi commodato acceptas, cernens aut eas ſibi, aut ſe illis morte adveniente deficere. Charitas hæc, animam benevolam efficit, amantemquè inimicorum ſuorum, quos nimirum inimicos mundus arbitratur, cum revera non ſint. Veri namque, proprijque hominis inimici, mundus, dæmon, fragiliſque caro, & concupiſcentia noſtra ſunt; quæ omnia adverſus ſpiritum prælia vrgere conſueverunt. Mundus quidem, oblectationibus ad cordis levitatem, inanem inordinatamquè lætitiam alliciens: dæmon, pluribus, diverſisquè cogitationibus etiam corda hominũ ad irrogandas nobis injurias inſtigans, vt iræ, & impatientiæ ſtimulis agitati, charitatis, quæ vita nobis gratiam impertit, indumento nudemur: noſtra denique concupiſcentia, magna in nos rebellione, impugnationibus & motibus vitiorum vniverſorum inſugens. Hi ſunt noſtri inimici. Verum nihil hominus eſt, ſi ratio velit, eos vi ſanguinis Chriſti, potentiaquè facilè habetari. Tunc enim eos, quos, vt dixi, homines (ſive quòd injuria nos afficiant, ſive quòd noſtra diripiant) æſtimant inimicos, ipſa ſibi facit amicos, diligens eos tanquam*

Dei creaturas, ea præsertim ratione, quòd Deus jubeat illos amari: quo quidem amore, ardu teneris ex corde proximi sæpè depulsis, carbones etiam igne charitatis succensi, super illius caput congerumtur. Hoc unum est è signis præcipuis, quibus, nùm anima sit nec ne in charitate, dignoscitur. In charitatem nulla cadit indignatio: sed patienter sustinet proximorum defectus: non est iracunda, sed benigna: non afficit hominem injustum, sed justum, vi, aut, sive dolo, sive subdolo, jus suum reddere paratum. Deo laudes & gloriam; sibi commodo, & detestatione peccati, confusionem; proximi amorem, & benevolentiam tribuit. Quodsi is dominus sit, cui ad ministrare justitiam incumbat, bani, magno, & pusillo, pauperi, & diviti jus suum reddens, nec blanditijs, nec minis, nec suavibus, nec asperis patitur contaminari; sed æqua lance singulis exhibet, quod illis jure debetur. Magno, & vigilanti studio proximo suo deserviens, quam habet ad Deum dilectionem, in illum ostendit: cumq; Deo commodum afferre nequeat, ratione prædita, Deo prædilectæ creaturæ conatur afferre. Verè dulcem parentem charitatem, quæ nullam habens amaritudinem perenni gaudio afficit se possidentem. At dices Charissi Pater. Vehementer superbus charitatis affectus, sed unde potissimùm me illum habere dignoscam? Respondeo: dignosces, si eas in te conditiones, quibus charitatem ornatam esse diximus, anima persentiscat. Ita vero ad has denique præcipuè colligimur, videlicet ad patientiam, qua universas injurias, parvas & magnas, undecunq;, & à quacunq; creatura illatas, mente placata tranquillaque sustinet, & ad obsequium, quo in necessitate, pro viribus, humanæ creaturæ deservit. Illa æqua suscipit animo illatas injurias, hoc elargi-

tur.

tur. Ecquid verò elargitur? Charitatis affectum, proximum diligens sicut seipsam: quantumquè sive spiritualium, sive temporalium donorum, Deus impertit, tantundem eidem proximo suo benignè subveniens. Redditur quin etiam charitate animæ gustus ad cibum verbi Dei percipiendum idoneus, quòd ipsa ad mortem usq; servare contendit. Plura sanè alia ex charitate promaneant, sed ne longior sim, hæc tantùm præcipua sufficit enarrasse. O verè nimis beatam animam ad hujusce tam dulcis parentis ubera educatam. Ea namq; per omnia humilis est, & obediens, quæ millies præeligeret mortem oppetere, quàm Christi Crucifixi, ejusq; Vicarij obedientiam semel prævaricari. Nequaquam ita fecerit, quemadmodum ij, qui illius expertes, proprio astringuntur amore, quo jam planè veneno orbis infectus est universus. Profectò venenum, amor est proprius, quo intoxicata anima, ira repletur, impatiens efficitur, odij contra Deum, & proximum germina emittere nunquam cessat. Ipse animum offundit tenebris, ne veritatem cernere, aut dijudicare possit: ipse sanctam illibatamque fidem contaminat, atque pessundat. Equidem, quantum dulce illud lumen pravi homines seipsos amantes in mystico Christi corpore Ecclesia S. obfuscarint, manifestè cernis amantissime Pater. Heu, qui Ecclesiæ sanctæ columnæ, & propugnatores esse debuerant, ipsimet eam abnegarunt. Ecquid enim Vicarij Christi Papa Urbani VI. Electores concitavit? Urbani, inquam, VI. quem adeò legitima electione elegerunt, tanta solemnitate inaugurarunt, tanquàm Sum. Pontificem, (ut vere est) reverenda consalutarunt, pro gratijs & beneficijs ei supplicarunt, per orbem totum; non metu hominum, sed ipsissima veritate perurgente, Pontificem e-

vulga-

vulgarunt; jam verò verum esse Pontificem inficiantur? Elegerunt q. antipapam, veriùs Diaboli membrum nuncupandum: nam si foret Christi membrum, mori prius, quàm tantæ præbere consensum abominationi sustinuisset. Ajo, amorem proprium universi mali istius causam extitisse. Si namquè ipsi virtutem, propriæ neglecta concupiscentia, dilexissent, haud quaquam hæc ausi fuissent perpetrare: immoverò ab illo, qui in terris est Christus, vitam, moresquè suos corrigi, atque plurimarum, quæ per ipsos & alios in Ecclesiæ viridario committebantur, iniquitatum foeces expurgari, æqui, beniquè consuluissent. Liquidò sanè apparet, dæmonis illos sibi assumpsisse provinciam. Is enim, qui Deum amiserit, visionequè illius sit æternùm privatus, vt omnes eundem amittant, exoptat, vtque in perpetuam damnationem incidamus, quantum valet, connititur: sic cæci isti, coecorumque duces, tenebris, & erroribus, quibus tenentur, nos offundere omni studio contendunt: non attendentes miseri, ante supremi Iudicis tribunal, pro se, animabusquè omnibus ipsorum causa pereuntibus, districtissimam se reddituros esse rationem. Non pluribus grande malum, & pravitatem eorum exaggerabo. Apparet enim, Deum ipsum, vt eorum mendacium, & Vrbani Papæ VI. quam ijdem ipsi nobis annunciarunt, justitiæ veritatem, manifestè cognoscas, mentis tibi oculos reseraſſe; nisi enim eam agnosceres, sectareris, (quod non facis) ipsorum miseriam. Mægnum profectò in te Dei nostri beneficium, quo veritatis suæ radijs collustratum, illorum tenebris te comprehendi non permisit. Quinimmò qui Fidei nostræ defensor, illius q. dux contra infidelis semper extiteris invictus, vt jam nunc Ecclesiæ suæ sanctæ propugnatorem agas, dulcis Redemptor noster decreviſſe vide-

tur.

tur. Age igitur, ad veritatis, Fideique sanctæ, adversus hæreticos, falsos Christianos, veritatis abnegatores, defensionem, quaquaversum armator. Nullæ nectendæ moræ: magna solicitudine, Deo, ad hoc te ministerium vocanti, respondendum: alia posthabenda universa. Vult, qui tanto amoris ardore vitam pro tua salute profudit, dulcis, & amantissimus Iesus, ut præcipuos Ecclesiæ Sanctæ, sanctissimique Fidei luminis inimicos, tibi duntaxat habeas adversarios. Cum cæteris quibuscunque alijs tuis inimicis, cùm ob amorem virtutis, ne charitatis affectu privere, tùm ob instantes Ecclesiæ Sanctæ necessitates, pax tibi est ineunda. Nùmquid enim ab Antichristo, diaboli membro, mulierculaque una, ad interitum, tenebras, & confusionem, universam Fidem nostram redigi sustinebis? Sane prædico, si Tu, cæteriquè Principes, qui potestis, remedium omni studio, & conatu adhibere neglexeritis, fore, ut coram Deo confusi, durissimè de incuria, atquè cordis vestri tepore coarguamini. Nolim tamen, ut redargutionem illam, quæ valdè horribilis est, longequè ab humana dissimilis, præstolemur: sed, ut adventum matures, nec ulteriùs differas, precor, quæso, & obtestor. Attende diligentiùs, Deum hanc tibi provinciam committere, cui par est cum debita reverentia humeros tè supponere. Patri nostro Papæ Vrbano VI. quòd oviculas suas ad tartareum lupum trahi oculis suis cernat, in vehementi amaritudine animi constituto, te decet commiserari. Verum est, ipsum se in Conditore suo confortare, quippequi spem suam omnem fidemquè in eo locaverit: eundem etiam ad onus hoc pro suo honore, atquè Ecclesiæ Sanctæ suæ adjutorio suscipiendum, te aptaturum, optimè sperans. Mentis, quæso, oculos, heu super mortuis hisce recludas. Discas ex

Glorioſis Martyribus illis, qui ſeipſos, dimiſſis omnibus, abnegantes, ad omnia ſupplicia, mortemque corporis omnem, ſeſe comparabant. Orbis jam totus eadē cauſſa diſcerpitur, per latam ſpatioſamq́ perditionis viam concurritur, nec eſt qui obſiſtat: quòd non ſint, niſi homines ſeipſos amantes, nihil præterea, quàm divitiarum, ditionumq́ mundi (quæ ſunt ſumma paupertas) bona cogitantes, atq́ adeo animas pretioſo Chriſti Crucifixi ſanguine redemptas nihili pendentes. Cupiens itaque (quod initio dixi) in vera, te, perfectaque charitate manere, voto omninò, vt cæteris quibuſcunq́ pro Dei honore, & fide ſancta poſt habitis, ad omne, quod poſſit, efficiendum, tanquàm reipſa vir, te quam citiùs accingas. Porrò ſpero, Deũ, quem enixiùs rogo, pro immenſa bonitate ſua, mentẽ, conſcientiamq́ tuã adeò arctaturum, vt ea ſit tibi ſtimulus, qui, quoadvſq́, quod â te Deus ipſe requirit, perfectum aſpiciam, numquàm recedat. In hoc itaq́ opus toto pectore, ſine cunctatione tibi incumbendum: id enim ego non ſine cauſa urgeo, multum vtiquè de tuo adventu confiſa. Fortè namq́ etiam veritas hæc ſine vi vlla humana manifeſtabitur. & pauperc ula Regina hæc, ſive metu, ſive amore, à pertinaci, obſtirmatoq́ animo illo ſuo dimovebitur. Vide, amabo te, quam clementer â Chriſto in terris cùm illa actum fuerit, qui non ea ipſi de facto ademerit, quibus ipſa ſe jure privavit; idq́ duntaxat vt videat, nùm ad cor, ſui miſerta, redeat, atq́ etiam amore tui. Sanè ſi jam id hodie efficiat, juſtè coram Deo, & te ipſo, ſit excuſatus; vt enim id fiat, (cùm ipſa nolit ad miſericordiam confugere) à te aqui bonique conſulendum. Neq́ verò aliqua te fallat affectio, quaſi illa publicè hæretica renunciata, tibi tuove Regno dedecus vllum obveniat: cùm enim publica jam & manifeſta hæreſis

ipsius existat, nequaquàm ea de causa metuendum est. Quin immò magno tibi erit decori, quòd & justa fieri, & contra hoc, aliudue quodlibet crimen in hominem quemcunq; animadverti decernas; quia si adversus ipsum filium tuum justitiam à te concontingeret administrari, ad majorem procudubio tibi cederet decus & gloriam. Optimè novi, quòd si in dulci maneas charitate, sic rem se habere cognosces: secus verò, si fumos, & mundi blandimenta, non excelsi, & regij; sed demissi, & vilis animi hominum more consectareris. Deus, lumen tibi, & gratiam suam infundat, quò Ecclesiæ sanctæ naviculæ protectione susceptâ, ad pacis tranquillitatisq; portum eam perduci procures. Nihil adijciam ulteriùs. In sancta & dulci maneas dilectione: sicq; verbis meis fui tibi gravior, ignoscas. Animarum amor, dolorquè damnationis ipsarum, divina etiam voluntas, quæ me, tibi vt scriberem, coegerunt, excusabunt. Iesu amor. Reginæ me commenda, & Christi nomine, atq; meo etiam illam confortâ.

Ita S. Catharina ad Ludovicum scribebat. & licèt apud Carolum Galliæ Regem nihil effecerit, quòd Ioanna Siciliæ Regina (de qua in hisce literis tacito nomine, sermo, quæque Clementis VII. Antipapæ partes tuebatur) Ludovico Caroli Regis ex fratre Duce Andegavensi nepoti in filium adoptato, etiam regnum Siciliæ detulisset; tamen Ludovicum in Vrbani fide sic confirmavit, vt insequente anno 1380. tuendi Vrbani desiderio incensus, magnis Hungarorum copijs per Tarvisinum, Vincentinumquè agrum in Italiam descenderit, ac per Etruriam ducens, augensque, tandem ad extremos anni menses Romam venerit, nevè Vrbanus adversarijs succum-

Bzov. anno 1369. n. 6. & 13.

Bzovius anno 1380. n. 6.

beret, effecerit. Porrò Ioanna hæc, Siciliæ Regina fuit, cujus jussu, maritus ejus Andreas, Ludovici Regis frater, adhuc adolescens, fuerat laqueo præfocatus; cui Ludovicus licèt maximè esset infensus, adeò tamen labis hæreticæ in Jamiam, qua ex affinis damnatione, quoquomodo affici posse videretur, perhorrescebat, vt hunc ei scrupulum in suis, S. Catharina, literis fortissimo argumento debuerit ex mente convellere: vt hinc etiam appareat, quanti Fidei Catholicæ sinceritatem, antiqui Pannonum Reges, & Principes facerent, & æstimarent. Sed non te prætereat, Pie Lector, egregius ille titulus, quo S. Virgo Catharina Romanum Pontificem exornat, dùm illum non semel *Christum in terris* appellat.

28. *V. sup. p. 187. 340.*

Anno Christi 1409. Fr. Ioannes Dominici, Cardinalis Ragusinus Ord. Præd. à Gregorio XII. Legatus à Latere in Hungariam, ad Sigismundum Regem, pro difficillimis Ecclesiæ negotijs in magno schismate componendis, mittitur. Inter alia, Budæ etiam 140. dierum Indulgentiam, Aedem B. Virg. Deip. in Insula, Corpusque S.mæ Virginis Margaritæ visitantibus concessit, vt ex literis ejus, datis ibidem anno III. Pontif. ejusdem Gregorij, superiùs memoratis, manifestum est.

29. *Bzov. Anno 1411. n. 7.*

Anno Christi 1411. Gregorius XII. eundem Fr. Ioannem Dominici, ad Sigismundum Regem Hungariæ, & Romanorum Regem recèns designatum, iterum destinavit: si fortè potuisset Principem, atque unà cum eo Germaniam, Hungariam, & Boemiam, nec non circumvicinas Provincias in suam sententiam adducere. Qui habitu transformato, persona Paræci, seu Sacerdotis simplicis

ſimplicis aſſumpta, naviculæ parvæ ſeſe commiſit, Cœſarem convenit, acta Concilij Piſani accuſavit, Gregorium Concilij Generalis convocandi, unitatiſque eccleſiaſticæ in eo conficiendæ cupientiſſimum eſſe oſtendit: ſimul de convocando alio Oecumenico Concilio, deque modo tùm convocationis, tùm actionum, admonuit: poſtquam etiam P. P. Piſani ſuum coetum necdum abſoluiſſe, ſed in alium locum diſtuliſſe, adeòque novum Concilium elegiſſe viderentur.

Anno Chriſti 1418. idem Fr. Ioannis Dominici, vbi multa, eaq; præclara in Conſtantienſi Concilio pro Sacra Vnione, (cujus magna fuiſſe pars, & Sanctus Antoninus, & ipſa acta teſtantur) præſtitiſſet, eo ad diem 22. Aprilis abſoluto, Legatus Martini V. Pont. in Hungariam à Sigiſmundo Rege, ad Huſſitarum hæreſes compeſcendas, convellendaſq; ductus, pro ea plurimum laboravit: ſed cùm altiùs malum radices jeciſſe videret, quàm vt ſine ferri ſectione curari poſſet; nollet vero Rex, ad ſancti, prudentiſq; viri hortatum, id remedij adhibere: Cardinalis, pereuntium animarum moerore contabeſcens, denique vita ſanctiſſima per feliciſſimum finem expleta, eodem anno ad Cœlos Budæ evolavit, miraculis multis poſt mortem nobilitatus. Sed de his, alijsque maximi hujuſce viri geſtis, conſulenda ſunt, quæ alibi in hoc opere ſcriptis conſignavimus.

Anno Chriſti 1420. Fr. Iacobus de Clavaro (Civitas, ſive oppidum eſt in Liguria) S. Th. Doctor egregius, Cardinaliſque Brandæ Placentini, per Germaniam, & Hungariam Legati Theologus, Ord. Præd. pro conuer-

xxx. V. ſub. à pag. 199.

precip. in vita illius p. 2. l. p.

xxxi. Bzov. anno 1420. n. 23. & 24.

sione pervicaciſſimi cujuſdam in eodem Hungariæ Regno hæretici, quæcunque evidenti, atque naturali ratione de rebus Catholicæ Fidei demonſtrari nequeunt, inficiantis, cum alijs quibusdam ſtrenuè prudenterque laboravit: quem demiq; ad lumẽ veritatis perductum, in S. Pauli 1. Eremitæ Ord. dare nomen lætus aſpexit. Rei ſeriem Ioannes Nider, Viennenſis Academiæ, Ordinisq; noſtri ſplendor, his verbis enarrabat. *Quo tempore in Vniverſitate Viennenſi legi Biblia, vel Sententias, non longè in Hungaria repertus eſt quidam Artium liberalium Baccalaureus, & Præſbyter, ſed hæreticus talis, qui nec vetus, nec novum Teſtamentum, neq; Doctores admittebat. Hic tàm mirabiliter ſingularis extitit, vt ſecundum, (me ſciente) non habuerit. Nam in Vniverſitate præfata poſt ſtudium trivij, aliquandiù lectiones à Sacræ Theologiæ Doctoribus audivit: poſtea factus Sacerdos, in Hungariam deſcendit, & ibidem prædicationis officium, & collationis Sacramentorum exercitium habuit. Interim ſciolus modicum de artibus, diſplicentiam in ritu Fidei Chriſtianæ acquiſivit, & ſyllogizando, vel paralogizando potiùs, ſecũ tacitè de articulis fidei, & de totiꝰ Eccleſia ceremonijs conferens, majora ſibi hæc videbantur, quàm antea, eſſe deliramenta. Et, vt perſtringam breviùs, ad hoc miſer iſte devenit, vt nihil penitꝰ crederet, de his, quæ ſunt Cath. Fidei, niſi pro quanto à naturali Philoſopho hæc, propriè dictæ demonſtratione Philoſophica, evidenter & efficaciter probari valerent: veluti demonſtratur, vnum eſſe Principem totius Vniverſi, & primam cauſſam. Deriſit ergo ceremonias omnes fidelium, paruipendit doctrinas Chriſticolarum, ſprevit Sacramenta Eccleſiæ om-*

Nider in Formicario li. 3. c. 10.

nia, vetus Testamentũ non admisit novum nihil magnipendit: utriusque glossas, & Doctores pro deliramentis habuit, & omnium eorum imitatores. Sed in his omnibus, multis Sacramenta Ecclesiastica latens heretic⁹ ministravit, & Sac. Missæ officium sæpiùs celebravit. Accidit autem quodam die, ut quidã ad celebrandum Missæ S. officium indutus sacris, versus altare, se, iturus prædisponeret. Cui ille ait: Visne iterum conficere fatuæ filium? vel aliud detestabile verbum simile infelix evomuit. Hanc blasphemiam alter ægrè ferens, finitis divinis, perfidum privatim adijt, dicens. Dixistine, inquit, mihi celebraturo, an fatuæ filium iteratò consecrare vellem? Respondit Reus, quod sic: nec negavit; immò plusquàm antea de infidelitatis toxico evomere coepit. Quo audito, est Episcopo denunciatus, captus, incarceratus; atque examinatus, inventus est, vt præmisi. Supervenit interea Legatus totius Germaniæ, Dominus Placentinus Cardinalis, cum tribus, tam Theologiæ, quàm Iuris Canonici devotis, prudentibus, & litteratissimis Professoribus: qui dictum Reum, in carceribus, vt salvaretur anima, visitarunt, atquè pijs suasionibus, errantem, vt resipisceret, reducere curaverunt. Sed nihil penitùs in tumido profecerunt. Nam de Sectis varijs VViklivistarum, & Boemorum, quæ pro tunc currebant, VValdensium, Arianorum, Iudæorum, Saracenorum, & quorumcunque perfidorum quæsitus, constanter omnes istas derisit, & in suo tantummodo errore perstitit. Verùm, vt vbique clavum clavo retunderent, Artibus videlicet, & Philosophia, quibus præfati viri tritissimi erant, operam dederunt, vt exinde jacula reciperent, præsertim F. Iacobus de Clavaro, nostri Ordinis, & Mag. Martinus de Hispania, ambo Sac. Paginæ Professores, qui errantem

argu-

argutiùs aggreſsi ſunt. Etlicèt, vt mihi idem, M. Iacobus retulit, hæreticus aſtutiſsimè, & cautiſsimè ſibi caveret, ne contradictoria concederet, tamen ſæpè in eiſdem deductus eſt ad metas: vbi, cùm aliter reſpondere nequiret, ait.. Homines eſtis, non mirum, ſi homini concluditis. Cumque hæc iuncta multis continuaretur diebus, & perfidus in ſua pertinacia perſeveraret, quinimmò diceret, ſe in ſua ſententia mori velle; excogitavere viri prudentes (animæ ipſius miſeri plus faventes, quàm corpori) aliud conſilium. Vinculetur, (dicebant ad Epiſcopi Officialem) ſecretiùs verſipellis iſte, arctiùs ponatur ad cippum, & loris ſtringatur. In his fortè pernoctans, vexatio dabit intellectũ. Quo per ordinẽ facto, venerunt in craſtino ſæpedicti fideles animæ Cyrulogi, videre volentes ſuum ægrotum, ad quos impatienter clamavit. me, quæſo, incinerate: paratus enim ſum: quouſque animam meam fruſtra vexatis? Illi verò fomenta acriora animæ, de Aegiptiorum theſauro philoſophico applicantes, oſtenderunt erranti, quàm imbecille foret humanum ingenium, quàm ars multa, vita brevis, judicium fallax tempus acutum, & ſimilia: & meditativum in his iteratò relinquẽtes, non minùs quàm antea, uinctũ, abierũt. In craſtino verò redeuntes, per divinum lumen inſpiratum, bonum hominẽ invenerunt. Vidi, (inquit reus) quòd ſalutem animæ meæ indefeſsè quæritis, literis eminentes eſtis, & in orbe terrarũ famati: paratus ſum ingenium meum vobis ſubmittere. Iubete, quod placuerit, quia paratus ſum ſine fictione parere. Itaque revocare ſuam perfidiam juſſus eſt, & fecit publicè. Et ne mundo vlteriùs ſerviens deciperetur à vanis, petiuit in Ordine Paulitarum recipi in monaſterio, vbi Deo ſimpliciter, & valde devotè Deo ſervitur in Hungaria, vbi Ordo iſte in magno eſt vi-

gore.

gore. Ibi receptus militavit Christi tyrocinio, de cætero, vt spero, constans, & firmus remansurus.

Anno Christi 1431. Fr. Joannes Stoicus, Ragusinus, S. Theol. Ord. Præd. vnà cum Jo. Polemario, authoritate Apostolica, Juliano Cardinali Legato à Martino Papa V. & deinde ab Eugenio IV. facta, & ab eodem delegante vtriquè concessa, velut præses Basilienſe Concilium incohavit. De quo lege fusiùs ante descripta. xxxii. p. 3. l. 3 c. 3.

Anno Christi 1433. idem Fr. Joannes contra Joannem Rochizana de Communione sub vtraquè specie per octiduum acutissimè, validissimeq; pro fidei Catholicæ defensione disputavit; vt præcitato loco licebit intueri. xxxiii.

Anno Christi 1442. Eugenius IV. anno XII. sui Pontificatus, F. Bartholomæum Lapacium, Florent. ex Ord Præd. B. Joannis Dominici Cardinalis Ragusini discipulum, Episcopum Coronensem, virum æquè religione atquè omni eruditione præstantem, ad hæresim, quæ simplicis animi nomine per aliquot regiones vagabatur, compescendam, extinguendamq; in Hungariam, & Poloniam destinavit Inquisitorem; qui rem feliciter, Deo favente, peregit, ut paulo fusiùs superiùs attigimus. xxxiv. Ludovicus Paramus de Orig. S. Inquisit. li. 1. tit. 4. c. 5.

Anno Christi 1448. Sum. Pont. Nicolaus V. cupiens turcicum gladium à cervicibus tùm Constantinopolitani Imperatoris, tùm Regni Hungariæ depellere, totaq; Europa hostem Christiani nominis eijcere, non contemnendas suppetias Ioanni Huniadi, sive Corvino, misit, eundemq; Fr. Bartholomæum Lapatium in Hungariam destinavit, qui Sacram militiam, more Ecclesiæ recepto, propositis quàm maximis indulgentijs indiceret, & copijs xxxv. Bzovius anno 1448. n. 7.

Cru-

Cruceſignatorum vndequaquè collectis, cum potestate Apoſtolici Legati præeſſet. Verùm perfidia Georgij Deſpotæ, Raſciæ Principis, ſtetit, ne, quam ſperabat de Turcis Huniades, victoriam eo tempore conſequeretur. Cum duobus & viginti millibus hominum ex Hungaria caſtra moverat, atquè Valachiæ montanæ Palatinum in huius belli ſocietatem aſciverat. Sequebatur illum Legatus Apoſtolicus prænom. Coronenſis Epiſcopus, cum Proceribus Hungariæ, & innumera multitudine nobilium. Superato amne Tybiſco, trajectoq; Iſtro, cùm per Daciam in Myſiam deſcendiſſent, & ad Severinum vſquè oppidum promoviſſent, Huniades, Deſpotem, (qui clandeſtinis cum Turcis internuncijs, recuperato Myſiæ Regno, pacem ſervare nitebatur) per Legatos oravit, ut ſæpè à ſe rogatus ad ſacram expeditionem veniret, beneficiorumq;, quæ ab Hungaris acceperat, memor eſſe vellet: de bello benè ſperandum, quando nequè pecuniæ, neque copiæ deforent: proinde impenſiùs obſecrare, ut, coactis continuò equitum turmis expeditiſſimorum, ſua caſtra ſequeretur. At Deſpotes malè ſentiens, ut honeſtiùs militiam detrectaret, varijs ſe modis excuſans, abeunte Huniade, celeribus internuncijs, Hungarorum adventus, & copiarum multitudinis Amuraten admonuit, & quotidiana itinera ſignificavit, cùm invidia, tùm gratificationis gratia, qua pacem cùm eo facilè ſervatam iri confidebat. Hinc Huniades Amuratis inſidijs circumventus, Sandarobechi Albanenſium Principis auxilijs (qui ad condictum locum, & tempus non occurrit) opportunis deſtitutus, pugnandi neceſſitate ab Amurate

impo-

impoſita, viribus imparibus, (Turcarum enim octoginta millia numerabuntur) depugnavit. Superiores aliquantò viribus noſtri Cruceſignati fuere: ad extremum tamen, hoſtium multitudine ſuperati, ſuccubuere, non incruenta Turcarum victoria, triginta quatuor Barbarorum millibus, Cruceſignatorum octomillibus occiſis; in quibus tamen Coronenſis Epiſcopus, (egregia B. Ioannis Dominici Cardinalis proles, qui magiſtri etiam amore, nō ſemel legationem lætus ſuſceperat in Vngariam) & vniverſa ferè Panoniæ nobilitas occubuit. Huniades verò ſaluti ſuæ fuga conſulvit, in qua infeſtam, & variam fortunam expertus eſt.

Anno Chriſti 1460. Rex Boſniæ, Manichæos, qui erant in Regno ſuo quamplurimi, niſi baptiſmum Chriſti acciperent, è regno migrare coegit, ſubſtantia relicta. Duo circiter millia baptizati ſunt: quadraginta aut paulo plures pertinaciter errantes, ad Stephanum Boſniæ Ducem, perfidiæ ſocium, confugere. Tres principes hæreſeos, in aula Regis potentes, Epiſcopus Novenſis vinctos ad Pium II. Pontificem Max. duxit, quos Pius per monaſteria relegatos edoceri Chriſtianum dogma curavit. Fr. Joannes Turecremata, Cardinalis S. Sixti ex Ord. Præd. ad ſe vocatos inſtruxit, perſuaſitq; tandem, abjuratis erroribus, Eccleſiæ Rom. quæ nec falleret, nec falleretur, documenta ſuſcipere. Reconciliatos Pius ad Regem remiſit. Duo in fide permanſere, tertius more canis ad vomitum revertens, ex itinere dilapſus, ad Stephanum confugit.

xxxvi. Bzovius anno 1460. n. 38.

37. ex trãſumptis literarum autent. apud P. Iacobum Nemeſi Soc. Ieſu.

Anno Chriſti 1481. Joannes de Aragonia, Tit. S. Adriani S. R. E. Presb. Cardinalis, per Vngariam, Bohemiam Poloniam, Sixti IV. Sum. Pontif. Legatus, Joannem, Plebanum Caſſovienſem, Decretorum Doctorem, & F. Dominicum Priorem Ordinis Prædic. Commiſſarios in S. Jubilæi negotio delegavit, vt conſtat ex litteris autenticis, datis Caſſovij ipſo anno 1481. 8. Martij, quibus ij fidem faciebant, quòd Stephanus Lengyel de Chontosfalua, cum filijs Joanne, & Franciſco, & filia Clara, debitum feciſſet, ponendo, & conſtituendo ad cippum pro expeditione facienda contra impijſſimos Turcas, Chriſtiani nominis atrociſſimos hoſtes, juxta ordinem præfati D. Legati; & ideò poſſet ab idoneo Confeſſore à ſe eligendo, ab excommunicationis ſententijs, & peccatis omnibus contritis & confeſſis abſolvi, & aſſequi S. Jubilæi omnium peccatorum remiſſionem, & in mortis articulo Plenariam Indulgentiam, &c.

38. monumentis ſæpe citatis.

Anno Chriſti 1486. Fr. Petrus Ranzanus, Epiſcopus Lucerinus, ex Ord. Præd. vir doctrina, & eloquentia ſuo ſeculo nulli ſecundus, à Ferdinando Rege Neapolitano, ad Matthiam Corvinum Regem Vngariæ miſſus Legatus, apud eum triennium manſit, quando & librum numquàm plenè laudatum de rebus Vngaricis ad eundem Matthiam inſcripſit, in ejuſq; funere luculentiſſimè peroravit.

39.

Anno Chriſti 1492. Alexander VI. Sum. Pontifex Fr. Paulum Ligurem Monelienſem Epiſcopum Chienſem, Nuncium ſuum Budam legavit, vbi & ſpiritum cum

summa pietate rediditConditori. Is inChronicoMagistrorum Ordinis post librum Sac. Constitutionum nostrarum, sic commendatur. *Floruit hoc tempore etiam vir præclarissimus, & doctissimus, Magister Paulus de Monelia, Ianuensis, qui cum post Provincialatum Lombardiæ superioris, Sacri Palatij Magister effectus, plures annos in dicto officio cum magna gloria, & omnium Prælatorum Curiæ gratia peregisset, per Dom. Alexandrum VI. Episcopus Cbij effectus, in Legatione ejusdem Pont, in Buda Vngariæ ad Dominum devotissimè migravit.* Chron. Magist. Ord. fol. 69. pag. 2.

Anno Christi 1523. Fr. Thomas Vius, Cajet. Cardinalis S. Sixti, ex Ord. Præd. Hadriani Pont. Max. Legatus ad Ludovicum II. Hungariæ Regem cum magna pecuniarum vi, pro comparandis adversus Solymannum Turcarum Imperatorem, Regnum ejus infestis armis invadere molientem, copijs, profectus est. Vbi summa omnium, Regis præcipuè, adgratulatione exceptus, eorum animos sic confirmavit, vt & de bello Tyranno inferendo, vltrò cogitarent, nedum ad resistendum essent animati. Porrò, pecuniam, quam secum detulerat, in alium vsum, quàm in eum, pro quo receperat, erogari nulla ratione permisit. Et quidem, feliciter peracta omnia, quamdiù ibi ille permansit; sed brevi Hadriano morte sublato, à Clemente VII. ejus successore revocatus, Romam redijt, vbi Mohacianam funestissimam cladem, in qua Ludovicus Rex optimus cùm toto Regni flore, & robore (heu) extinctus est, non absque summo mœrore, & lacrymis multis, audivit anno 1526. Nonnulla, vir mortalium omnium sui seculi eruditissimus, ingenio suo acutissimo dig- 40. M. Flav. Aquil in vita Thomæ Cajet. apud Bzovi. to. 19. in fine. Plod. de vir. ill. p. p. l. 4. col. 585

na, elaboravit. Sed plura de illo in præcedentibus ſcripta.

41. Anno Chriſti 1562. Cardinales S. R. Gen. S. Inquiſitionis ſupremi Inquiſitores, Fr. Antonium à Groſupto, S. Th. Doctorem, & in S. Tridentino Concilio Theologum, per Hungariam totam, aliaſquè partes, contra hereticam pravitatem, in omnes, præcipuè verò in eos, qui ex Italica natione eadem pravitate eſſent infecti, inquirendi, univerſaq; opportuna, uſque ad ſententiam definitivam excluſivè, faciendi, Commiſſarium inſtituerunt, vt agentes de S. Off. Inquiſitoribus oſtendimus.

42. Indic. Prael. Conc. Trid. Pledi 9 2. p. vir. ill. anno 1562. tit. Epi. Relat. Hung. Anno eodem F. Joannes, Hungarus Claudiopolitanus, ſive, (ut nunc vocant) Coloſvarienſis, Ord. Pr. vir in Theologia, & Pontificio jure præſtantiſſimus, Epiſcopus Chanadienſis, ex Ord. Prædicatorum pro Hungariæ, vniverſæq; Eccleſiæ bono, cum reliquis Patribus, fidei dogmata definiebat, & reformationis decreta condebat in Oecumenica ſynodo Tridentina, in qua ipſo anno 1562. die 24. Novembris, ſolutus eſt mortalitate.

43. Anno Chriſti 1566. Pius V. ex Ordine Præd. Sum. Pontifex Sanctiſſimus, (de cujus Canonizatione Romæ à multis annis jam agitur) ſciens, quantùm ad hæreſes profligandas, moreſq; componendos Sacri Concilij Tridentini, ad hoc ipſum celebrati, obſervatio, & Seminariorum potiſſimùm erectio, in quibus exactè juniores Clerici inſtituerentur juxta ejuſdem Sacri Concilij decreta, valerent, cupiensq; ex animo ea executioni in Vngaria mandari, non ſolùm Eccleſiaſticos Præſules ad eam per litteras ſuas eſt cohortatus, ſed etiam Magiſtrum in S. Th.

Fr. An-

Fr. Antoninum à Groſupto Ord. Prædicatorum virum ſibi probatiſſimum appellabat, ad Archiepiſcopum Strigonienſem Vngariæ Primatem, & ejus Suffraganeos, Oratorem delegavit, qui illos ad eadem ſeminaria erigenda ſuo nomine moneret, & hortaretur, vt patet ex inſequentibus literis anno p. ſui Pontif. Chriſti 1566. datis.

extant literæ ejus Vicario Ord. P. Antonino.

Venerabili Fr. Archiepiſcopo Strigonienſi, Regni Vngariæ Primati, & Suffraganeis ejus.

Venerabiles Fratres Sal. Ad exequendum Apoſtolicæ ſervitutis Officium, quòd non ſine timore, ac tremore, in ſpiritus humilitate divinæ vocationi obedientes, ſuſcepimus, opertet nos, omnium, qui in ſollicitudinis noſtræ partem vocati ſunt, auxilio tantò ſtudioſius ſublevari, quantò infirmiores vires noſtræ, & Eccleſiæ graviora ſunt tempora. Nullum verò occurrit nobis mentem noſtram huc & illuc verſantibus aliud remedium ad Eccleſiam ipſam in commodiorem, & tranquilliorem ſtatum redigendum, quàm, vt Sacrum generale Concilium Tridentinum, quod ſub fel. record. Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro, Deo Auctore, tandem feliciter peractum fuit, vbiq; ſervetur. Nullum certè eſt aliud remedium, quod tot & tantis Eccleſiæ malis adhiberi poſſit: nullum reſtat auxilium, quo poſſit Religioni Catholicæ, & ſaluti gregis Dominici ſubveniri. Hoc bonorum omnium votis optatum, hoc precibus à Deo expetitum ſemper fuit. Proinde vos in Domino ſalutantes, obteſtamur, vt Officij veſtri memores, cùm alia, quæ tam piè, tam maturè, tam providè in ipſo Concilio ſtatuta fuerunt, debita diligentia obſervare curetis, tùm illud de Seminario in vnaquaque Eccleſia inſtituendo; quo nihil utilius, nihil his temporibus Eccleſijs opportunius, neque accommodatius ſtatui potuit.

Actum de eare audimus fuisse vobiscum, dùm idem Prædecessor viveret, à dilecto filio nostro Zacharia Cardinali Delfino, & à duobus alijs sedis Apostolicæ Nuncijs, & vos, responsum dignum vestra pietate dedisse: & speramus, vos, id quod promisistis, præstituros. Sed quia vehementer optamus, decretum, quod tantopere Ecclesijs vtile esse constat, atq; adeò necessarium, sine longiore mora ad effectum vbique, quacunque ratione fieri poterit, adduci; mandavimus dilecto filio Antonino de Grosupto Ordinis Prædicatorum Professori, viro nobis probatissimo, vt vos adid, quod tùm polliciti fuistis, sine longiore mora præstandum, nostro nomine admoneat, & hortetur. Cujus Orationi, vt fidem habeatis, et, vt præclarum testimonium, quod de vobis ab eodem Cardinali habuimus, re comprobetis, petimus. Si quid autem ipsi à nobis requiretis, quod vobis, ac vestris Ecclesijs opportunum sit, desiderijs vestris, quantum cum Deo poterimus, satisfacere, & vos, vt eximios filios, juvare, atque honorare curabimus. Dat. Romæ apud S. Petrum, die 11. Februarij, 1566. Pont. n. anno 4.

44 ex lit. datis ex Vrbe ad quendã Germaniæ Principem anno 1567. 25. Martij

Anno Christi 1567. Sanctiss. idem Pont. Pius, de Vngariæ Regno valdè sollicitus; cùm de Turcico exercitu audisset tùm numeroso, tùm instructo ac minaci, vehementer timuit, ne detrimentum aliquod Vngaria acciperet. Nequeverò se tam hoc timere dixit, quàm peccata, quibus iram Dei in nos provocamus in dies, adeoque ad auxilium Dei esse recurrendum. Itaque edixit per suum Vicarium omnibus Sacerdotibus, monachis omnibus, vt sacra facerent, pias item orationes ad Deum haberent; quibus veniam Christianæ reipublicæ precarentur, vt iracundia Dei à nobis averteretur. Idem voluit per

Concionatores Populo commendari. Illud præterea addidit, præter hunc dolorem, ac sollicitudinem de Turcis conceptum, infinita se animi molestia affici, quòd multi sint Principes, multi Episcopi, qui zelum Dei non sentiant, discrimen, in quo Christianismus versatur, non percipiant; & cùm rerum spiritualium, cultus divini, ac reformationis morum primi rationem habere deberent, atque adeò vnici, toti tamen in conservandis rebus temporalibus sint intenti, ac diditi: quare mirum nō esse, si populum suum in opprobrium det Deus hostibus suis.

apud Al. f. Archangelum de Ripalta pag. 56.

Eodem anno, idem Sanctiss. Pontifex acerbissimè tulit expugnationem Sigetij in Hungaria, qua intellecta, secessit ad Palatium Capitolij, quod Ara Cœli appellatur, atque ibi à negotijs segregatus, illud grave incommodum deploravit piissimus Pontifex, Dominum precatus, vt nostri per Christum miseratus, flagella iracundiæ suæ, quæ pro nostris peccatis meremur, avertat.

45. ex eiusdem literis 26. Septemb. apud eundem Ripal. pag. 59

DE REBVS VNGARICÆ PROVINCIÆ Ordinis Prædicatorum.

PARS QVARTA.

LIBER VNICVS.

REstat jam Postremo loco, vt quæ ad Provinciæ nostræ Vngariæ Institutionem, Conventus, Vniversitates, Loca, Monasteria, Generalia Capitula, Rosarij Sodalitatem, Peregrinantium Societatem, Reformationem, Desolationem, Occasum, Reparationemq; illius attinent, quantum cum Deo poterimus, stylo prosequamur.

CAPVT I.

Prouinciæ Vngariæ initium, Primus Prouincialis, Locus.

VNgariæ Provincia, Anno Christi 1221. in totius Ordinis Generali Capitulo secundo, Bononiæ, ad Pentecosten sub S.mo P. Dominico celebrato, duxit Originē; quando Ordo Præd. etsi habens plura in varijs orbis terræ partib⁹ coenobia, nullis adhuc Provincijs distinctus,

in

in haſce denique, Hiſpaniam, Franciam, Lombardiam, Romanam, Provinciæ, Teutoniam, Vngariam, Angliam, ita diſtributus fuit, vt quamuis ſex priores, propter jam tunc extructos Conventus, eſſent erectæ Provinciæ, Vngarica tamen, & Anglica, deſignatæ duntaxat intelligerentur, quæ brevi, per deſtinandos jam tunc fratres conſtructis coenobijs, forent erigendæ. Quod & factum: nam, vt in Angliam Beatiſſimus P. Dominicus poſt Capitulum miſit Fr. Giſilbertum Anglum Provincialem cum alijs fratribus, qui domos vbique extruentes, paullatim in Scotiam, Hiberniam, Scandiam, Norvegiam, Suetiam, Gothiam, Groentlandiam &c. propagati ſunt: ſic in Vngariam miſſis á B. P. Dominico Ss. Viris B. Fr. Paulo Hungaro, & B. Sadoch cum alijs ſocijs; brevi tempore monaſteria complura ædificata ſunt ipſo B. Paulo primo hujuſce Provinciæ rectore, & Provinciali, vt alibi gravium authorum teſtimonio dicebamus. Porrò cum inter Provincias cœteras ordinem habuit, vt locus illi ſeptimus ab ejus erectione perpetuò fuerit attributus: quod Patres Capituli Gen: Romæ celebrati anno Chriſti 1553. ſub Gen: Mag. Fr. Stephano Vſusmaris in eodem Capitulo electi, planè teſtantur, cum ita ajunt. *Declaramus conformiter ad ea, quæ in actis vetuſtiſſimorum* Capitulorum Gen: reperta ſunt, quòd deinceps in Capitulis Gen: & vbique Provinciæ noſtri Ordinis ſervare debeant infraſcriptum ordinem, juxta quem tenebunt loca ſua, &c.

Malu. anno 1221. c. 6. & 7.

P. p. II. vn. c. 3.

Cap. Gen. Romæ anno 1553. tit. Declarationes.

1. Prov. Hiſpaniæ.
2. Toloſana.
25. Calabriæ.
26. S. Crucis Indiarum.

3. Franciæ.
4. Vtriusque Lombardiæ.
5. Romana.
6. Regni.
7. Vngariæ.
8. Teutoniæ.
9. Angliæ.
10. Poloniæ
11. Daciæ.
12. Græciæ.
13. Terræ Sanctæ.
14. Aragoniæ.
15. Boemiæ.
16 Prouincia Provinciæ.
17. Saxoniæ.
18. Dalmatiæ.
19. Trinacriæ.
20. Portugalliæ.
21. Scotiæ.
22. Bethicæ.
23. Germaniæ inferioris.
24. Apuliæ S. Thomæ.
27. Hiberniæ.
28. S. Iacobi de Mexico.
29. S. Io: Baptistæ del Perù.
30. S. Vincentij de Chiapa.
31. S. Antonini de novo Reg:
32. Occitana.
33. S. Dominici Venetiarũ.
34. Nesciovanensis.
35. S. Cathar. M. de Quito.
36. S. Laurentij de Chile.

Qui ordo Proviuciarum cõfirmatus fuit Romæ 1558. Postea vero creatæ sunt aliæ sex Provinciæ, nempe P. S.mi Rosarij Philippinarum, P. S. Hippolyti mart. de Oaxaca, P. S. Petri Martyris P. S. Cath. de Senis, quæ etiam dicitur Aprutina: & Romæ 1612. fuit creata Provincia Russiæ. Ita declarat. Constit. nostri Ord: d. 2. c. 4. ad. n. 3. l. a.

CAPVT II.

Conventus Provincia Hungaria.

ORdinis noſtri loca, ſi Sanctimonialium ſint, Monaſteria, propriùs loquendo; ſin autem virorum, & chorum habent cum duodecim profeſſorum fratrum numero, è quibus decem ad minus Clerici ſint, dicuntur Conventus: ſi minore numero conſtant, Loca vocantur: ſi cum majore etiam numero ſine Choro ſolo ſtudio vacant, qualia ſunt plurima in Hiſpanijs, Collegia nuncupantur. Et verò vſque ad annum Chriſti 1363. in Hung. Provincia Conventus 35. numero recenſebantur, vt patet ex Fr. Bernardi Guidonis Chron. m. s. Bononiæ aſſervato cum additionibus factis ab alijs vſque ad annum præcitatum: ex quo, nullo dempto, vel addito Conventu, ſuum indiculum S. Antoninus ita deſcripſit.

Bern. Guido ſcripſit anno 1303.

S. Anton. 3. p. hiſt. t. 23. c. 13. §. 3.

In Provincia Vngariæ, quæ comprehendit Pannoniam, Sclavoniam, & Dalmatiam, ſunt Conventus 35. &

In Pannonia quidem ſunt iſti Conuent:	Ferrei Caſtri.	Bihig.
Albæ Regalis.	Camarienſis	Iadrenſis.
Peſtenſis.	*In Sclauonia ſunt iſti Conuent.*	Canſtronouenſis.
Budenſis.	Chamenſis.	*In Dalmatia ſunt iſti Conuentus.*
Strigonienſis.	Veronica.	Spaletanus.
Jaurienſis.	Poſſega.	Raguſinus.
S. Martini.	Zagrabienſis.	Durachinus.

Novensis.	Albénis Transylv:	Banen.
Quinque Ecclesi:	Histricæ.	Cassa.
Marchianus.	Transylvanensis.	Budruch.
Zeurienſis.	Similij.	Francavilla.
Potochenſis.	*Citra Danubium isti.*	Asserſiculos.
Albæ Transylvanæ		
Soybinienſis.	Tyrva.	

Appendice 2. ad Synodum dioecesanam Strigon.

Auctis deinde numero Conventibus, Vngariæ Provincia à Dalmatina ſub annum Chriſti 1486. ſejuncta eſt, poſtquam ſeparationem, ad Eminentiſs. Cardin. Petri Pazmany calculum, inſequentes conputabantur.

In Alba Regali.	Agriæ, propè Eccleſiam S.
In Peſt, ad S. Antonium.	Michaelis.
Budæ, ad S. Nicolaum.	Albæ Iuliæ, B. Mariæ Virginis
Strigonij, ad S. Martinum.	Cibinij.
Zagrabiæ, ad S. Nicolaum.	Biſtricij.
Iaurini.	Szegedini.
Quinque Eccleſijs.	In Temes-var.
Veſprimij, ad S. Catharinam.	Claudiopoli in Veteri Civitate
In Sancto Martino.	Verò viciæ.
In Caſtro ferreo, S. Crucis.	Szechènij.
In Bihach, ſive Bich, in Croatia.	Bereg-ſzâſzij.
Tyrnaviæ, ad S. Ioannem Baptiſtam.	In Inſula Leporũ, ad B. Virg:
Caſſoviæ.	In Czobor-Szent-Mihàly.
Budorach.	Asserſiculis, h. e. Szèkely-Vâſarhely.

At verò juxta Mag. Fr. Io. Michaelis Plodij, S. Officij contra hæreticam pravitatem per Statum Mediolani Gen. Inquisitoris, indiculum, numerus major apparet: sic enim eos recenset.

Lib. 2. de Prop. Sancti Dominici per Italiã c. 63.

Albæ Regalis.	Albæ Iulienſis.	Tyrnavienſis.
Peſtanus.	Vbinienſis.	Friſacenſis.
Budenſis.	Cibinienſis.	Segedinenſis.
Strigonienſis.	Biſtricenſis.	Temeſvarienſis.
Zagrabienſis.	Allenſis.	Coloſvarienſis.
Iaurienſis.	Tranſſylvanenſis 1.	Caſmenſis.
Quinque Eccleſiæ:	Tranſſylvanenſis 2.	Verovicenſis.
Veſprimienſis.	Clamenſis.	Zechienſis.
S. Martini.	Leurienſis.	Schebniczenſis.
Ferreo caſtrenſis.	Potochenſis.	Caſſimenſis.
Veronicenſis.	Soybinienſis.	Nomenſis.
Poſegenſis.	Albenſis.	Bugenſis.
Bibachenſis.	Kerezzechienſis.	Gariſienſis.
Bagnenſis.	Leubenenſis.	Znoymenſis.
Hiſtricenſis.	Poſegauerenſis.	Vervenſis.
Similienſis.	Symozornenſis.	Tenarvienſis.
Tirvenſis.	Garenſis.	Beregszaſzienſis.
Caſſenſis.	Coronenſis.	Inſulæ Leporum.
Budruchenſis.	Boritenſis.	S. Mariæ Angelorũ,
Francavillanus.	Segbavienſis.	Czobor Szér Mihaly
Aſſerſiculenſis.	Petovienſis.	Marchianus.
Aregh.	Caſſovienſis.	

Cœterum, quamvis certò teneam, plures fuiſſe Fratrum noſtrorum Conventus, quàm relati ſint ab Eminen-

tis.

tis. Pazmany; & adhuc à M. Plodio, aliquos, vt in Cumania unum, aut plures; in Moldavia & Valachia Ceretenſem, Petuſenſem, Primicellenſem; in Hungaria Sirmienſem, Sigebienſem, Camaronienſem, Vacienſem omiſſos fuiſſe: haud tamen ægrè crediderim, in hoc Plodij catalogo non ſemel eundem ſocum repeti, propter aliquam unius vel alterius literæ, aut ſyllabæ, vt apud diverſos ſcriptores exteros (qui nomina peregrina variè pronunciant, & ſcribunt non rarò) reperiri potuit, mutationem, additionem, ſubtractionem; quo factum ſit, vt diverſa cenſerentur loca, quæ aliqua vocis varietate à diverſis eſſent deſcripta, vt Tirvenſis, Tenarvienſis, Tyrnavienſis: Cibinienſis, Vbinienſis: Poſegenſis, Poſegaverenſis: Albenſis Altenſis. Itaque Syllabum alium, abacedario, ad faciliorem comprehenſionem, ordine, cum omnibus locis à Plodio, & à nobis jam enumeratis conficere, & circa ſingula, quæ occurrerint explicanda, placet annotare.

Alba Iulia. Ea urbs eſt in Tranſſylvania veruſtiſſima, ſede Epiſcopali celebris, olim Regum Daciæ regia, & jam Principum Tranſylvaniæ ſedes; à Iulio, vel à Giula, Hunnorum Duce nomē habens, vt aliquibus placet; vel, quod verius eſt, à Iulia Auguſta Marci Aurelij Antonij Pij Imperatoris matre. Inqua arbitor fuiſſe duos hujus Provinciæ Conventus, quos Guido, & S. Antoninus vocant Albæ Tranſylvanæ & Albenſis Tranſylvaniæ: Plodius verò Tranſylvanenſem 1. & Tranſylvanenſem 2. vt mihi etiam monebo.

Bonfin. dec. 1. lib. 9. p. 334. Auctor Reipub Hung. p. 37.

Albenſis, ab Alba Regali Civitate Vngariæ ſic di-

cta,

ta, quòd olim Vngariæ Reges, in ea coronari, & vita functi, tumulari ſolerent. In ea Conventus ante annum Chriſti 1247. extabat; nam Epiſcopo Iaurienſi, & Priori noſtri Ordinis Albenſi, dicto anno Innocentius IV. commiſit, vt viderent, an Boſnenſis Eccleſia Colocenſi Metropolitanæ, propter expenſas in ejus erectione factas, foret ſubijcienda; ſique juſtum æſtimarent, porrò ſubijcerent: quod & factum.

Albenſis. Fortaſſis eſt, (vt præmonui) Albenſis: viri enim geographiæ hungaricæ periti, ajunt, nullum eſſe locum, unde hæc denominatio ſumatur. Attamen, præter Albam Iuliam, & Albam Regalem, eſt etiam in Regno Vngariæ Alba Græca, quæ & Taurunium, & Belgradum vocatur. Hungari enim (Bonfinio teſte) vt progenitorum memoriam propagarent, tot Albas dixere: Nam illi ab Vnnis, Vnni à Leucis, ideſt, Albanis Aſiaticis, qui à Scythis orti ſunt, originem duxerunt. Sed nùm Albægræcæ noſtri Ordinis Coenobium fuerit, hactenus, quod meminerim, non legi. *Bonfinius dec. 2. li. 2. pag. 23.*

Agrienſis (quem, me judice, Plodius dicit Aregh) ab Agria civitate Epiſcopali inter Tibiſcum, & Danubium, quæ olim à Tartaris, Bela IV. Rege, deſtructa, majore ab ipſo magnificentia inſtaurata eſt. Aliqui ab Agrianis Illyrici populis, qui eam condiderint, alij ab interfluente fluvio, nonnulli minus verè, quòd gens agreſtis eſſet, & inurbana, appellatam dicunt. Coenobium in ea fuit non procùl à S. Michaele. *Bonf. pag. 4.*

Aſſerſiculenſis, ab Aſſerſiculis, ſive Foro Siculorum, aliàs *Zeckel VVaſſarhel*, Siculiæ (quæ Daciæ eſt angulus,

Moldaviæ contiguus) oppido ampliſſimo, ubi frequentes Siculorum conventus eſſe ſolent. Coenobij iſtius origo antiqua, quando & illius meminit S. Antoninus.

Banenſis, à Bano oppido præcipuo in ea parte Macedoniæ, quæ hodie Scutari nominatur; juxta Plodum ajentem, Conventum hunc fuiſſe in Albania: alioquin Banenſis etiam dici poteſt à *Ban-Monoſtra*, aliàs *Bak-monoſtra*, Sede Epiſcopatus Sirmienſis in Vngaria. extat & apud S. Antoninum.

Beregſzaſzienſis à Beregſzſzas, Vngariæ Civitate celebri in Beregienſi Comitatu. Conventus vigebat circa annum 1566. quando univerſi illius Religioſi odio fidei ab hæreticis trucidati ſunt.

Bichenſis, ſive *Bihachenſis* à Bich, ſive Bihach oppido in Croatia. memoratur Conventus à S. Antonino, Plodio, & Card. Pazmany.

Boſitenſis apud Plodium, fortè Boſnienſis, Boſnienſis, Boſſinenſis; neque enim dubitaverim familiæ Prædicatoriæ loca fuiſſe in Boſnia; ubi primus ejus Epiſcopus extitit noſter B. Ioannes Teutonicus, & per homines ſuos, (vt non ſemel ſcripſimus) plurimum pro animarum beneficio, & gloria Dei laboravit. Quin etiam Plodius, Provinciæ Vngariæ Conventus in Boſnia extitiſſe diſertè teſtatur.

Budenſis, à Buda Vngariæ Metropoli, quam ſic dictam putant à Buda Atilæ Hunnorum Principis fratre, & imperij conſorte; ſive, (quod verius cenſentur) à Budinis Scythis, accolis Boriſthenis, qui cum Atila in

Panno-

Pannoniam egressi, eam condiderunt. Is, propter Regiam, & Generale studium, celebris hujus Provinciæ Conventus fuit; in quo etiam Comitia totius Ordinis anno 1254. sub Vmberto de Romanis, V. Gen. Magistro, tunc electo, celebrata sunt. Ecclesia, olim S. Nicolai nomine, in cujus stabulum ab impiissimis Turcis versa adhuc visitur, vt ab ijs, qui in ea Vrbe fuerunt, accepi.

Budruchensis, vel Budorachensis, ab oppido Budruch, sive Budorogk in Comitatu Bodrogiensi. ejus meminerunt S. Antoninus, *Plodius*, *Pazmanius*.

Bugensis, à Plodio recensetur alius à Budensi; sed nihil certius invenire hactenus potui.

Cassensis. Cassam, locum diversum ab Vrbe Cassovio, in confinibus Vngariæ, & Moraviæ, ad montes Carpathios, legimus in tabula Germaniæ Rumoldi Mercatoris, impressa anno 1612.

Cassoviensis, à Cassovio, olim Cassionia, à Cassio Cive Romano, sic appellata, sicut alia Regni Vngariæ loca, Posonium à Pisone, Sopronium à Sempronio, Sabaria, à Fabio, (vt quidam putant,) Alba Iulia, à Iulia, *Iulio Cæs.* Giula, Severinum à Severo Imperatore: estque urbs cultissima atq; clarissima, multum adhuc retinens antiqui splendoris. Coenobium nostrum, sacrarum literarum studio, pietatis observantia, structuræ opere, fuit insigne: sed ob incendium, quo ex igne fortuito urbs tota cum majori templo, ipsum nostrum, & Franciscanorum Coenobia conflagrarunt; aliasque, bellorum, & religionis

De hoc incendio, Isthuanffi, de

Vide Hung. T. II. p. 3. 373.

acatholicæ perturbationes, deniquè desertum est à nostris hominibus. Cives autem Cassovienses, Cœsari Rudolpho 2. supplicarunt, vt ipsis Templum pro communi Ciuitatis frumentario daretur, quod impetrarunt anno 1578. ea tamen conditione, vt repetentibus illud Dominicanis, sine mora restituerent, vt patet ex Cœsarearum literarum exemplari, quod sequitur.

Nos Rudolphus, & coet. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit, universis, quòd Nos, attentisè & consideratis constanti fidelitate, fidelibusq; seruitijs fidelium nostrorum prudentum, & circunspectorum Iudicum, & Iuratorum, totiusq; Communitatis ciuitatis nostræ Cassoviensis, tùm verò benignum habentes respectum humillimæ supplicationis ipsorum nobis propterea factæ: totale desertum templum, aliàs ad Religiosos Fratres Ord. S. Dominici pertinens, sed per complures hactenus annos à fratribus prædicti Ordinis desertum, tam ex incendio, conflagrationeq; prafatæ Ciuitatis nostræ Cassoviensis, omni prorsus tecto destitutum, quàm temporis, & aeris injuria penitus corruptum, & desolatum, in inferiore ejusdem Ciuitatis nostræ Cassoviensis parte, & area situatum, ijsdem Iudici, Iuratis, & Communitati ciuium Ciuitatis nostræ Cassoviensis, pro domo Frumentaria reparandum, & extruendum clementer dedimus, contulimus, & concessimus. Ita, & sub ista condicione, vt fideli nostro Reverendiss. Stephano Radesio Episcopo Agriensi, per Vngariam Locum tenenti, & Consiliario nostro, tanquam Diœcesano ipsorum, literas sub sigillo Ciuitatis ipsius Cassoviensis publicè consignatas, dare teneantur. Quod si successu temporis prædicti Fratres Ordinis S. Dominici in integrum restitui, ac

tem-

templum prædictum ab ipſis Civibus Caſſovienſibus per illos repeti contingat: tunc ijdem, illud, abſq; reſiſtentia, difficultate aliquali, eisdem remittere, & reſtituere debeant, & teneantur. Immò damus, conferimus, & concedimus, harum noſtrarum vigore, & teſtimonio literarum mediante. Datum in Arce noſtra Regia Poſonienſi, Die 10. menſis Aprilis, anno 1578.

Ceretenſis, unus ex tribus Conventibus in Moldavia, & Valachia, qui ex Vngariæ Provincia, Congregationi Peregrinantium traditi fuerant, & eidem poſtea Provinciæ, à Magiſtro Gen. Fr. Martiale Auribelli Auinionenſi, reſtituti.

V. de re hac Plodiū 2.p.Vir illuſt. li.3.col 36.

Chaſmenſis, S. Antonino Chamenſis in Sclavonia. Meminit Iſthvanffi Chaſmæ arcis in Illyrico, non longè à Criſio, quam Vlamanes Perſa, Turcarum Dux, occupavit, ſæculari præpoſitura gaudentem. Putem Conventum iſtum eſſe etiam, quem Caſſimenſem Plodius vocat, dum diſtinctos ponit Chaſmenſem, & Caſſimenſem. Erat in diœceſi Zagrabienſi.

lib.19. p.352.

Cibinienſis, à Cibinio Tranſſylvaniæ metropoli, quæ Cibinij amnis nomen retinet, & voce alia *Hermanſtàt*, ab Hermanno primo ejus conditore dicitur; cultiſſima illa quidem Civitas ædificiorum ſtructuris, & magiſtratu politiæ laude præclaro; muris, propugnaculis, & ad vitam neceſſarijs non ſolum egregiè inſtructa, ſed cui etiam, quæ ad delicias, & voluptatem faciunt, ſuppetant abundè. Conventus Cibinienſis non extat in S. Antonini indice, benè apud D. Pazmanyum, & Plodium, vt paulò recentior videri poſſit; niſi ei ſit Soybinienſis.

Plodius 2. p. mir illustr. lib. 4. col. 145

Cilmienſis. meminit hujus Plodius, dùm narrat, Mag. Generalem Ord. Fr. Franciſcum Sylveſtrium Ferrarienſem, in Conventu Cilmienſi Studium Generale Prov. Vng. conſtituiſſe; vt proinde nõ niſi majoris momenti locus eſſe debuerit. Sed pro Cilmenſi, Sirmienſis, legendum.

Chomarienſis, ſive *Comarionenſis*, à Comara, vel Comaronio, ſive *Komaron*; qui locus hodie eſt arx ſita in extremo angulo Inſulæ cujuſdam Danubianæ non longè à Iaurino, adverſus omnem vim valdè munita. Conventus, (quem S. Antoninus vocat Chamarienſem) Eccleſiam extare adhuc, bonaq́; illius Præfecto, ſive Mandanti arcis commendata, feruntur.

Clamenſis, apud ſolum Plodium deſcribitur, cujus loci nomen inveſtigare non potui.

Claudiopolitanus, (voce recentiori Coloſvarienſis) à Claudiopoli Civitate Tranſſylvaniæ, quam Claudius ædificavit; quæq́; ſita in planicie peramoena, hodieq́; tam murorum ambitu foris, quàm ædificiorum ſtructuris intus ſplendida eſt. Nobiliſſimum planè, & ampliſſimum fuit coenobium; jam locus totus ab Arianis occupatur, in quo Scholas habent Sathanæ, & digna fulmine, ac mille inferis docent dogmata, moreq́; damnatorum loquuntur blaſphemias; nam, vt religioſus quidam noſter ejus vrbis civis, ſe audiviſſe, dum adhuc eſſet in ſæculo, referebat; Prædicantem ex ipſis quendam, Perpetuam Virginem Deiparam, cœli, mundiq́; Dominam, ſupra mulieres, immò & creaturas univerſas benedictam, quæ vel in prima ſui ſanctificatione Angelorum vertices gratiæ cumulo longè ſuperavit, corruptiſſimæ ſuæ vxori

P. Theologos 3. p. q. 27.

com-

comparare non puduit, verbis illis, *inter Christianas quadam fœmina fuit, qualis uxor mea.* Sed nos nefandissimi hominis, seu dœmonis potiùs, os loquentis iniqua, illo Sanctissimi Ioannis Chrisostomi, Episcopi Constantinop. in Magnæ Matris, Hungariæ Patronæ laudem, obstruamus, elogio: *Magnum revera miraculum fuit Beata semper Virgo Maria, qua nihil majus, aut illustrius ullo tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit, quæ cœlum cœlum, ac terram amplitudine superavit: qua nihil sanctius. Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quippiam inter creatas res visibiles aut invisibiles, majus, aut excellentius inveniri potest.* Claruerunt ex ea urbe in nostro Ordine, Fr. Nicolaus Mirabilis, S. Th. D. Prædicator Apostolicus, & per totum Vngariæ Regnum Inquisitor: & Fr. Ioannes, Chanadii Episcopus, ad Concilium Tridentinum à Cæsare Ferdinando missus cum alijs quibusdam apud Sithuanffi li. 21.

Hom. 11. in Hypapant. Dom.

p. 436.

Coronensis, Coronæ, sive Brassoviæ, Transylvaniæ Civitate, mercibus turcicis celebri, intra montes amœnissimos sita, moenibus, fossis, & propugnaculis probè munita, per cujus singulos ferè vicos, riuuli salubri fontium scaturigine perennes descendunt; frumento, linoque adeò abundante, vt quasi horreum vicinarum gentium habeatur. Hujus Conventus mentionem facit Plodius.

a Ant. Bon. Rer. & fast. Reg. vi. Hung. pag. 26

Cumanus, in Cumania, regione olim gentilium populorum extra Regnum Vngariæ, vt non procul ab initio hujus opellæ narravimus; unde tamen Cumanorum

colo-

coloniæ in Vngaria propagatæ: quod præter alia, quæ ibi tetigimus, Campi Cumani descriptio apud Cosmographos, Palatini titulus, & authoritas in Comanos manifestant. Sic Valachi in Vngaria, ad Austriæ, Styriæq; confinia, & Saxones in Transylvania (quorum omnium primæva patria longè inde distat) modò visuntur. Sed in ipso Cumaniæ Regno, B. Paulum Vngarum, & fratres ex Provincia Vngariæ, conventum & vnum, & plures habuisse, traditur à Guidone, Malvenda, Plodioque.

Bern. Guido in Chronico Malvenda anno 1222. c. 23. Plod. in Prog. li. 2. c. 63.

Czobor-Szent-Mihaly. Sancti Michaelis nomine locus est in Vngaria. Hujus Conventus mentio est apud Em. Pazmanium, & Plodium.

Ferreo castrensis, ab oppido Castro ferreo, Sabaria duobus circiter hungaricis milliaribus ultra Rabam fluvium distante, ex quo Comitatus Castriferrei in Vngaria notissimus. Olim fuit florentissimum, Præpositura, & Capitulari etiam dignitate gaudens: sed jam vix justi pagi nomen meretur, adeò Turcarum vastationibus est desolatum. Ad eum locum anno 1636. mense Augusto per Ad. R. D. Præpositum ejusdem Capituli, (quod modo Sabariæ residet) tuto cum comitatu, propter Turcarum excursiones, perductus, non sine lacrymis, ruinas tùm oppidi, tùm nostri Sanctæ Crucis titulo Conventus aspexi. Is erat olim intra oppidum. Tota adhuc Ecclesia absque tecto conspicitur; cujus longitudo ab extremo usq; ad supremi sacelli parietem (in quo magnæ Christi Crucifixi B. V. Deip. S. Ioannis Evang. imagines apparent) 133. latitudo 45. pedum existit. Turris, quæ à læva est, summitas dejecta: latitudo, 20. circiter pedum

est.

eſt. Dormitorij locus in crucis formam bene commodus, ad 24 cellas complectebatur. Intra monaſterij ſepta non procul à reliquo ædificio, ſacellum, & æcicula, quaſi ad quendam receſſum conſtructa. Parietinæ duntaxat omninm extant: ſed planè ea antiquitatis veſtigia, quibus fuiſſe priſtinæ illi paupertati, & ſanctitati religioſæ locum accommodatiſſimum, innoteſcat. Raba fluvio pertranſito, apparet ſylva grandis, quæ adhuc *Barat Erdö* hungaricè, i. e. monachorum ſylva dicitur, & ad ipſum Conventum ſpectaſſe memoratur; vt & alia pleraque bona ſpectabant, ab hominib⁹ familiæ cujuſdã nobilis per vim uſurpata, ſicut ex inſequentibus Ad. Reu. Capituli Caſtri ferrei literis apparebit. *Nos Capitulum Eccleſiæ Caſtri ferrei, Memoriæ, &c. quod Reverendus Dom. Fr. Gaſparus de Kermend, Ordinis Prædicatorum Tyrnavienſium, noſtram perſonaliter veniens in præſentiam, in ſuo proprio, ac totius Provinciæ præſcripti Ordinis Prædicatorum, ex familia Divi Dominici, per modum ſolemnis ptoteſtationis, & inhibitionis, nobis ſignificare curavit in hunc modum. Qualiter ſuperiori tempore, dùm videlicet ipſe proteſtans in perſona ejuſdem totius Provinciæ ejuſdem Ordinis hic in Oppido Caſtriferrei perſonaliter conſtitutus fuiſſet, tunc omnem curam, & proviſionem Clauſtri Sanctæ Crucis in hoc Oppido Caſtriferrei fundati, ſimul cum cunctis ſuis vtilitatibus, & pertinentijs quibuslibet, Honorabilibus Magiſtris Ioanni Karoli de Kérmend, Cuſtodi, & Ioanni Nagy de Halſo, fratribus videlicet, & Concanonicis noſtris tali modo commiſiſſet, vt videlicet ipſi, prædictum Clauſtrum, juxta vires eorum, protegere, & vineas ſimul cum terris, & foenetis, ad prædictum Clauſtrum vbivis per-*

tinen-

tinentibus restaurarent, fructus q; vs q; ad ingressum Fratrum ejusdem Ordinis perciperent, directam q; tertiam partem eorum eijdem Fratribus futuris, & supervenientibus reservarent, ex alijs verò duabus partibus totalium proventuum, vineas restaurarent: tamen postea statum Egregij A. de M. & B. de M. nescitur quibus rationibus, prædictum Claustrum simul cum universis suis utilitatibus, & pertinentijs quibuslibet, terris similiter arabilibus cultis & incultis, ac foenetis, nec non vineis in promontorijs Henie, & Oloska existentibus de manibus præfatorum protectorum, seu provisorum, ad id, vt præmissum est, deputatorum, excepissent: & præfati A. & B. de M. vineas in præfato promontorio Oloska, pro seipsis, via facti, potenter propria authoritate occupassent, & abeo tempore fructus, & utilitates quaslibet percepissent: alteram verò vineã, nempe in promontorio possessionis Henie existentẽ, annotatus B. de M. & Egregio C similiter de M. Providi D. de N. Iobbagionis ejusdẽ C. de M. in oppido Castriferrei commoranti, esstmare, & rendere feciissent, absq; scitu, & voluntate totius Ordinis fratrũ: alias etiam utilitates uniuersas ejusdẽ Claustri præscripti, A B. C. de M. Iobbagiones q; eorũ percepissent, perciperent q; etiam modo potentia mediante, in præjudiciũ, & derogamẽ, damnum q; præscripti Ordinis, totius q; Provinciæ Fratrum præscriptorum manifestum. Vnde facta hujusmodi protestatione, idem Fr. Gaspar, in suo proprio, ac totius Provinciæ Fratrum præscriptorum, memoratos A. B. C de M. & alios universos, & singulos, ab occupatione, vsurpatione, &c. prohibuit, contradixit, contradicit, & prohibet publicè & manifestè. Harum nostrarum &c. Datum feria sexta, in festo Tranfigurationis Domini, Anno ejusdem, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

Peper-

Peperci occupantium, & familiæ ipſorum nomini, ne quo loco, vt & ubique, cupimus omnibus deſeruire, quiſpiam ſe putaret offenſum.

Francavillanus. Hujus inter Vngariæ conventus meminere Guido, S. Antoninus, & Plodius. Franciſcanis etiam fuit in Vngaria monaſterium de Franca Villa apud Em Pazmanium.

Friſacenſis. Conventus hic ex Carinthia, pro reſtauranda Vngariæ Provincia, ad annum Chriſti 1580. aggregatus eſt; quem Friſaci, Noricorum quondam vrbe celebri, Virunium, ſive Viruvium appellata, S. Hyacinthus, à Beatiſſimo P. Dominico ad prædicandum Evangelium in Poloniam dimiſſus, primum omnium ædificavit anno 1218. De quo Clemens VIII. in bulla canonizationis ſic ait: *in itinere, cùm vsq; ad Civitatem Friſacenſem proceſſiſſet, verbo ſimul & exemplo tantum illic profecit, vt ipſis ſex menſibus monaſterium Ordinis Prædicatorum, multis ibidem Fratribus, & Hermano illis præpoſito relictis, conſtruxerit.* fuiſſe ampliſſimum, & religioſis numeroſiſſimum, & ædificium ipſum adhuc, & alia vetera monumenta teſtantur. Tanta pietate floruit, vt memoriæ prodatur, divinitùs cuidam Fratri revelatum fuiſſe, locum ſepulturæ illius Conventus Religioſorum, terram eſſe Sanctorum, nullumq; loci palmum extare, in quo non eſſent eorum reliquiæ.

Garenſis, à Gara, oppido Dominorum de Gara, qui maximi fuerunt in Vngaria; & pro ſuo zelo, Catholicam Religionem quàm maximè promoverunt.

Gariſienſis. Hunc memorat à præcedente diſtin-

ctum Plodius: sed nihil magis hactenus scire licuit de illo.

Gracensis. & hic pro ejusdem Provinciæ reparatione Græcij Styriæ metropoli accesserat; vbi intra moenia, præter Dominicanarum Monialium, quod etiam num extat, fuit ad Sancti Sanguinis loco præclaro Fratrum cœnobium, Mag. Fr. Alexij Butzl opera ædificatum, sub initium 14. seculi; vt ex hoc epitaphio, quod in templo ibidem adhuc legitur, constat. *Anno Domini 1411. 5. Novembris, obijt Reuer. P. Mag. Alexius Butzl, Sac. Th. professor, ac hæreticæ pravitatis Inquisitor, nec non Vicarius nationis inferioris Bavariæ, Conventus Viennensis F. hujus loci primus Prior, & inceptor: cujus anima requiescat in pace.* Postea verò Templo majori parochiali P. P. Societatis Iesu tradito, & loco nostro Paroeciæ addicto, ad D. Andreæ extra Vrbem, infra Muram fluvium, & cœmeterium concessimus: vbi, vetere ædicula diruta, non adeò pridem nobile templum, devotione Sanctiss. cum primis Deiparæ Rosarij frequentissimum, constructum est cum Conventu benè amplo, in quo Studium est Congregationis Styriæ, & Carinthiæ generale; cui ab anno 1627. per triennium in Regentiæ officio indignus desudavi.

Histricensis. Sub hoc nomine à Guidone, S. Antonino, & Plodio memoratur: sed fortassis idem fuerit, qui Bistricensis; præsertim, cùm à Guidone in Transsylvania locetur.

Iaurinensis, à Iaurino, Vngaricè *Raba*, Vrbe, Episcopali sede, & primario jam totius Vngariæ adversus Turcas munimento, præclara. Omnium totius hujus Provinciæ conventuum antiquissimus existimatur, qui per B.

Pau-

Paulum Vngarum anno 1221. vel insequente proximè fuerit fundatus. Is est, quem Garinus Laurienſem in vita S. Margaritæ vocabat: non antiquitate ſolùm, ſed & Beati Mauritij Chakij, Fr. Cari vel Caroli, germani ejuſdem, è regio ſtemmate; Fr. *Petri* Iaurienſis AA. & S. Theol. Profeſſ. qui mortem Beatiſs. V. Margaritæ mervit per nocturnam revelationem audire, aliorumq; ſanctitate, atq; doctrina clariſſimus. Ita jam Eccleſia, & Convent. deleta ſunt, vt neq; quo loco fuerint, indigitare quisquam poſſit. Prædia tamen ipſius, ad Patres Societatis, qui ibidem Collegium habent, dicuntur perveniſſe.

Inſula Leporum. Ea eſt Danubij Inſula, mille paſſib⁹ Buda diſtans, quæ à Belæ tempore, B. Virginis Mariæ, & deinceps etiam B. Margaritæ titulo eſt inſignita. In qua, præter Regia Palatia, erant etiam Religioſorum Ordinum Monaſteria complura, Ciſtercienſium, *Præmonſtratenſium*, Franciſcanorum, Paulinianorum, Dominicanorum: & quidem, præter Monialium Ord. noſtri Monaſterium, extitiſſe ibidem Fratrum Conventum, non tantùm *Plodius*, ſed etiam Cardinalis Pazmany teſtatur. In vita m. s. S. Margaritæ paſſim occurrit mentio Fratrum, qui in ea Inſula, Monialibus, pro Sacris, & religioſis functionibus, inſerviebant; quod fieri non poterat, niſi ibidem proprium locum habuiſſent, cum Buda longiùs diſtaret: nec Regiam Belæ Majeſtatem, qui filiæ intuitu Monaſterium magnificentiſſimum Sororibus extruxerat, aliter cum Fratribus facere decebat.

Kereſzegienſis, à Kereſech, ſive Kereſzeg, oppido juxta fluvium Kerez, in Bihorienſi, aut Torontalienſi Vngariæ

Comitatu, vnde etiam ſeſe inſcribunt Mag. Dom. Cakij, nimirum de Kereſzeg. Conventus hic, vt poſſet renunciari, indultum eſt à Capit Gen. Romæ, anno Chriſti 1553. hiſce verbis. *Concedimus Prouinciæ Vngariæ, quòd poſsit relinquere Conventum Kerezzeghienſem.*

tit. de Conceſſionib9

Leubenenſis, hic eſt Leobienſis, à Leobio Civitate in Styria, qui cum alijs ejus Conventibus, *Prov.* Vngariæ, fuit, vti diximus, incorporatus.

Sancti Martini. De loco hujus nominis loquens auctor libri Reip. & ſtatus Regni Hung. dicit. *Tria ab Laurino milliaria, orientem verſus, eſt mons S. Martini, in cujus jugo inſigne monaſterium*; Benedictinorum nimirum de Sancto monte *Pannoniæ*, à S. Stephano Rege I. fundatum: *adradicem verò oppidum, ligneo ſepimento terra expleto, præcinctum.* An verò hic fuerit noſtri Ordinis Conventus, aſſerere non poſſum, quòd multa in Vngaria dicantur loca nomine Sancti Martini: illum tamen concorditer agnoſcunt Guido, S. Antoninus, *Pazmanius*, & *Plodius*.

pag. 48

Marchianus. Meminit ejus Guido, S. Antoninus, & *Plodius*. Em. etiam *Pazmany*, inter Præpoſituras Ordinis Canonicorum S. Sepulchri Hieroſolymitani in Vngaria, recenſet unam de Marchia.

Pagina 111.

Novenſis, S. Antonino Nomenſis, *Plodio* Nonenſis, à Nova, Civitate Dalmatiæ, Epiſcopali ſede ornata. Antiquus ſanè Conventus, qui, *Plodij* teſtimonio, ſub annum Chriſti 1228. fuerit fundatus.

Plodi9 2. p. li. p. col. 13.

Penſutenſis, vnus ex tribus in Congregationem *Peregrinantium* olim aſcitus, iterumq; *Provinciæ* huic reſtitutus.

Feſta-

Peſtanus, à Peſto oppido, è regione Budæ, in viterioſe ripa Danubij (vt ſolo navali ponte vtrò citroq; veniatur) ſito, natura, & arte cumprimis munito, & civibus frequenti. S. Antonij nomine, inter antiquiores accenſebatur, qui anno Chriſti 1233. 12. numirum ab Ordinis in Hungariam ingreſſu, jam eſſet erectus, vt ex literis B. Fr. Buzad Banffij, illo anno, in ipſo Peſtenſi Monaſterio datis, quas & prima hujus commentarioli parte deſcripſimus, liquidò conſtat. Fundarunt Michael de Beſenye, & vxor illius Anaſtaſia, & ejus filius Gregorius; itemq; Blaſius de Kenderes. Celebrata ſunt in ipſo Comitia totius Ordinis Generalia, ſub B. Ioanne Vercellenſe VI. Ord. Gen. Magiſtro, anno Chriſti 1273.

Pettovienſis. Pettovium, Civitas eſt Styriæ præclara, in quo, ad ripam Draui fluvij præterfluventis, non exiguum eſt Ordinis noſtri, S. Mariæ ſuperioris titulo, Cœnobium, quod in reparationem Provinciæ Vngariæ ab anno Chriſti 1580. eſt cooptatum: præcipuumq; eo tempore fuit, à *PP.* etiam Capituli Generalis Romæ anno 1589. celebrati, pro examinandis juvenibus, nomine ejuſdem Provinciæ recipiendis, deſignatum.

Poſegenſis. Poſega, citerioris Vngariæ regio eſt, vicina Illyrico, quæ intra Savum, & Dravum flumina, non imparibus ferè intervallis ſita eſt; ita vt à ſeptentrione Dravo, à meridie Savo claudatur. In ea arx eſt, Poſega nomine, à qua omnis regio nominatur, quam à paucis cuſtoditam, Solymanus Turcarum Imperator, dum ab irrita Viennæ anno Chriſti 1529. obſidione reverteretur, ex improviſo aggreſſus, facili negotio cepit cum Collegio

Iſthuanffi pag. 208.

Sacer-

Sacerdotum S. Petri *Posegani*, quod in propinquo ad mille passuum spatium distabat, Sacerdotibus, trajecto Drauo, versus Quinque Ecclesias in tutiora loca profugientibus. *Posegensis* Cœnobij meminere Guido, S. Antoninus, & Plodius: an verò illud fuerit Collegium S. Petri, quod ex Isthuanffio memoravimus, nescio.

Posegavarensis; hunc à præcedente distinguit Plodius; sed, vt nihil vetat, duos in Posegana regione nos Conventus habuisse, sic in re obscuriore, nihil mihi datur certò posse definire.

Potochensis, sive Potokensis, commemoratur non tantùm à Plodio, sed etiam à Guidone, & S. Antonino: de quo consultus à me R. P. Nemethi ita respondit: *Patakinÿ, sive Potokÿ, legi fuisse Prædicatorum Conventum. Nunc hunc locum possidet Illustriss. Transsylvaniæ Princeps. Est oppidum cum arce in Vngaria situm.*

Primicellensis, vnus ex assumptis pro Peregrinantium Congregatione.

Quinquæ ecclesiensis, à Quinque Ecclesijs, nobili, & Episcopali Vngariæ Vrbe, quæ à quinque Basilicis, Bonfinio teste, sortita est nomen; jam verò sub Turcarum ditione est ab anno Christi 1543. quo eam Solymanus occupavit. Conventus hic anno 1238. erat fundatus; quoniam illo ipso anno Gregorius IX. Pont. Max. Priori Quinqueecclesiensi, & Fratribus, vt in ædificatione Cathedralis Ecclesiæ Bosnensis, & in propagatione, defensioneq; Fidei Catholicæ, Ecclesiæ eidem assisterent, demandavit, vt ante narravimus.

Bonfin. Decad. p. li. p. pa. 23. V. Isthuäffi li. 15. pag. 270.

p. 3. l. 4 n. 6.

Schemnicensis (Plodio *Schebnicensis*) à Schemni-

cio

cio, vna ex montanis Hungariæ Civitatibus, (quæ liberæ ſunt, & plurimis immunitatibus gaudent, auri, & argenti fodinis celebres) vnde oriundus fuit Abraham Bakchay, Chronologiæ de Regibus Hungaricis, quæ Bonfinio annexa eſt, eruditus conſcriptor. In Montanis Civitatibus nos habuiſſe Cœnobia, ſæpius mihi retulit piæ m. P. Magiſter Fr. Albertus Erneſtus à Pranch, Invictiſs. & Pijſſimi Ferdinandi II. Auguſti collactaneus, verè egregius, & Apoſtolici ſpiritus Prædicator, atque in hæreticorum controverſijs dirimendis, cavilliſq; enodandis fœliciter verſatus, ex Conv. Viennenſi; qui in Vngaria in bonis Illuſtriſs. D. Comitis Pauli Palffij, Vngaricæ Cameræ Præſidis, Ordiniſq; noſtri ſingularis Patroni, non exiguo tempore, cum pietate, & proximorum ædificatione degens, plurimos, & inter alios, totam Civitatem Morech, quæ eſt in Vngariæ confinio, ad eundem D. Comitem ſpectans, ferventi prædicatione ad Fidei Catholicæ veritatem perduxit. Is, earundem Montanarum Civitatum, inquibus ferè ſolius germanici idiomatis uſus eſt, ſalutem zelatus (pauciſſimi enim ibi Catholici) ad illas, ferè jam cunctis diſpoſitis, decreverat cum alijs commilitonibus ex noſtris proficiſci; ſed morte præventus, non potuit. Nec tamen omninò deſiderio ſuo fruſtratus. In ipſa enim ſuprema ſua ægritudine, non ſemel ad me dixit: rogare ſe Deum, vt, ſi non eſſet ſibi ex ea infirmitate migrandum è vita, lagiretur ſalutem, quò quamcitiùs deſtinatum iter arripere poſſet: ſin autem moriendum eſſet; ipſa hebdomada ſancta, quo tempore jam ante plurimos annos in Prædicatoriam familiam

Incipit hæc Chronologia à pag. 914. ſeq. per us Bonfinianï.

nomen dederat, animam redderet Redemptori. Quod & factum; ipsa enim feria quarta ejusdem sanctioris hebdomadæ, media circiter 7. matutina, cùm prius peccatorum exomologesin fecisset, piè decessit Viennæ, anno Christi 1633. sepultusq; est in quarta claustri defunctorum parte, versus refectorij caput, juxta magnam statuam B. V. Deiparæ de *Pietate*, (quæ tunc ob novi templi ædificium ibi extabat) cui fuerat peculiari devotione affectus.

Segbavienſis apud *Plodium*: sed hactenus nihil amplius scire licuit.

Similienſis, sive Simigiensis, in oppido Simigio, ex quo *Comitatus* Simigiensis in Vngaria præcipuus. In hoc *Conventu* fuerunt pretiosissimæ illæ S. Patris Dominici Reliquiæ, quibus novem mortui suscitati, & innumera miracula patrata fuerunt, vt parte prima hujusce scriptionis ex certissimis monumentis enarravi. fuit *Conventus* perantiquus; cùm Vincentius Bellovacensis in Speculo historico, quod anno Christi 1244. absolvit, multa ex miraculis facta in hoc Vngariæ Conventu recenseat: & Fr. Constantinus, Vrbevetanus Episcopus, in Officio, quod pro solemnitate ejusdem Sanctiss. Patriarchæ anno 1248. confecit, ad eadem miracula sub id temporis proximè facta, (me judice) respiciens, dicat ad Christum, *Per quem multos à morte ſuſcitas, pœnas nobis relaxa debitas.* Lubet autem hic annotare, quod jam nunc, dum hæc scribo, ex P. M. Fr. Gulielmi de Moncaluo, (inter primas vtriusq; Provinciæ Lombardiæ dotes partibus omnibus insignis) literis datis ex Bononiensi

Vincentius ipse in fine illius operis.

Senensis in bibliotheca an. 1248. Fernandez pa. 344. extat offic. in Breviar. Prad.

noſtri Ordinis Academia, in qua ſecundam S. Th. cathedram pro Baccalaurei munere, moderatur, accepi; nimirum in Chronico Fr. Bernardi Guidonis de rebus noſtri Ordinis præcitato, vbi in codice ponitur Simiu (in S. Ant. Similli) ad marginem ſcriptum eſſe, (eſtâ caractere alio) Simulu: vt ſcilicet intelligamus, unum eundemque locum eſſe, quem Guido Similu, Theodericus Simulu, & Antoninus Similium vocabat, vt jam dicta prima parte monebam. Quæ pro Vngarorum conciliatione, qui, quòd à me interrogati de voce Simulu, ſive, vt Bellovacenſis ſcribebat, Sinulu, etiamſi verſatiſſimi in rebus, & locis Vngaricis, nullum credebant eſſe locum illius nominis in ea regione, rebus geſtis, à nobis enarratis, fidem fortaſſe etiam non adhiberent, dicta eſſe velim. Neque enim de Similij, ſive Simigij loco vnquam dubitabunt.

Sirmienſis, à Sirmio, vel Syrmio, Vrbe Pannoniæ celebri & perantiqua, à Syrmo Triballorum Duce, vt Bonfinius ait, appellata. In ea, Maximo patre, ortus eſt Probus Cæſar, qui Imperij Rom. habenas moderatus ab anno Chriſti 279. per quinquennium, plurimis, maximisque victorijs ejus gloriam auxit: vnde & lapidi ejus ſepulcrali hic titulus inſcriptus eſt. *Hic. Probus. Imperator. Et. Verè. Probus. Situs. Eſt. Victor. Omnium. Gentium. Barbararum. Victor. Etiam. Tyrannorum.* Deo ſic illi repenſante, quòd prædeceſſorem ſuum Tacitum Imp. imitatus, ſublata Chriſtianorum perſecutione, pacem Eccleſiæ permiſerit, vt notavit Baronius. Sirmij etiam celebratum eſt anno Chr. 357. œcumenicum quidem, quod Sirmienſe dicitur, Concilium, cui, præter Orientales, interfue-

Bonf. dec. 2. l. 2. pag. 20 V. Veſpaſium in Probo. Bonfinius ſupra. Baronius ab anno 279. anno 280. V. Baron.

anno. 357. & ibi Bzouius. Binius in notis ad Concil. Sirmie se e p. Concil. Graui- nā to. 4 p. 2. pag. 77 V. Baro an. 375. & Bzou

terfuerunt 300. & ampliùs Episcopi ex Occidente: sed planè reprobatum, adeoque Conciliabulum: cum in eo, Constantio Imperatore Ariano præsente, ex Fidei formula vox, *Consubstantialis*, sublata sit ab Arianis, Photinum in speciem damnantibus, vt Catholici esse viderentur: vbi etiam ab omnibus Orthodoxis deploratus Magni illius Osij Cordubensis contigit casus; qui jam grandævus, exilio, erumnisq; multis à Constantio attritus, deniq; Arianis, de quibus sæpiùs gloriosè triumphaverat, assensit. Conventum nostri Ordinis Sirmiensem, censeo esse illum, quem apud Plodium in Mag. Ord. Francisco Sylvestrio, sub corrupta blæsi hac oris voce, Cilmiensis, legimus: ei enim nulla aptiùs potest respondere, quàm Sirmiensis.

Isthuanffi l. 23. pa. 485

Sigebtiensis, à Sigetho, Vngariæ oppido, arceq;, Solymani obsidione, & morte, illustri; quanquam enim Tyranni copijs sit expugnata, is tamen sub ipsa victoria, alui profluvio extinctus est. In eo Conventu, (cujus neque S. Antonini, neq; Cardinalis Pazmanij, neque Plodij catalogi meminere) Fr. Paulus Hungarus A. A. & Philosoph. M. & S. Th. Lector, Regulam, & Constitutiones pro Sororibus Monasterij Leporum se ex Vngarico latinè vertisse fatebatur anno 1474. in die S. Remigij. vt autentica exemplaria, quæ apud me sunt, attestantur, alibi tamen memoratur à Plodio.

Tabula Rumoldi Mercatoris.

Soybinienſis. Hujus meminere Bernardus Guido, S. Ant. & Plodius; & quidem Guido, quasi in Transsylvania fuerit. An fortè Cibinienſis, errore perperam pronunciantis? In tabula geographica Germaniæ jam prænarrata, describitur *Sobien* in confinibus Vngariæ, &

Poloniæ, vltra montes Carpathios. Certè magis placet esse Cibinienſem.

Strigonienſis. Strigonium, Pannonicarum Vrbium penè vetuſtiſſima, & nobiliſſima, Archiepiſcopi totius Vngariæ Primatis ſedes, ſita eſt ad Danubij ripam, quatuor oppidis conſtans, quorum primum, arcem regiam cum primario Templo colli impoſitam complectitur: 2. Hydropolis nominatur, ad collis medium in ripa Danubij ſitum: 3. in adverſa ripa è regione poſitum: 4. Raſcianorum Civitas in citeriore ripa appellatur. Occupatum eſt Strigonium à Solymano anno Chriſti 1543. quo & anno alijs duabus nobiliſſimis Hungariæ vrbibus, Alba Regali, & Quinque Eccleſijs, haud magno labore, neque multo ſuorum ſanguine potitus eſt: cùm Chriſtiani Principes (vt meritò queritur, familia, calamoque Magnificus Iſthuanffi) execrabili vecordia diducti, ac perpetuis inter ſe armis dimicantes, de vicinæ Pannoniæ ſalute, ac permanſione nihil penſi habere viderentur; tamdiuque inſanirent, donec ipſi, debellatis ejus Regni calamitoſi reliquijs, eorundem barbarorum armis, injuriaque; expoſiti, aut ab extremo ignominiæ pudore ad pietatis decus revocati, neceſſaria arma ſumere, aut ſimilem ſibi, ac ſuis populis, & regnis calamitatem, clademque expectare condidicerint. Prudenter illequidem, & juſtiſſima ſanè querela; quam, ſi ij, ad quos eſt, jam denique attenderent, meliora ſperare liceret: ſed res (proh dolor) ita conſtitutæ videntur, uti verendum ſit, ne non niſi exemplo ſuo, ferocque ſapiant Phryges. Conventus

Auctor lib. Reip. & Stat. Regni Vng. pag. 49

libro 15. pag. 270.

Strigonienſis, (qui ex antiquioribus totius Prouinciæ fuit) Templum, ad honorem S. Martini, Deo dicatum fuit. Ejus cunctorum indiculi meminerunt.

Symozgrunenſis, apud Plodium. *Sirou-Turnenſis* P. Neraethi; qui tamen ſcribat, nihil ſe de illo legiſſe.

Szechenienſis Pazmanyo; l. Secenienſis, à Secenia arce capta ab Aly Eunucho Budæ Præfecto anno 1552. cujus meminit Iſthuanffi libro XVIII. vel Secenenſis à Secenio arce alia, ad quam magna clade noſtros affectos fuiſſe à Turcis idem auctor memorat libro XXI.

Szegedinenſis, ſive Segedinenſis, à Seged, ſive Szegedino, oppido Vngariæ in Comitatu Bachienſi; cujus Conventus meminere Plodius, & Card. Pazm. in catalogis: & fundatum fuiſſe anno 1319. alio loco refert Plodius; licet addubitet, an is potiùs, vel Sighetienſis ſit illo anno fundatus.

Temeſvarienſis, à Temeſvario Vrbe Vngariæ in Comitatu Temeſienſi celebri, quæ à fluvio Temes, vel Temeſſo, ex alpibus ad Severinum urbem non longe à Danubio ſitis profluente, urbemq; & arcem præterlabente, nominata eſt, quaſi Temeſſi arx; *Vár* enim hungaricè, arx dicitur. Hebet duo oppida, quorum alterum ab oriente, Inſula vocatur: alterum vero ſeptentrionale, Temeſvarium dici ſolet; quæ oppida ſimul cum arce, foſſa prælta aquis plena irrigantur. Eam Achomates Turca anno Chriſti 1552. expugnavit. Conventus Temeſvarienſis noſter à Plodio, Pazmanyoque recognoſcitur.

Ferr. Vir. illuſtrib. li. 2. col. 147

V. Iſthuanffi li. 18.

Tirnaviensis, *Tircensis*, *Tyrnaviensis*. } Hi tamquam distincti recenseantur à Plodio. Vt vt tamen sit, certum est, nobis fuisse Cœnobium, S. Jo; Baptistæ nomine, quo loco nunc degunt *P. P.* Societatis, Ternaviæ, sive Tirnaviæ, vel Tyrnaviæ, (variè enim pronunciatur, & scribitur) quæ vrbs est Vngariæ supra Danubium, viginti quinque circiter mille passibus Posonio distans; à capto Strigonio, Strigoniensis Archiepiscopi, & Capituli sedes: jam verò munificentia Eminentissimi Pazmany, Vniversitate apud *P. P.* Societatis Iesu, egregijsq; *P. P.* Franciscanorum, & *P.* P. Societatis, (quibus, Excell. & Illustriss. Princeps Palatinus, Comes Nicolaus Esthe-rasy de Galantha, magnificentissimum templum, ad S. Ioannis Baptistæ, ingentibus sumptibus posuit: delatisque eò ex Civitate ferrea suorum ipsanis, hoc anno 1637. die 30. Augusti, per Illustriss. D. Georgium Lippay, Episcopum nunc Agriensem, & Regni Cancellarium dedicavit) ædificijs ornata. Vetustum Ord. Cœnobium fuit, quando & à Bernardo Guidone anno Christi 1305. memorabatur: sed & omnium postremò Ordini defecit.

Transylvanensis 1. *Transylvanensis 2.* } Sic Plodius. Sed & Guido, ac S. Antoninus, præter alios Conventus in Transylvania, etiam vnum vocant simpliciter Transylvanensem: potuit ergo alius eodem nomine superaddi, cui ad alterius distinctionem, temporis apposita sit nota. Sed & illud occurrit; cùm Guido, & S. Ant. recenseant inter Transylvaniæ Conventus, duos ex Alba, videlicet Albæ Transylvaniæ, & Albensis Transylvaniæ, fortasse recentiores, illos notis temporis 1. & 2. distinguere vo-

luisse.

luiſſe. Quomodo apud Italos, exiſtentibus duobus conventibus in uno loco eademq; prouincia, non alia nota ſolent diſtingui; vt Genuæ 1. Genuæ 2. Ferrariæ 1. Ferrariæ 2. &c. Vtcumque autem res ſe habeat, addo, (quod hujus indiculi initio cæpi dicere) cùm ex Guidone, & S. Anton. diſertè habeamus, duos Albenſes Conventus fuiſſe in Tranſſylvania; ac certum etiam ſit, nullam, præter Iuliam, Albam eſſe ibidem: colligi binos Albæ Iuliæ Conventus extitiſſe.

Bonf. dec. 2. li. 3. p. 215.

Vacienſis. Vacia, vrbs in Vngaria ad ripam Danubij ſita, vbi, teſte Bonfinio, magnum nemus olim fuit, à Vacio quodam S. Eremicola inhabitatum, ex cujus nomine Rex Geiſa, Belæ I. filius, ædificatam à ſe Civitatem, Vacjam vocavit, in qua & voluit (tanta erat Regum priſcorum pietas) tumulari. Fuiſſe domicilium Muſarum, ſcribit author Reip. Regni Vng. Epiſcopum habebat Suffraganeum Strigonienſis Arch. ſed ipſa à multo tempore ſtatione malè fida Chriſtifidelibus, & ab anno 1597. à Turcis occupata, Epiſcopus inde cogitur exulare. In ea Vrbe illud magnum factum miraculum, quòd Beatus Mauritius Chakius Vngarus, noſtri Ord. vnà cum Socio, nocte concubia, ex clauſa hoſpitis ſui domo, in clauſam Eccleſiam, Sacras Deo preces ſoluturus, penetrarit. & verò quamvis eo tempore non eſſet ibi Dominicanis Conventus, ædificatum tamen exinde fuiſſe ſub S. Jacobi nomine, Reverendiſs. D. Gregorius Nagy Falui, Vacienſis Epiſcopus longè Digniſs. & Iaurienſis Eccleſiæ Cuſtos, cùm alijs, tùm mihi cumprimis omni nomine maxime colendus, ex certis Vacienſis Eccleſiæ monumentis enarrabat.

Pag. 47.

Vbinienſis, apud Plodium in Tranſſylvania; ſed non difficilè crediderim eſſe Cibinienſem, quamvis eidem Plodio ſit diſtinctus: nullus enim locus extare dicitur in Tranſſylvania, è quo ea denominatio ſine corruptione ſumatur. Ita etiam ſentit P. Nemethi in literis, quas poſthæc ſcripta ab illo accepi.

Veſprimienſis. Veſprimium, alijs Beſprimium, Epiſcopali ſede nobile, inter primarias olim Vngariæ Vrbes numerabatur. Arcem habet longè amœniſſimam in colle ſitam, unde in ſubjectum oppidum, vel potiùs defuncti vaſti oppidi ruinas, agrumque vicinum, longè lateque patet proſpectus. Epiſcopo illius ex veteri conceſſo privilegio competit, Reginas Diademate in augurandi, atq; coronandi, qui & Cancellarius Reginæ eſſe conſuevit, ſingularis privilegij prærogativa. Veſprimienſis Conventus noſtri, quot quot de hiſce ſcripſerunt, authores meminere: & Cardinalis quidem Pazmanius, ſub S. Catharinæ M. nomine. Plodius etiam originem illius in annum Chriſti 1221. vel 22. refert, vt proinde cenſeri debeat fuiſſe vetuſtiſſimus, atque ex omninò primis à B. Paulo Hungariæ Apoſtolo ædificatis. Viſuntur adhuc parietinæ, cœteris, per Turcarum cum vaſtationem, tùm viciniam, (ob quam nec ipſe Epiſcopus abſque denſo militum comitatu, audet extra arcem pedem efferre) deſolatis.

Auctor Reip. Regni Hung. pag. 247.

Verovicenſis, *Veronicenſes*, *Verwenſis.* Quamquam hi diſtinguantur à Plodio, veriùs tamen cenſeo, hiſce vocibus eundem Conventum deſignari; nam Veronicam locant Guido, & S. Antoninus, in Sclavonia, ſive Illy-

rico

rico; certum autem est, locum similis vocis gaudentem nullum esse ibidem, præter Verò viciam, sive Veruciam, oppidum, & arcem, quæ non procul à Drave sita est, & circa annum Christi 1553. à Turcis occupata fuit, Duce Vlamane Persa, qui factis in monasterio Fratrum, quod propè arcem erat, aggeribus, tormentorum explosionibus, mœnia arcis vetusta, & invalida, vt ictus diù possent perferre, adeò concussit, vt nostri cum illo pacisci, & deditionem facere fuerint coacti. De quo videri potest Ithuanffius. Meminere Conventus hujus Guido, S. Antoninus, Plodius, Pazmanius, Quod unus Conventus illis tribus vocibus significetur, postquam hæc scripsi, P. Nemethi etiam credere se significavit.

Zagrabiensis, à Zagrabia, quæ est Vrbs Episcopalis Croatiæ celebris, dicta secundùm Bonfinium à terræ fœcunditate, antea Vicus Italicus; cujus cathedræ B. Augustinus Hungarus, Ord. Præd. sanctitate, & miraculis celeberrimus, plurimis annis præsedit; effecitq́; vt Officio Divino, Dominicanorum vt plurimùm, consimili, per totum Episcopatum uterentur. Porrò Conventus priùs fuit in ipsa Civitate Capitulari Zagrabiensi; deinde verò ad Montem Græciæ, sive Græcensem, fuit translatus. Quæ duæ Vrbes, quasi contiguæ sunt, etsi mœnijs, & nominibus ipsis hodieq́; distinguuntur. & illa munita quidem, & inferior; sed hæc instructior, & editiore loco, quondam à Rege Bela IV. vt fertur, ædificata. Ea translatio sub Fr. Leonardo Mansueto Perusino 31. Magistro Ordinis Gen: qui illum in sui curam suscepit, est facta. S. Nicolai titulo juxta Pazm. vocabatur.

Ib. 20. pag. 272.

Dec. p. II. p. pag. 39

Zechienſis. Hujus meminit *Plodius*, tanquam à reliquis omnibus diverſi. fortaſſe fuit in Zechze, loco Hungariæ in Albenſi Comitatu ſito, quem apud Mercatorem cum in Geographia Germaniæ, tùm in Atlante habes deſcriptum.

Znoymenſis, à Znoyma Vrbe Moraviæ nobili, in qua adhuc ad partem ampli fori cernitur domus, vbi pientiſſimus Cæſar Sigiſmundus, Hungariæ, & Boemiæ Rex, mortuus eſt anno Chriſti 1437. Conventus nomine S. Crucis, olim perquàm inſignis, jam propter incendium, & temporum injurias, magna egens reparatione; aliquando *Plodio* teſte, Vngariæ adiunctus fuit: pertinet nunc ad Boemiæ *Provinciam*.

Zeurienſis, cujus meminerunt Guido, S. Anton. *Plodius*, fortaſſe dicitur à Zeurin oppido in Tranſalpina, ſive Valachia, quod latinè Severinum dicitur, à Severo Imperatore, (vt Bonfinius ait) conditum. Si ab alio loco dicatur, mihi non eſt compertum. Certum eſt, eam vocem fuiſſe Vngaris non inſolentem, vt ex Bonfinio patet. *Dec. 4. p. 1. pag. 6.*

Adverterim verò, Conventus hujus *Provinciæ*, ſucceſſu temporum, quoad Regnum integrum ſtetit, excreviſſe; cum & præcedente ſeculo, anno Chriſti 1518. Conventum, à Moyſe quodam, Regis Vngariæ Vladislai II. Cameræ *Præfecto*, apud *Plodium* in Magiſtro Ord. Gen. Fr. Garcia de Loayſa, Hiſpano, fundatum legamus. En promiſſis ſteti, ingenue Lector, immò, ſi rectè advertas, plures dedi (largitas enim decet promiſſorem) alijs etiam quibusdam, præter eos, quos præfatus fueram, Conventibus annumeratis. Sed enim, priusquam ad vlte- *Plod. 2. p. li. 4. col. 129.*

riora progrediamur, operæ pretium me facturum existimo, si catalogum Conventuum à Fr. Bernardo Guidone, Gallo de Castro S. Vincentij, descriptum, ex chronico m. s. Bononiæ apud nostros servato, (quod jussu F. Almerici Placentini, XII. Mag Ord. Generalis, Tolosæ electi anno Christi 1304. atque adeò non 1300. vt videntur velle aliqui, quos aliàs, cùm certiora non haberem, sum secutus; nec 1303. vt sub hujusce capitis initium per collectoris mendum irrepsit; sed 1305. contexuit) cum additionibus factis vsque ad annum 1365. hic reposuero; quem seriùs acceptum, absque impressoris impendio, fortassis & stomacho, primo loco reponere non licebat. Ibi ergo sub tit. *Conventus Ordinis Fratrum Prædicatorum*, ad rem nostram sic scribitur

Fernandez pag 341.

In Provincia Hungariæ.

In Pannonia isti.

Conven. Albæ Regalis. Pestensis. Budensis. Strigoniensis. Iaurinensis. Con. S. Martini. Ferrei Castri. & cum alio caractere additus. Camarinensis.

In Schlavonia isti.

Conven. Thamensis. Veronica. Possega. Cagrabiensis Byhig. Iadrensis. & alijs caracteribus adjecti, Castrianensis. Insulensis.

In Dalmatia isti.

Conv. Spaletanus. Ragusinus. Duratinus. Novensis. Quinque Ecclesiensis. Marchianus. Zeurinsis Potokensis. Vltranylvani.

Albæ tranylvanæ. Soybiensis. Albensis tranylvanæ.

Hiſtricæ. Tranſylvanenſis. Similu. ad marginem, Simulu.
Citra Danubium.
Tirva. Banenſis. Caſſa. Budrat. Francavilla. Apud Siculos.

Ex hoc catalogo colligere inter alia poſſumus, 1. multò antiquiores S. Antonini ætate fuiſſe Conventus, quos recenſet; cum ijdem ſint, cum hoc Guidonis indiculo recitatis. D. enim Antoninus, qui extremo vitæ ſuæ tempore tertiam partem hiſtorialem abſoluit, (agit enim de Pii II. Sum. Pontif. electione, multis ejus geſtis poſt illam, legatione Reip. Florentinæ ad Pium, deſcribitque elegantem & eruditam, à ſe, qui in eadem legatione primas tenebat, habitam orationem anno Chriſti 1458.) ex hac mortali vita anno 1459. ferè vno ſeculo poſt factas additiones ad ſcripta Guidónis, & ſupra ſeſquiſeculum, ex quo Guido ſcripſerat, emigravit. 2. plures dubio procul fuiſſe S. Antonini tempore Hungariæ Conventus, cùm incredibile ſit, tanto intervallo numero non ſuccreviſſe. 3. ex notula illa *Vltratranſylvani* præfixa à Guidone, omiſſa vero, (ſaltem in meo codice) à D. Antonino, præferri nobis lucem, vt judicium ferre poſſimus de ſubjectis Conventibus, illis præcipuè, qui obſcurioribus vocibus deſignantur, vt Soybinienſis, Hiſtricenſis; vt ſc. ille ſit Cibinienſis, hic Biſtricienſis, vt in noſtro indiculo eſt annotatum. Nihilominus tamen ſcias, caſu aliquo inverſum fuiſſe ordinem inter Conventus Similù ſive Similij, & apud Siculos, ſive Aſſerſiculis; verè enim Aſſerſiculenſis erat in Tranſſylvania, & Similienſis in Hungaria Cisdanubiana. Tandem, diverſitatem aliquam

1. p. hiſt. cit 22.

in voce, non ſemper diverſa loca denotare; nam Thamenſis, Similù, Apud Siculos, Budrat, Caſtrianenſis, Guidoni: Chamenſis, Similij, Aſſerſiculos, Caſtronovenſis, Budruch S. Antonino, conveniunt. At de his jam ſatis: ad alia ſtylus vertatur.

CAPVT III.

De Collegijs, & Studijs Generalibus, ſive Vniverſitatibus.

IN toto Prædicatorum Ordine, vt plurimùm, vix reperire eſt Cœnobium, (ſi tollas deſolatas Provincias) in quo etiam ſtudium non vigeat, & Religioſi Fratres, alijq; extranei, (ſi lubet) in Philoſophicis ac Theologicis lectionibus, conferentijs, repetitionibus, diſputationibus non erudiantur, exerceanturque; vt proinde haud ineptè quiſpiam, Dominicanorum familiam quandam in orbe terrarum diſperſam Vniverſitatem vocaverit. Hoc ab Ordinis principio originem traxit, in cujus primævis legibus ſic legimus eſſe ſancitum. *Conventus citra numerum duodecim fratrum profeſſorum, quorum decem ad minus, ſint Clerici, & ſine licentia Generalis Capitul. & abſque Priore, & Doctore, non mittatur, nec poſtquàm miſſus fuerit, dictus numerus fratrum minuatur.* vbi in declarationibus, præter alia: *ac debet habere Doctorem, id eſt, Lectorem, qui fratribus legat.* Cùm enim Ordo noſter pro ſalute animarum principaliter, eſſentialiterquè fuerit inſtitutus, opus erat, vt ſac. ſtudia-

Conſtit. Ord. Prad. diſt. 2. c. 1. n. 2

lite-

literarum, quæ ad id muneris omnino neceſſaria ſunt, vbique ſeriò promoverentur. Verumenimuerò ſelectiora, & inſigniora quædam ſtudia in ſingulis Provincijs deſignata ſunt, quorum Moderatores peculiaribus gradib⁹, & titulis inſigniti, de cæteris ad munera legendi, concionandi, laureasq; graduum Philoſophiæ, ac Theologiæ promovendis, ex inſtituto decernerent; quæ Generalia, Ord. Vniverſitates, & alicubi etiam Collegia, (è quibus nonnulla omnino ſunt à Conventibus ſeparata, vt in Hiſpanijs, quædam verò etiam ipſis conjuncta, vt ferè in Italia) nuncupantur. Itaque in Provincia Vngariæ, Generale ſtudium Conventui adjunctum, diù viguit in Vrbe regia Buda, vbi etiam vir celebris M. F. Petrus Niger, Clypei Thomiſtarum auctor, ſub annum Chriſti 1481. Regentem, ſive ſtudij ejuſdem Caput agebat. Cum verò aliquo poſtea tempore inde fuiſſet amotum, eòdem, M. G. Fr. Thomæ Vij Cajetani juſſu, revocatum eſt. Deinde Mag. Gen. Fr. Franciſcus Sylveſter, Ferrarienſis, qui creatus anno Chriſti 1525. obijt anno 1528. in Cilmienſi, ſive Sirmienſi potiùs Conventu, illud inſtituit, & erexit.

Plod. 2. p. in Gen. Caſet. colum. 108. Idem in Gen. Ferr. col. 145

CAPVT IV.

De Locis, ſive Vicariatibus.

Reperiuntur interdum loca quædam in Provincijs, in quibus duodenario numero pauciores fratres degere ſolent, qui non Conventus, ſed ſimpliciter Loca, & alicubi Vicariatus dicuntur, ad populorum devotionem, & itinerantium

fra-

fratrum solamen erecta : qualia in Vngaria etiam fuisse certum est ; meminit enim Plodius loci S. Crucis in Vocrtes, sub Gen. M. Fr. Vincentio Bandello, anno Christi 1505. fundati.

p. 2. li. 3. col. 97.

Albæ etiam Iuliæ datus est Locus Ordini à Cœsare Ferdinando I. Rege, & Capitulo, acceptatusque anno 1553. vt constat ex actis Capituli Gen. Romæ anno illo celebrati, in quibus sic dicitur. *Acceptamus Locum, concessum Prouinciæ Vngariæ in Alba Iulia Transsylvaniæ, à Regia Maiestate, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis.* Nec moveat, quod diximus, Albæ Iuliæ duos nostri Ordinis Conventus extitisse: nam esto etiamtùm illi permanserint, præter Conventus plures, etiam Loca, sive Vicariatus in præcipuis Vrbibus, vt Mediolani, Romæ, Neapoli &c. esse nostris, vel isto tempore conspicimus. Locum, vel ex Conventibus alterum, B. Mariæ Virginis nomine insignitum liquet ex Em. Fazmany.

titulo : *Acceptationes.*

CAPVT V.

Sanctimonialium Monasteria.

in Chronico MS. Bononiæ asservato.

Bernardus Guido de Sanctimonialium Vngariæ Monasterijs agens, ita scribebat. In Vngaria Monasterium apud Insulam fundatum à Rege Vngariæ, vbi pro thesauro habetur pretiosa Soror Margarita, Virgo electa, & sancta, filia quondam Regis Hungariæ, nomine Bela, quæ in vita, virtutibus, & miraculis multis effulsit, & post mortem vivere cum Deo miraculis demonstratur.

Monaſterium apud Vepremium.
Monaſterium apud Iadre.
Alio caractere additum, Albaregalenſe.

S. Antoninus ita. In Vngaria Monaſteria quatuor. Inter quæ præcipuum eſt apud Inſulam, fundatum à Rege Vngariæ; vbi quieſcit Soror Margarita, monialis dicti monaſterij, filia Regis Vngariæ, ſanctitate præcipua, quæ miraculis in vita, & poſt mortem claruit. 3. p. tit. 23. c. 13. parag. 3.

A M. F. Ioanne Michaele Plodio, prætermiſſo Iadrenſe, (quòd diviſa Vngariæ à Dalmatiæ Provincia, ad eam non attineret,) ſex recenſentur. (zaſz. Lib. p. de Prog. S. P. Dom. in Ita. c. 63.

1. Albæ Regalis. 2. Quinque eccleſienſe. 3. Beregs-
4. Nemeti. 5. Veſprimij. 6. Inſulæ Leporũ.

Quitamen, dùm ſubdit, hæc & alia Monaſteria in ampliſſimo Vngariæ Regno, finitimiſque regionibus erecta, partus, (fas eſt dicere) Sancti Fr. Pauli Vngari, Conventus Bononienſis filij, extitere, &c. inſinuat plura fuiſſe.

Eminentiſſi. Pazmany, octo enumerabat. (záſz. Appendice 2. pag. 115.
1. Albæ Regalis. 2. Quinque Eccleſijs 3. In Beregſ-
4. In Nemeti. 5. Veſprimij, ad S. Catharinam.
6. In Inſula Leporum, ad B. Virginem. (ke.
7. S. Margaritæ Virg. & Martyris de Hahold, in Peleſ-
8. B. Mariæ de Angelis in Labatlan.

Ego juxta fundationis antiquitatem, ad ſingula, quæ occurrunt, annotabo.

Veſprimienſe S. Catharinæ V. & Mart. omnium primum ſub ipſum exordium Ordinis in Hungaria, anno ni-

mirum 1221. vel 22. fundatum; in quo per Septennium educata fuit Beata Margarita V. sub disciplina B. Helenæ Virg. quousque cum alijs ad Insulam Leporum transmigravit. In eo corpus ejusdem B. Helenæ, vitæ sanctitate ad miraculum stupendæ, quiescebat. Stetit, vt creditur, vsque ad cladis Sigethianæ tempora, annum sc. Christi 1566. quando Moniales Vesprimio relicto, Kermendium, Ciuitatem Illustrissimi D. Comitis Adami de Bótthian, citra Rabam fluvium, profugerunt: vbi bonis multis ad vitam religiosam honestè transigendam donatæ, vsque ad Boscaianæ perduellionis injurias sub annum 1605. perdurarunt, quando fuga sibi consulentes, ad tutiora, prout poterant, loca se receperunt. Rebus deinde pacatis, quæ superstites fuerant, redeuntes, diruta, & dissecta reparare cœpere: Sed illis extinctis, earū bona alijs distributa, præter aliqua, quæ Ordini n. in Vng. restituendo, se redditurum, Illust. & Rev. D. Georgius Draskovit Epis. Iaurienſis, sanctè non semel asseveravit. Vidi vestigia reparationis cum nota anni 1615. circiter.

De Boscaiana rebellione lege Isthuanffium lib. 33. & 34.

S. Catharinæ V. & Martyris de Habold, in Peleske, fundatum fuit à Comite Arnoldo ex familia Banffiorum de Alſo Lindua anno Christi 1234. vt ex certa rerum Hungaricarum notitia scribere se refert Pazmanius. Crediderim Arnoldum istum filium fuisse B. Buzad Bamffi Martyris præclari, qui jam provecta ætate, relictis bonis suis, filijs, Ordinem nostrum professus est sub annum 1233. vt scripsimus parte prima.

Insula Leporum, B. Mariæ Virg. Insigne fuit illud Monasterium, quod Bela IV. in gratiam Beatiſſi. Vir-

ginis Margaritæ filiæ ſuæ, magnificè, & regaliter fundavit, ac dotavit: perfecitque anno 1252. ex quo deinceps inſula eadem, B. M. Virginis, & poſtea etiam Beatæ (vt Ranzanus ſcribit) Margaritæ, eſt dicta. Ad ipſum B. Margarita decennis cum alijs Sororibus ex Veſprimienſe Clauſtro eſt deportata; in quo decem & octo annos, nimirum ad XXVIII. ætatis ſuæ annum, vitam innocentiſſimè, ſanctiſſimèque tranſegit; atque ibidem ſepulta innumeris, maximiſque miraculis coruſcavit; vt in ejus vita, quantùm Dei munere valvimus, ex certiſſimis monumentis referre conati ſumus. Vbi tamen, ſicut neſcius non ſum plura me alia effugiſſe, ſic & illud valde mirabile miſſum: quòd per Sanctiſſi. Virg. Margaritæ interceſſionem, pijs precibus, & voto imploratam, mulier quædam, prolem, quam fæminei ſexus ediderat, in maſculeam obtinuerit permutari. Hoc enim in reſpon. ad lectionem ejus officij octavum perſpicuè aſſeritur ijs verbis. *Oſpectanda ſæculo novo res miraculo, geſtu ſingularis, votum Mater aſtruit, viri ſexum induit forma puellaris, &c.* Tale etiam de S. Patriarcha Dominico narrat ex vetuſtis ſcriptoribus egregius Noſter Malvenda, addens: *Haud ſanè hujuſce generis transformationes illa cenſenda, cùm fœminæ in veros mares aliquando fuere commutatæ, quas Plinius lib. 7. cap. 4. & Photius in Bibliotheca Codice 244. è Diodoro Siculo memorant: hæc enim divina virtute, maximoq; miraculo in gloriam S. Dominici*, S. Margaritæ *effecta fuit.* Inſinuatur etiam in lectionis ſecundæ reſponſorio, ortum S. ejuſdem Virg. vitæq; in Ordine Prædicatorum inſtitutionem, fuiſſe à Sanctiſſimo P. Dominico cœlitus

Ranzanus de rebus Vngar. indice 15.

Thomas Malvẽda anno 1221 c. 56.

apparente revelata. *Ortus, Cœlo conscio, germinis magnifici, paupertatis pretio voto cultu subijci, Patris almi nuncio panditur Dominici.* ℣. *Summi civis etheris, forma vitæ cœteris, juris vsu cœlici. Patris.* In eodem templo Stephanus V. Rex, B. Margaritæ Germanus, quibonis pluribus Monasterium locupletavit, corpus suum humari mandavit,; quod factum,. Ibidem Elisabetha Stephani V. Regis, Elisabethaq; Andreæ III. sanctitate illustres filiæ, sepultæ. Maxima in eo Regij, Illustrissimiq́ue stemmatis nobilitas, relictis sæculi dignitatibus, Deo semper studuit famulari, præcipue autem circa ejusdem B. Marg. tempora (vt ex indiculo Sororum, quæ pro vitæ ejus sanctitate tulerunt testimonium, superiùs colligi potuit) quando & septuaginta moniales in eo degebant. Sicq́ue tanquàm omnis pietatis, religionis, cunctarumq́; virtutum laude clarissimum, planeq́ue sanctissimum Deo dicatarum Virginum asceterium, per tria, & ampliùs secula perseveravit: donec Turca per immanissimam tyrannidem vniversa devastante, Sanctimoniales, correptis Sanctissi. V. Margaritæ relíquijs, alijsque charioribus rebus, & inter eas, muneribus à Bela Rege in professione ejusdem S. Virg. oblatis, vestibus nimirum Sacerdotalibus, auro, gemmisq́ue regentibus, candelabris ex Iaspide, calice cum patina, vnionibus, auriq́ue pigmento insigniter exornato, sacris Chori libris, scripturis etiam, atque alijs, (vti in metu, & periculo tanto licuit) in fugam sese conijcientes, Tyrnaviam appulerunt. Vbi Fratres, ad S. Ioannis Baptistæ degentes, extorrium Consororum calamitatis (vt par erat) commiserantes, diviso Cœnobio, partem sibi vnam,

p. 2. li. 2.

alteram illis, ita tamem, vt vltrò citroq; aditus non pateret, attribuerunt. Quoniam verò, pro sustentatione vitæ bonis aliquibus indigebant, Cæsari Maximiliano II. supplicarunt; quibus annuens, eis totales possessiones Nagy-Kolos, Kis-Kolos, & Iaczho nuncupatas, in Civitate Nitriensi, quæ aliàs ad Abatiam Kolosiensem (tunc penitus desolatam) pertinebant, clementer concessit. Hoc, tam indulti Cæsarei, quàm illius executionis insequentes literæ, apertè testantur.

Nos Capitulum Ecclesiæ Strigoniensis, memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit, vniversis, Nos literas Serenissimi Principis, & D. D. Maximiliani II. Dei gratia, electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ, &c. Regis, Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, & Domini nostri Clementissimi, Introductorias, & Statutorias, nobis præceptorie sonantes, & directas, honore, & reverentia, quibus decuit, recepisse in hæc verba. Maximilianus II. Dei gratia, electus Rom. Imperator semper Augustus, & Germaniæ, Vngariæ, Boemiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Fidelibus nostris, Honorabilibus, Capitulo Ecclesiæ Strigoniensis, salutem, & gratiam. Cum nos, tùm pro ea, qua erga Ecclesias Dei afficimur pietate, & devotione, tùm verò considerantes Religiosas Virgines Sanctimoniales de Insula Leporum, sedibus suis, per Turcas, Christiani nominis hostes expulsas, & nunc Tyrnaviæ, & in Monasterio S. Ioannis Baptistæ commorantes, non habere, quo se sustentare possint, ideoq; volentes eis clementer providere, totales possessiones Nagy-Kolos, Kis-Kolos, & Iaczho vocatas, in Civitate Nitriensi existentes, quæ aliàs ad Ab-

batiam, Kolos appellatam, pertinebant; ſed nunc eadem Abbatia Koloſienſis penitus defecta, & vacua, per ipſas Sanctimoniales, ex annuentia, & conſenſione Reverendiſs. olim Nicolai Olahi, Archiepiſcopi Strigonienſis, & Locumtenentis noſtri, &c. fuerunt poſſeſſa, ſimul cum vniverſis ſuis vtilitatibus, & pertinentijs quibuslibet, quovis nominis vocabulo vocitatis, ſub ſuis veris metis, &, ex antiquis, limitibus exiſtentibus, ad eaſdem de jure ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, memoratis Venerabilibus Virginibus, Sanctimonialibus de Inſula Leporum, nunc in præfato Monaſterio S. Ioannis Baptiſtæ, Tyrnaviæ fundato, commorantibus, vſque ad illud tempus, quo rurſum in locum veteris ſuæ reſidentiæ poſſint redire, vigore aliarum literarum noſtrarum donationalium ſuperinde emanatarum, dederimus, donaverimus, & contulerimus: velimusq; eaſdem in dominium earundem, & dicti juris noſtri Regij in eiſdem habiti, per noſtrum Regium, & veſtrum homines legitimè facere introduci. Super quo fidelitati veſtræ, harum ſerie committimus, & mandamus, quatenus veſtrum mittatis hominem, pro teſtimonio fidedignum, quo præſente, Egregius Georgius Sambokrèſi, aut Balthaſſar, & Ioannes Vyſaluſi; ſin, Gregorius Babindali, vel Emericus, & Franciſcus Elefanti, ſiue Nicolaus Roſon, vel Lucas Poſar, alijs abſentibus, Homo noſter Regius, ad facies præſcriptarum totalium poſſeßionum Nagy-Kolos, Kis-Kolos, & Iaczho, in dicto Comitatu Nitrienſi exiſtentium, habitantibus, vicinis, & commetaneis eorundem vniverſis, inibi legitimè convocatis, & præſentibus, accedendo, introducat prænominatas Religioſas Virgines Sanctimoniales de Inſula Leporum, in dominium earundem poſſeßionum, & dicti Iuris noſtri Regij in eiſdem

habi-

habiti, ſtatuatq. eaſdem, & idem, & eiſdem, præmiſſæ noſtræ donationis, & Iuris noſtri Regij titulis, ipſisq. incumbentibus, ſimul cum cunctis ſuis vtilitatibus, & pertinentijs quibuslibet (ſi non fuerit contradictum.) Contradictores vero, ſi qui fuerint, evocet eoſdem contra annotatas Religioſas Virgines Sanctimoniales, in Curiam noſtram Regiam noſtram ſc. perſonaliter in præſentiam, ad terminum competentem, rationem huiuſmodi contradictionis ſuæ reddituros. Et poſt hæc huiuſmodi contradictionis, & ſtatutitionis ſeriem, ſimul cum contradictorum, & evocatorum, ſi qui fuerint, vicinorumq., & commetaneorum, qui præmiſſæ ſtatutioni intererunt, nominibus, terminoquè aſſignato, vt fuerit expediens, eidem perſonali præſentiæ noſtræ ſuo modo fideliter reſcribatis. Secus non facturi. Datum Poſonij die 14. Octobris, anno Domini 1572.

Nos itaquè mandatis ſuæ Majeſtatis, in omnibus, vt tenemur, obedire volentes, vnà cum ſupradicto Egregio Sambokrèſi de eadem Sambokrèt homine ſuæ Majeſt Regiæ, vnum ex nobis, Venerabilem videlicet Michaelem Tapolcbani, fratrem, & Concanonicum noſtrum, ad præmiſſa fideliter peragenda, noſtro pro teſtimonio tranſmiſeramus fidedignum. Qui tandem exinde ad nos reverſi, nobis ſub Iuramento, in Generali Decreto ſuperinde expreſſo, conſona voce retulerunt in hunc modum: Qualiter ipſi feria quarta proxima poſt feſtum Sancti Vrbani Papæ, recèns tranſactum, ad facies præſcriptarum totalium poſſeßionum, Nagy-Kolos, Kis Kolos, & Iaczho vocatarum, in dicto Comitatu Nitrienſi exiſtentium habitarum, Vicinis, & Commetaneis earundem vniverſis, præſertim Egregijs Chriſtophoro Bosány Iuniore de eadem Bosány, & Ioanne Turcháni de Turchán, Alberto de de Fekete de Korpona, & Paulo

Domanyiczki de eadem Korpona: item providis Paulo Alsyk, Iudice in Nedanouvecz, & Stephano VVrbanouuich, Ionanni Aponyi, & Georgio Kmech, Matthiæ Apony, Nicolao Gothko, Georgio Loyko, & Laurentio Bodor, & Szeplak, alias Krazno, familiæ Dominorum de Tapolchány, Georgio Zuvorad in oppido Sambokrèth, dicti Georgij Sambokrèsi, Laurentio Bakos in Szuchan, prædicti Ioannis Turkchányi, Martino Mathussouuich, in jam dicta Nedanouvecz, possessionibus, vocatis, præfati Matthiæ Aponyi, commorantibus, Egregiorum Colonis: alijs etiam quamplurimis inibi convocatis, & præsentibus, accessissent: idemquè Homo suæ Majestatis Regius, dicto nostro testimonio præsente, introduxisset prænominatas Virgines Sanctimoniales de Insula Leporum, in dominium earundem possessionum, dictiquè Iuris suæ Majest. Regiæ in eisdem habiti, statuisset easdem idem eisdem, præmissa suæ Serenitatis donationis, & juris suæ Majestatis titulis, ipsis in cumben. simul cum cunctis suis vtilitatibus, & pertinentijs quibuslibet, nullo tunc ibidem Contradictore apparente. Veruntamen infra resolutionem quindecim dierum, hoc est, feria 2. proxima post octauas Corporis Christi, Nob. Emericus Paulouuick de VVindya, nostram personaliter veniens in præsentiam, sue, haredumq; suorum nominibus, & in personis, præmissa statutioni, ratione domus, & curiæ suæ nobilitatis, ac cunctarum ejus pertinentiarum, in possessione Nagy Kolos, in antedicto Comitatu existen. habitæ, si, & quatenus prætactæ Religiosæ Virgines Sanctimoniales, se & eo statui fecissent, contradictionis velamine coram nobis in Capitulo obuiavit. Ob quam quidem contradictionem, nos quoque eundem Emericum Paulouuich de Vuindya, mox ibidem, & eodem die personaliter con-

tra

tra annotatas Religioſas Virgines Sanctimoniales, in Curiam S. Majeſtatis Regiam, ſuæ videlicet Majeſtatis Regiam, ſuæ videlicet Serenitatis perſonalem in præſentiam, ad terminum competentem, rationem contradictionis ſuæ reddituram, evocaſſemus quidem; nihilominus tamen, antequam literæ noſtræ relatoriæ ſuper præmiſſa introductione, & ſtatutione, pro aliqua partium extractæ fuiſſent, feria 3. proxima ante feſtum nativitatis B. Ioannis Baptiſtæ, memoratus Emericus Paulouich, ad nos in Capitulum perſonaliter reverſus, prætactam ſuam contradictionem, ſuo, & hæredum ſuorum nominibus factam, in toto, & in qualibet ſui parte annihilandam, caſſandam, & revocandam eſſe duxit; prout annihilavit, caſſavit, & revocavit: ſtatutionemq; ipſam, pro præmiſſis Religioſis Virginibus Sanctimonialibus, firmam reddidit coram nobis, harum noſtrarum vigore, & teſtimonio literarum mediante. Datum ipſo die revocationis, & pertractationis An. Domini 1572. Hiſce igitur bonis à Maximiliano Cœſare donatæ Sanctimoniales, Deo Altiſſimo in altera Monaſterij parte famulabantur, quouſque fratribus univerſis morte extinctis, totus illis locus ſolidè ceſſit; ubi ad annum circiter 1614. perſeverarunt: quando Majoribus agentibus, vrgentibuſque, etſi nolentes, reluctantes, Deumque obteſtantes, injuriam ſe pati, adeoque inde exturbatæ veriùs, quam eductæ, Poſonium denique ad Clariſſarum Monaſterium cum rebus ſuis deportatæ fuere. Ibi quibusdam Ordinem permutantibus, aliæ in primæva ſua profeſſione conſtanter perſtiterunt; è quibus ano 1635. duæ adhuc erant ſuperſtites; quæ fuerant Tyrnaviæ cœterarum Antiſtitæ: ſed altera jam piè defuncta, altera vi-

vit hoc ipso anno 1637. mense Septembri. Nonnullis visa est res illa Superis minimè placuisse; quòd intra annum, aliquot præcipua illius capita sint morte sublata; præter Maximi sanè cujusdam Principis ædes, etiam ipsum forum incendio conflagrarit: Ecclesia S. Ioannis Baptistæ novas reparationes nunquam sustinuerit; neque quicquam effici potuerit, donec novis jactis fundamentis, aliud extructum est ædificium. Verùm ego nihil temerè suspicatus, quicquid est, divinæ sententiæ committo. Denique illud hic addiderim; cùm Conventus fratrum Vesprimij, S. Catharinæ V. & M. & Con. in Insula Leporum, B. Mariæ Virginis nomine, non secus ac Monialium Claustra, nuncupati legantur, videri fuisse Conventus Monasterijs ad communem Ecclesiam adjunctos, quippè qui cùm sufficienti fratrum numero ad spirituales Sanctimonialium opportunitates forent coaptati.

Albæ Regalis. Hoc videtur constructum post annum 1305. quando ejus mentio habetur in additionibus ad Guidonis m. s. quæ factæ sunt ab eo anno vsque ad 1365. vti jam præmonuimus. Et adhuc reliqua *Quinqueecclesiense*, *Beregszaszienſe*, *Nemetense*, *Labatlanense*, quæ nullo modo memorantur, recentiora fuisse videntur: licet hoc prorsus necessarium quoad singula non sit, cùm potuerit subterfugere illos scriptores, sicut contigit in Monasterio, secundo loco commemorato.

Porrò duplex locus describitur in Vngaria, *Nemeti* nomine; alter in Barsiensi Comitatu, propè Schemnitium:

alter in Comitatu Neugradienſi juxta Danubium: ſed in priori Monaſterium fuiſſe putatur.

Labatlan verò oppidum eſt ad Danubium, non procul à montibus, qui Vercher dicuntur, alias Schiliperg, ſuntque in Sopronienſi Comitatu. Vocabatur Monaſterium S. Mariæ de Angelis, vigebatque anno 1492. teſte Em. Pazmanio.

Dixi ego, quantùm licuit, *Provinciæ* Hungariæ loca, illis demptis, quæ Dalmatinæ, per ſejunctionem unius ab altera, anno, juxta *Plodium*, 1486. factam, addicta fuere; de quibus loco iſto nihil ſcribendum exiſtimavi. Namque & ſine illis, in Moldaviam, Valachiam, Tranſylvaniam, ſuperiorem, inferioremque Pannoniam, Croatiam, Boſniam, Illyricum, Provincia noſtra tractu ſuo porrigebatur. Filiæ illius indubiè ſunt *Provincia* ipſa Dalmatiæ, *Peregrinantium*, Raguſiique Congregationes. Idem de *Provincijs Poloniæ*, Daciæ, Boemiæ, Congregationeque Styriæ, & Carinthiæ, ſentit in literis ad me datis Eximius P.M. Fr. Gullielmus à Moncaluo, cujus ingenio, judicioque cum ſingulari prudentia, & pietate conjunctis, plurimùm ego ſemper meritò tribui: verùm de re hac enucleatè ſcribere, currente proelo, modò non datur. *2. p. in præfatis annotatione 3.*

CAPVT VI.

De Generalibus Capitulis in Prouincia Vngariæ celebratis.

INsignioresſemper extitere Prouinciæ, in quibus habita Generalia Comitia, ad quæ condendis legibus, decernenditq; illis, quæ pro communi totius Ordinis bono opportuna ſunt, ex vniverſo Orbe, Patres graviſſimi juxta præſcriptas leges electi, deſignativè conveniunt. Neque enim vnquam in nuper exorientibus, vel jam collapſis, ſed in optimè conſtitutis Provincijs ſemper habentur. Porrò in noſtra Vngarica Provincia duo inſignia Generalia Capitula, de quibus ſæpenumero meminere Sac. Conſtitutionum noſtrarum declarationes, ſunt celebrata. Primus in Vrbe Regia Buda, à Chriſto quidem nato, anno 1254. ab ingreſſu verò Ordinis in Vngariam, 33. Bela, & Maria Regibus inſtantibus, quo & tempore Beatiſs. Virgo Margarita earum filia, annum agens ætatis duodecimum, ſolemnium trium votorum profeſſionem, in manibus B. Vmberti de Romanis Burgundi, V. Mag. Gen. in eodem Capitulo electi, nuncupavit. Poſterius apud Peſtum, (oppidum è regione Budæ, ſolo Danubij, qui per pontem, ultrò citroque traijcitur, interjectu diſtans) anno Chriſti 1273. ingreſſus Ordinis 57. ſub B. Ioanne Vercellenſe Mag. Ord. VI. ad Regum etiam inſtantiam, quando eadem Virgo Sanctiſs. Margarita, cùm ante biennium jam

ad

ad ſuperos evolaſſet, multis maximiſq; ſignis, ſolis inſtar, de cœlo coruſcabat. Præcipua, quæ in illis Capitulis ſancita fuere, diligens ſcriptor Ambroſius Taegius, in ſuis monumentis, quæ tomis aliquot in Mediolanenſi noſtro S. Mariæ gratiarum bibliotheca manuſcripta ſervantur, fidelißimè collegit: ea ad me tranſmiſſa, verbis ipſius, in tui gratiam, ſtudioſe Lector, cenſui deſcribenda. De Budenſi igitur, ſic ait.

F. Ambroſius Taegius Mediolanenſis.

Anno Domini 1284. à confirmatione Ordinis 38. à tranſitu B. Dominici anno 33. pridie Calendas Iunÿ, in feſto Pentecoſtes celebratum eſt 33. Capitulum Gen. Budæ in Provincia Vngariæ, ſub Mag. Vmberto de Romanis, tunc nouiter electo. In quo Capitulo Conſtitutiones quædam factæ ſunt, & cum alÿs in libris Conſtitutionum ſuis ſunt locis inſertæ.

I. In cap. de Domibus conceedendis, in fine additum fuit ſic. Statuatur ſemper aliquis Fr. Clericus, vel Converſus maturus, diſcretus, & ſecurus, qui ſit Portarius, & diligenter, quæ ad officium portarÿ pertinent, exequatur. Poterit autem aliquem Fratrem, vel Sæcularem honeſtæ converſationis habere in adjutorium, cum neceſſitas hoc requiret.

II. In capitulo de Capitulo Generali, vbi dicitur de Magiſtro, ſeorſum corrigant, & emendent, additum fuit: Qui coram ipſis humiliter ſe proſternens, veniam faciat: & ſtans de ſuis exceſſibus ſe accuſet; & Diffinitores audiant accuſantem.

In hoc Capitulo quamplurimæ factæ ſunt pro bono ſtatu Religionis conſervando Ordinationes.

I. Quod de B. Petro Martyre fiat per totum Ordinem feſtum totum duplex, & Pax in Conventu detur.

II. Quòd prouideant Priores, quòd in diebus Communionis fratres Conversi sermonem habeant in vulgari.

III. Quòd Suppriores non constituantur per scrutinium, sed de consilio discretorum, qui coram Priore conferant.

IV. Quòd Priores, & alij fratres curam diligentem habeant, quòd nomen B. Dominici, & B. Petri Martyris in Calendarijs, & Litanijs scribantur; & picturæ fiant in Ecclesijs nostris, & quòd eorum fiant festa.

V. Concessum fuit Fratribus, quòd in festo B Dominici fiat processio, vbi commodè fieri poterit, si Priori, & Fratribus visum fuerit.

VI. Quòd Fratres observent jejunia, quæ communiter in patria observantur.

VII. Quòd nullus Frater libros sibi commissos in vita sua, assignet alicui Conventui speciali, nec alicui super hoc concedatur licentia.

VIII. Quòd in quolibet Conventu constituatur unus, vel plures, si multitudo Fratrum hoc requirat; qui non solùm post Completorium, sed etiam de die omni tempore, quando sibi videbitur, circuire debeant omnes officinas, & loca, in quibus Fratres solent conversari, & insolentias, quas viderint, Prælato referre, & delinquentes in Capitulo proclamare teneantur.

In eodem Capitulo concessæ sunt domus quædam Provincijs quibusdam, videlicet Provinciæ Hispaniæ, duæ: Provinciæ, duæ: Lombardiæ, duæ: Teutoniæ, duæ; & Poloniæ duæ.

Sequens Capitulum generale assignatum fuit apud Mediolanum in Provincia Lombardiæ.

De Pestensi verò ita scribit. Anno Domini 1273.

à con-

à confirmatione Ordinis anno 57. à transitu B. Dominici anno 52. pridie Cal. Iunÿ, in festo Pentecostes celebratum fuit 52. Capitulum Generale apud Pestum in Provincia Vngariæ, sub Magistro Ioanne Vercellensi; in quo Constitutiones quædam factæ sunt, & cum alÿs in Constitutionum libro suis sunt in locis insertæ. Ordinationes quoque multæ sunt pro bono statu Religionis factæ.

I. in cap. de Capitulo quotidiano, vbi dicebatur, similiter quicumque frater caveat, ne malum, quod audivit, &c. totum deletum est, vsque ibi, auditis verò &c.

II. In cap. de Visitatoribus, vbi dicebatur, generali Capitulo studeant denunciare, totum hoc est remotum, & sic fuit positum. Si quis Frater nostri Ordinis, per se, vel per alium, ordinationē de se, vel de alio factam, vel obedientiam sibi, vel alÿ fratri injunctam, per quamcunque personam extra obedientiam nostri Ordinis constitutam, quocumque modo procuraverit revocari, vel in aliqua Provincia, vel Conventu, aut in officio, seu Studio generali poni, vel remanere, vel inde removeri, vel cum personis extraneis commorari, ipso facto, ex vi præsentis statuti, omni voce tàm in accusationibus aliorum, quàm in electionibus, & tractationibus eorum, quæ mittenda sunt ad Capitulum generale, vel Provinciale, penitus sit privatus: nec ad prædicta restitui valeat, nisi per Magistrum Ordinis, vel Capitulum generale.

Secundò in hoc Capitulo Ordinationes quamplures factæ sunt pro bono Religionis statu conservando, ex quibus aliquas magis necessarias hic apponere necessarium existimavi.

I. Quòd priores, & eorum Vicarÿ non mittant ad Studia

dia generalia fratres discolos, vel ineptos; & si quos tales miserint, studeant revocare.

II. Quòd Constitutio de non equitando, & de carnibus non comedendis diligentiùs observetur; & qui culpabiles inventi fuerint, per Priores Provinciales, & Visitatores graviùs puniantur.

III. Quòd Priores conventuales, Constitutionem de silentio tenendo, & de pœnitentia pro fractione silentij, & de jejunijs Ordinis diligentiùs observari faciant.

IV. Quòd Fratres discoli, & indisciplinati, ad Conuentus paruos, & novos non mittantur; & missi, per Priores Provinciales revocentur; & ponantur in illis, in quibus meliùs sub disciplina teneri poterunt.

V. Quòd Priores provinciales, quando assignant fratres periculosos Conventibus, qui ignorant conditiones eorum, statum ipsorum Prioribus illorum Conventuum studeant renunciare.

VI. Quòd nullus Prior apostatam alterius Conventus accipiat ad Ordinem, sine Prioris provincialis, vel ejus Vicarij licentia speciali.

VII. Quòd Constitutio de receptione fratrum Conversorum, secundùm quòd scripta est, observetur; & ipsi à Prioribus in officijs occupentur.

VIII. Quòd Studentes, pecuniam sibi à Provinciali, vel à Conventibus assignatam non expendant, nisi in libris Theologicis, & nisi de Prioris provincialis licentia speciali. Cùm autem de studio redierint, de receptis, & expensis, Priori provinciali, vel conventuali teneantur reddere rationem, secundum quòd ab ipsis pecuniam receperunt.

IX. Quòd

IX. Quòd nullus frater habeat veſtes Eccleſiaſticas, vel ornamenta, ſeu aliqua paramenta, Cruces aureas, vel argenteas, vel cum lapidibus pretioſis, nec annulos, vel lapides pretioſos: qui habuerint, expedire ſe infratres menſes à notitia præſentiarum teneantur. Quòd ſi non fecerint, illis Conventibus, de quibus fratres illi fuerint, aſſignentur.

X. Præceptum fuit in virtute obedientiæ fratribus univerſis, quòd in Alchimia non ſtudeant, nec doceant, nec aliquatenus operentur, nec aliqua ſcripta de ſcientia illa teneant: ſed Prioribus ſuis reſtituant, quàm citò poterunt, bona fide per eoſdem Priores Provincialibus Prioribus aſſignandos.

XI. Quòd Priores, & Diffinitores Capitulorum Provincialium, nullum locum recipiant, niſi priùs eis conſtiterit, quòd ſit locus idoneus pro Conventu ædificando, per fratres, idoneos ad hoc inquirendum, deſtinatos.

XII. Quòd Priores, & eorum Vicarij, Diffinitores Capitulorum generalium per eorum Conventus tranſeuntes, & redeuntes, deducant, vel deduci faciant ad proximos Conventus, eis neceſſaria miniſtrando.

Tertiò in hoc Capitulo conceſſa ſunt domus quædam nonnullis Provincijs; vz Hiſpaniæ, duæ, quarum vna in ſede Vrgellenſi poneretur: Provinciæ, una: Franciæ, vna in Palomato ponenda: Prou. Tautoniæ, duæ, & P. Angliæ, vna.

Sequens Capitulum gen: apud Burdegalam in Pr. Provinciæ aſſignantium fuit, vel in loco ſecundùm exigentiam Concilij, vbi Magiſter Ordinis duxiſſet eligendum. In eo tamen Conventu celebratum non eſt, ſed apud Lugdunum, vbi Concilium generale celebratum eſt, &c. Ita Taegius.

Castill. in Cet. p. li. 3. c. 9.

De hoc Capitulo Gen: Fr. Ferdinandus Castillus in Centuriis Ordinis prudenter quædem scripsit, digna, quæ legantur. Commendant verò cumprimis Patrum illorum studium, et zelum in omnibus, quæ in majus Dei obsequium, & gloriam ex Sacro Ordine nostro poterant redundare. Quisquis enim, ait, hortum possidet, si talem, qualem esse decet, videre desiderat, diligentissimam sanè illum navare opus est operam, vt ab omni graminis, & malæ herbæ genere, semper expurget. Cum enim, quò pinguior humus, excultiorque fuerit, eò prava germina citiùs, ac faciliùs repullulascere, & succrescere soleant, sarculum ad ea excindenda, convellendaque, præmanibus omni tempore habendum est. Siquidem opinari, quòd ea serpere, ac propagari non admittantur, insipientiæ, seu veriùs dementiæ fuerit. In eisdem Comitijs, ferreum cingulum, flagella, cilicia, cœteraque sanctissimæ, innocentissimæque Virginis Margaritæ pœnitentiæ instrumenta, Magister Ordinis, Fratribus, ac Sororibus publicè ostentavit.

CAPVT VII.

De B. Virg. Deiparæ Rosarij in Hungaria instituto.

QVin de re Hungarico Regno apprimè profutura, vt de vitiorum, & hæresum monstris, Turcis, & adversarijs omnibus gloriosè triumphet (si eam ex animo amplecti voluerit, vt pro

avita

avita illius in Beatiſs. V. Deiparam pietate non dubitamus) Sacratiſſimi ſc. Roſarij, quæ olim in eodem Regno floruit, ſodalitate, hoc loco, cùm pro ſuſceptæ ſcriptionis ratione, tùm pro meo in eam gentem amore, aliquid edifferam, præterire non poſſum. Roſarium, quod & Pſalterium B. Mariæ nuncupatur, eſt quædam formula precandi Deum in honorem ejuſdem Deiparæ, qua centies & quinquagies recitata Angelica Salutatione inſtar Davidici Pſalterij, & cuilibet decadi interjecta oratione Dominica, per quindecim decades, quindecim præcipua humanæ inſtaurationis myſteria pijs meditationibus percenſentur. Secatur verò in tres partes, quarum prima, gaudioſa: ſecunda, dolorosa: tertia, glorioſa myſteria comprehendit.

Brevi. ar Prædicat. Dominica p. Octobr.

Gaudioſa.	Doloroſa.	Glorioſa.
1. Dominicæ Incarnationis annunciatio.	1. Chriſti oratio in horto.	1. Chriſti Reſurrectio.
2. Viſitatio B. Vir. ad Eliſabeth.	2. Flagellatio.	2. Ad Cœlos Aſcenſus.
3. Incarnati Verbi Nativitas.	3. Coronatio ex Spinis.	3. Spiritûs S. in Diſcipulos miſſio.
4. Ejus in Templo Præſentatio.	4. Crucis geſtatio.	4. Virg. Deiparæ Aſſumptio.
5. Ejus in Templo inventio.	5. Crucifixio.	5. Ejuſdem Deip. Coronatio.

V. Bzouium anno 1213. a. n. 9. & Maluendã anno 1215. à cap. 10. Albigenſiũ errores fusè apud Bzou. an. 1199 à n. 33. Mal. anno 1205. à cap. 4

Vt ita pulchrè admodùm rei congruat Roſarij nomen, dùm frondibus, vitæ; ſentibus, paſſionis; floribus, gloriæ triumphantis cum Virgine Matre Chriſti Domini myſteria correſpondent. Hujus adeò præclari inventi, Beatiſſima Deipara edocente, auctorem fuiſſe S. Patriarcham Dominicum, certum eſt. Cum enim Albigenſium nefaria hæreſis, Sacroſanctæ Matris Dei (quam per ſummam impudentiam voce impuriſſima meretricem appellabant, ejuſque illibatam virginitatem infami infamia violabant) dignitati potiſſimùm infeſta, in regione Toloſatium impiè graſſaretur, ipſe Beatiſſimus P. Dominicus, qui eo tempore Prædicatorum Ordinis fundamenta jecit, divino incenſus ardore, Toloſam, ad debellandas hæreſes, & fidem Catholicam propugnandam ſe contulit. Vbi cùm omniâ hæreſum, ac vitiorum incendio deflagrare vidiſſet, ad ſacram anchoram Beatiſſimam Virginem ſe convertit: precibus eam aſſiduis interpellat, vt tantæ malorum inundationi ſua benignitate ſubueniat. Admonet ipſum divinitùs Cœlorum Regina, ac jubet, vt Roſarium populis omni mentis fervore prædicet. Hoc eſſe vnicum, ac ſingulare ad evertendas hæreſes, vitia extinguenda, virtutes promovendas, Dei miſericordiam, ſuffragiaque ſua impetranda præſidium. Cœpit igitur ſaluberrimum Roſarij inſtitutum per B. Dominicum, ejuſquè Fratres Prædicatores incredibili cum animarum fructu vbiquè propagari, erectæquè ſunt ejuſdem complures ſocietates. Vt, ſanè, cùm dicim⁹ S. Dominicum Roſarij auctorem fuiſſe, non ſit accipiendum, quaſi ipſum primum, & à ſe tam ſancti ritus inventorem

rem, & excogitatorem affirmemus. Ipſa enim Beatiſs. Deipara, viro Dei, vt diximus, apparens, illum docuit Roſarij inſtitutionem: ore, verbis, monituque B. Virginis, eaque præeunte S. Dominicus Roſarij formulam didicit: adeòque Sacra Dei Genitrix inventrix: Sanctus Dominicus potiùs promulgator extitit, vt Thomas Malvenda loquebatur. Ne quis verò de hujuſce rei veritate ambigat, Summorum Pontificum, qui eam apertè profitentur, teſtimonijs placet ſtabilire. Leo X. ſic ait: *Olim, prout in hiſtorijs legitur, à S. Dominico quædam Confraternitas vtriuſque ſexus fidelium, de Roſario ejuſdem B. Mariæ Virginis nuncupata, ad honorem Angelicæ ſalutationis inſtituta, & in diverſis mundi partibus prædicata fuit.* Pius V. *Spiritu ſancto, vt piè creditur, afflatus B. Dominicus, Ord. FF. Prædic. auctor, cujus inſtitutum, cùm in minoribus eſſemus, expreſsè profeſſi ſumus, occaſione, qua Albigenſium hæreſis per partes Galliarum, & Italiæ, miſerè graſſabatur, & tàm multos excoecaverat ſæculares, vt in Domini Sacerdotes, & Clericos ſæviſſimè ſurgerent, levans in Cœlum oculos, & montem illum glorioſæ Virg. Mariæ, almæ Dei Genitricis reſpiciens, modum facilem, & omnibus pervium, ac admodùm pium orandi, & precandi Deum, Roſarium, ſeu Pſalterium ejuſdem B. Mariæ nuncupatam, quo eadem Beatiſs. Virgo, ſalutatione Angelica centies & quinquagies ad numerum Davidici Pſalterij repetita, & oratione Dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus, totam Domini noſtri Ieſu Chriſti vitam demonſtrantibus, interpoſita, veneratur, excogitavit; excogitatum per Sanctæ Romanæ Eccleſiæ partes propagavit.* Gregorius XIII. *Memores, B. Dominicum, Ord. Prad. inſtitutorem, cùm &*

Ann. 1215. c. 19.

Bulla data Romæ pridie non Octobris anno 1520. Pont. ſui an. 8. initiò eſt. Paſtoris æterni.

Bulla, cujus initium, Conſueverat, data Romæ anno 1569. die 27. Sept. Pont. ejus an. 4.

Bulla, quæ incipit, Monet Apostolq data Romæ Apr. an 1573. Pont. an. 2.

Gallia, & Italia à perniciosis premeretur hæresibus, ad iram Dei placandam, & Beatiss. V. interceßionem implorandam, piißimum illum orandi modum instituisse, quod Rosarium, sive Psalterium Beatißimæ Virginis nuncupatur, &c. Sixtus V. Attendentes itaquè, quàm Religioni nostræ fructuosum fuerit, Sanctiß. Psalterij, Rosarij nuncupati glorioſæ, semperq; Virg. Mariæ almæ Dei Genitricis, institutum, per B. Dominicum, Ordinis Fratrum Prædicatorum auctorem, Spiritu S. vt creditur, afflatu excogitatum, quantaq; exinde mundo provenerint, & in dies proveniant bona, &c. è quibus nemini non facile erit judicium ferre de eo, quod aliqui in Hungaria dixere non ita pridem, Rosarij institutum ante annos LXX. non extitisse, quòd fortasse illud à tempore navalis contra Turcas pugnæ, sub Pio V. Sum. Pont. anno nimirum Christi 1571. sumpsisse originem existimaverint. Verùm aliud fuerit loqui de festo die Rosarij prima Octobris Dominica, quod inde ortum habuit; aliud de Rosarij, Sodalitatisque illius institutione, quam & ante secula quatuor fuisse, inficias ire non licet, cùm à Beatissimo P. N. Dominico initium cœpisse, annales vniversi, summique Pontifices jam præcitati, suis diplomatibus disertè testentur. Sed (vt ad historiæ seriem revertamur) cùm temporis decursu, celebris consuetudo, vel hominum negligentia, vel dœmonis astu paulatim cœpisset excidere, vt penè jam extincta videretur, Sacratissima Virgo, immenso circumdata lumine, B. Fr. Alano Britanno, eximio Concionatori, ad annum Christi 1473. se visendam exhibuit, atque monuit, vt cùm ipse, tùm ejus Socij Prædicatores, collapsam Sacri Rosarij devotionem totis viri-

Bull. Monet Apost. data Romæ 30 Ian. anno 1586. Pontif. an. 2.

Brev. Prad. Bzov. anno 1475. n. 22.

bus

bus restituere conarentur. Si quidem hoc genus orandi promptum ac facile, esse sibi gratissimum, ad impetrandam divinam misericordiam accomodatissimum, populis salutare, & contra quævis adversa præsens auxilium. Priorem etiam Conventus Prædicatorum Coloniæ Civitatis, Fr. Iacobum Sprengerum, eadem Sacratiss. Virgo, ad eundem instaurandum sacrum ritum, cùm se ipsam illi fecisset conspicuam, vehementer accendit. Tantùm verò prædicatione, & opera fratrum Prædicatorum divina ista devotio in Christiano populo ubiq; promovit, tot, tantæq; in honorem Dei Genitricis sub Rosarij nomine fundatæ sunt Societates, in quas Reges, Principes, Imperatores, atquè Ecclesiæ Præsides pro summo ducunt honore cooptari, vt vix verbis exprimi possit. Romani etiam Pontifices innumeris indulgentijs, privilegijs, favoribus, atq; gratijs, sacrum istud Rosarij institutum prosequentes egregiè ornarunt. Sed cumprimis ipsa beatissima Deiparens Maria, quod ipsa contulit mundo salutare Rosarij donum, mirificè fouet, & auget, cultores ejus insignibus afficit beneficijs, clarissimisq; miraculis illustrat, vt plurium, grauiumq; virorum scripta, in quibus per quatuor etiam seculorum annales, seriatim digesta sunt, palàm ostendunt. Inter quæ illud meritò singularissimum celebratur, quo Dei Genitricis auxilio sacris Rosarij precibus implorato, anno Domini 1571. Sept. Octobris, quæ Dominica fuit, ad Naupactum Achaicisinus, de Turcarum classe, viribus, & numero longè majore, à Christianis Principibus navali bello maxima post hominum memoriam victoria parta fuit. Cùm

Brev. Prad. Bzov. sup. n. 28.

Bzov. anno 1478. n. 1. And. Coppenstein in Rosario. Diplomata Pontificia in unum collecta habes in Thesauro Apostolico Fr. Petri Louvet impresso

enim

Diaci 1615. V. inter alios Alphonsū Fernandez in Rosario. Bulla cit. Monet Apostolo Mitr tyrol. Rom. 7. Oct. Bulla eit.

enim ea die per vniuersum Christianum orbem Sodalitates Rosarij, pias preces, ac processiones ad sacram Virginem de more haberent, ab omnibus fidelibus piè creditum est, ejusmodi preces, ad obtinendam Dei Genitricis opem pro Christiana classe plurimùm profuisse. Quod & Gregorius XIII. literis Apostolicis apertè testatus est. Quocirca Clemens IIX. Apostolica auctoritate confirmans Festum Rosarij Dominica p. Octobris à Gregorio XIII. institutum, publicis Ecclesiæ tabulis hæc inscribenda mandavit. *Die septimo Octobris Commemoratio S. Mariæ de Victoria, quam Pius V. Pont. Maximus, ob insignem victoriam, à Christianis bello navali ejusdem Dei Genitricis auxilio hæc ipsa die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit: & Gregorius XIII. prima hujus mensis Dominica die, annuam Solemnitatem Rosarij ejusdem Beatissimæ Virginis celebrandam decrevit.* Sed & hisce proximis annis plurima & ingentia beneficia Sacri Rosarij precibus impetrata sunt. Genuensis Respublica, illis, se à Gallis magna irruptione, & longo tempore inuadentibus, liberatam agnoscit. Bononiæ impij quidam hæretici homines, qui Sacras imagines, Deiparæ potissimùm Virg. confringebant, sordibus commaculabant, variisque modis tempore multo labefactabant, nunquàm, etsi maximis (vt par erat) diligentijs, precibus, supplicationibus, alijsquè publicis, & privatis sacris adhibitis exercitijs, deregi potuerunt, donec solemni, ac frequentissima Rosarij Sacratiss. processione, unus quidam ex ipsis, (qui, vt Catholicos derideret, intererat,) in Sac. Beatissimæ Virginis statuam, quæ circumferebatur, obrutum defigens, mirabili, ac minaci

ejus aſpectu ict⁹, atque timore magno perculs⁹, geſtorum pœnitens, Sanctæ Inquiſitionis tribunal ad D. Dominici adijt, ſeipſum, cæteroſque tanti ſceleris complices revelavit, accuſauit, damnauit. Quibus comprehenſis, alijsque jure peragendis peractis, Vrbs æquè religioſiſſima, ac illuſtriſſima, à nefaria impietate liberata, mœroreque, quo diù contabuerat, ſoluta, gratias Deiparæ liberatrici ſumma animorum lætitia, & devotione peregit. Ipſamet Bononia, plurimæq; aliæ Civitates, lue vehementiſſima, per Italiam graſſante, ad ſacram Virginis Deip. opem per Roſarij preces, ab innumeris vtriuſque ſexus hominum turmis, alternis choris efflagitaram, confugientes, præſentiſſimo numine ſe fuiſſe defenſas agnoſcunt. Mediolani, Roſarij precibus, oleoque lampadis, quæ ad B. V. Deiparæ Gratiarum ardebat, annis 1630. & 31. propulſata peſtilentia, quæ non auræ infectione ſolùm, ſed & ferali prauorum hominum maleficio validè ſerpebat, iſtud ad perpetuum rei monumentum ſupra templi valuas carmen inſcriptum.

Gratiarum Mariæ
Quæ primas gratias
Mediolani in hac Eccleſia fecit
Peſtiferam q́ recens
Vnctionem proſcua fugavit
Vt protegat ſemper
Gratias lati reddite Cives

Et dum iſta euduntur, Bononia, M. Fr. Gullielmus à Montecaluo, laudatus, atque laudandus, ita ſcribit: *in*

omnibus hiſce civitatibus multùm percrebuit S. Roſarij devotio, maximè poſt peſtilentiam. Hic Bononiæ (quæ ſe Roſarij Vrbis nomine inſignivit) in ſingulis angulis Roſarium, cum primis verò in templo noſtro quotidie magno populi concurſu recitatur.

Verùm præſtat nonnulla ex Magno viro Mag. Generali noſtro, Fr. Nicolao Rodulfio in epiſtola encyclica, quam ad Ordinem vniverſum dedit anno 1631. quæque mihi hæc ſcribenti ad manus occurrit, brevi perſtringere. is enim de mirabilibus illis, quæ ſub illud tempus, ſanctiſſimi Roſarij virtute in orbe univerſo patrabantur, ſic propemodum ediſſerebat. *Bononiæ ſæviente peſtilentia, Civitas promiſit, ac vovit Deo, Beatæq; Virgini de Roſario, ſe è malis eriperentur, quotannis, ſe, in perpetuam obtenti beneficij memoriam, publica ſupplicatione, ſedis Apoſtolicæ Legato, & Regimine intervenientibus, ad D. Dominici acceſſuros; ſacrum in Deip. honorem ſolemne Deo facturos; veſtitu, ac dote, puellas, ſive ad conjugium, ſive ad Religionem, donaturos. Haudquaquàm irritum votum: quam enim exoptabant gratiam, feliciter aſſecuti ſunt. Plures lampadis oleo, multi roſis benedictis, alij Roſarij recitatione, alij ad Deiparæ Virginis Roſarij commendationem integræ valetudini reſtituti. Iuvenis quidam peſte ad extrema deductus, cùm ij, quos ſpectat illo morbo affectos deferre ad Xenodochium, quod S. Lazari domum vocant, aduenisſent, Deip. Roſarij ſe commendans, Sanitati ſtatim reſtitutus, ad S. Dominici pro gratiarum actione properavit. Victoriæ Petri Maſcarelli, eodem contagio perculſæ, vbi ſe Deip. Roſarij tutelæ commendaſſet, ex morbo convaluit. De Angelo Gabrielio conclamatum erat;*

paren-

parentes circa illũ Rosarium recitarunt, & factus est sanus. Hippolytus Bandellus, Laura Campegia, Anna Manzolina, Isabella Zacharina, Alexander Tabrissola, Anna Georgÿ, Orsina Campani, Violanta filia Io. Baptistæ Vaccæ, alÿq; innumeri, ope ejusdem Deiparæ curati sant. Porrò Civitas pro obtento beneficio eo apparatu solemnitatem Rosarÿ celebravit, vt magnificentiæ fines, ac terminos excessisse videatur. Supplicationes, sacra solemniora, munerum pretiosiorum oblationes, à parœcÿs, sodalitatibus, personisq; privatis in plures dies, mensesq; protracta. Delegerunt etiam in Patronam Deip. V. de Rosario, præter Bononienses, Respublica Lucensis, Fanum, Auximum, & Perusium, Civitatem se Rosarÿ acompellans. Genuensis Respublica, unicam adversus bella præterita protectricem, & præsentis contagÿ præservatricẽ eandem Deiparam agnoscit. Neapolis, tota S. Rosarÿ devotione exardescit. Florentia, inter præcipuas pro quadragena contra pestilentiam sanctiones, edixit, vt quotidie, hora tertiarum, vicatim B. Deip. Rosarium, Sacerdote in publica platea mysteria comtemplanda proponente, domorum incolæ è fenestris per choros recitarent. Mediolani oleo lampadis Deip. Rosarÿ ingentes curationes factæ narrantur. In Gallÿs, Rege Christianissimo Luoduico XIII. superstite Rupellanam arcem inexpugnabilem, in qua sese hæretici contutabantur, obsidente: Regina Parens, memorans Rosarÿ deuotionem à Deipara V. pro hæreticis in Gallia debellandis S. P. Dominico inspiratum fuisse: Parisÿs in æde nostra B. V. Annunciatæ, ad Rupellanos, cæterosque Ecclesiæ hostes devincendos, hanc devotionem promovit. Proprioq; motu, ac pietate cum regnante Regina, Regis fratre, atque alÿs Principibus ad memoratam ædem accedens, incipiente Parisiense

Archiepiſcopo, cum populis, lacrymis & ſumma pietate orantibus, & victoriam depoſcentibus, Roſarium recitavit. Quàm verò efficaces eæ fuerint preces, inſignis inde, glorioſa, nulloque unquam ſenio obliteranda conſecuta victoria, manifeſtè declarat. Pater M. Fr. Sebaſtianus Michaelis, Sacratiſs. Roſarij devotionem apud Montem Peſſulanum divinitùs inſpiratus innovavit: quo ex tempore Civitas illa ab hæreſi liberata, quæ priùs fuerat arx munitiſſima hæreticorum, facta eſt fortiſſimum Catholicorum præſidium. Ex Chio præclara Graciæ Inſula ſcribebat anno ſuperiori 1630. 11. Auguſti, Vicarius ille Generalis, adeò per Inſulam totam Roſarij devotionem invaluiſſe, vt jam Beatiſs. V. non ſine Roſarij titulo ſoleant nominare. Conveniunt, inquit, populi ter in hebdomada ad ipſum perſoluendum devotione tanta, vt infœlicitati ducant, intereſſe non poſſe. Quibus verò diebus in Eccleſia non dicitur, à familijs in propriis ædibus recitatur. Puellæ inſontes, ſub veſperum, in Eccleſiam, Deum per Roſarium comprecaturæ, concurrunt. Ea devotione factum eſt, vt Schiſmatici, Eccleſiæ Romanæ hoſtes infenſiſſimi, qui vix aliàs per colloquia, & acres diſputationes ad illius ritum adduci poterant, jam nunc ad Catholicam fidem vi tanta alliciantur, & trahantur, vt ullus ægrè elabatur menſis, quo non ex ipſis quiſpiam ad eam convertatur. Tot enim mirabilia, atque ſtupenda, Roſarij virtute patrantur, vt nihil umquàm ſimile Schiſmatici expertos fuiſſe ſe dicant. Ex Sac. Congregationis de propaganda fide literis, hoc anno 1631. ad me datis, accepi, quòd novi Martyres Cath. fidem, Religionemq; noſtram illuſtrarint in Iapone; & ex Congregatione noſtra Indiæ Orientalis miſſi à P. Fr. Ludovico de Spiritu Sancto ad Inſulam quandam ſupra

Malacam quindecim noſtrorum, quibus præerat P. Fr. Michael Regius, ita ſe geſſerint, vt jam laborandum non ſit, qui baptizentur, ſed, qui ob innumerabilem populorum ad fidem converſorum multitudinem poſſint baptizari. Quòdq; cùm Monotapa, ad eos, qui nuper converſi fuiſſent, perdendos, centummillium hominum exercitum coegiſſet, illi verò ad P. Fr. Ludovicum, ceù ad arcem, confugiſſent: is ipſorum inſtantia, precibuſq; permotus, collecto magno hominum numero, quos ad fidei, vitæ, & larium defenſionem animavit, Virg. etiam Deip. Roſarij, cujus myſteria in Chriſtianorum vexillis juſſerat repræſentari, ope invocata, tàm propitium divinum numen expertus eſt, vt obtenta felicißima, eaq; miraculoſa victoria, in Auguſtali Vrbe, triumphanti Liberatrici ſub nomine Roſarij Eccleſiam erexerit, & ſacra Deo in ejuſdem honorem pro gratiarum actione cum ingenti gaudio obtulerit. Cùm verò devicti Imperatoris Auunculum Imperij ſucceſſorem inſtituiſſet, victorias illas, quibus animi Chriſto Domino non mancipentur, parvifaciens, octimeſtris ſpatio pro nuperi Imperatoris converſione laboravit, quem tandem cum Imperatrice conjuge, ac plurimis Regni Principibus ad fidem Catholicam perductum, Sacro Baptiſmatis fonte regeneravit; Imperatricemq; ex nomine matris B. P. N. Dominici Ioannam nuncupavit. Ejuſdem verò Imperatoris Nepos, qui ſimul cum nouæ Chriſtianorũ meßis manipulis, Goam, pro fidelium conſolatione miſſus fuerat, vt in noſtra Prædicatorum Goenſi Eccleſia, omni, qua fieri poſſet, ſolemnitatis pompa baptiſmo initiaretur, egit S. Inquiſitionis Officij Deputatus cum Luſitaniæ Priore Provinciali. Tantùm èx literis illis P. N. Generalis. Verùm & pauciora quædam ex ijs, quæ in Germaniæ, Vngariæ conterminæ regionibus,

recentiùs ejuſdem S.mi Roſarij virtute contigere, mihi videor abſque piaculo præterire non poſſe.

Conſtantiam Suecicus Dux Hörn anno 1634. die Natali B. V. Mariæ ſacro, auxiliantibus Heluetis, ex improuiſo obſederat: ſed licèt Vrbem diù noctuque, quà tormentorum exploſionibus, quà militum aſſultu diù ex diverſis partibus laceſſeret, itaut crederet hoſtis cuncta intro ædificia diruta eſſe, atque vaſtata: interim tamen Civibus, B. Virg. opem per Roſarij potiſſimùm preces implorantibus, nihil, ſtupente hoſte, illa paſſa eſt detrimenti: quin etiam ipſa Dominica 1. Octobris, ejuſdem Dei Genitricis Roſario dicata, poſt proceſſionem, & recitationem Roſarij, cæteraque omnia à Sodalibus ea die haberi ſolita, ampliori fide ac devotione peracta, à dira arctaq; efferi hoſtis deſperantis, adeòque recedentis, per integrum menſem obſidione liberata fuit. Quam liberationem pij homines cenſuerunt ſacris Roſarij precibus à Deo conceſſam; quod & Concionator ſummi Templi Conſtantienſis, è Soc. Ieſu P. è Suggeſtu ſincerè populo prædicavit. Villingenſis Civitas in Sylva Ercinia cùm acri obſidione à Suecis ter vallaretur parùm ante illa tempora vovit inter alia, Roſarij Sodalitatis, vrgente P. Fr. Ludovico Ord. Min. Convent. ibidem Guardiano, inſtitutionem. Quare, cùm à noſtris, eò propter hoſtem pergere non valentibus, indultum eſſet, vt Sodales inſcriberentur, Archifraternitatiſq; gratijs omnibus potirentur, tanta devotione, edocente præeunteq; ipſo R. P. Guardiano, Roſarij preces cum pijs meditationis ad quaſlibet etiam angelicas ſalutationes, & orationes Domi-

nicas

nicas frequentarunt, vt eo ſolo quaſi invicto pectoris robore armati, & per viſibilem B. Virg. apparitionem mirificè conſolati, nihili ducerent adverſarios; à quorum denique oppugnatione feliciſſimè B. Virginis auxilio vendicati ſunt. Id ejuſdem P. Ludovici libellus Roſarij germanicè editus, cum inſcriptione *Villingeriſche Brüſtwehr*, pleniùs teſtatur. Vberlingenſis Civitas propè lacum Morispurgenſem, Conſtantia trium horarum itinere diſtans, triennio antequàm à Duce Hòrn obſideretur, Archifraternitatem Roſarij per F. F. Prædicatores Conſtantienſes quàm devotiſſimè inſtituendam curaverat. Sub ipſa verò obſidione anno 1635. cùm jam omnia quaſi eſſent in extremo diſcrimine conſtituta, vt de deditione aliqui non ſatis in fide fortes cogitarent, & nihilominus ſe cum ſumma pietate Deo, ac B. Virg. per ſacram communionem, & Roſarij preces commendare non deſiſterent, ecce eadem Deipara ſupra turrim Civitatis circumamicta Roſario, una manu Hoſtiam ſalutarem tenens, altera gladium hoſtibus minacem intentans, illis & noſtris in clariſſima luce refulſit. Qua viſione hi recreati, & confirmati, illi verò animis conſternati, ac per ſummam blaſphemiam, & Albigenſibus, vt prædiximus, olim uſitatiſſimam, ajentes, *meretrice illa obſiſtente, impoſſibile eſſe, ſe quicquam efficere* (ecce blaſphemi inimici noſtri ſunt judices) poſt dies paucos abſceſſere. Friburgi ſub annum 1626. mulier per biennium circiter infirma, cum nec manus nec pedes ampliùs dimovere poſſet, nocte quadam graviùs ægritudinis moleſtia conflictata, in Beatiſs. Virginem ſpe majori conjecta, pro

ſani-

ſanitate, quotidie ſe duas Roſarij partes perſoluturam devovit. Quæ ſtatim incolumitati reddita, die inſequente ad templum Prædicatorum ſoſpes acceſſit, & Deo, ac B. Virg. gratias agens, quæ ſecum contigiſſent, Patribus enarravit. Styræ ſuperioris Auſtriæ Civitate, anno proxime præterito 1636. mulier olim hæretica ad fidem converſa, & Sodalitati Roſarij inſcripta, paulopoſt graviſſimè infirmata, pedum, ac manuum vſum amiſerat, neque tamen Roſarij recitationem omiſit. Cum verò inter orandum ſæpius quaſi extra ſe rapta à circumſtantibus viſa fuiſſet; narrabat poſt orationem, B. Virg. cum Ieſulo infante ſibi apparuiſſe, magnaſque conſolationes impertijſſe: proinde durante ægritudine vehementiùs ſemper oravit, feliciſſimam ſe æſtimans cum ea infirmitate talibus frui Cœli delicijs. Sed nocte quadam, cùm quaſi agonizans apparuiſſet, à duobus P. P. Societatis fuit viſitata, quibus loquentibus, & interrogantibus, vt aſſolet cum in agone conſtitutis, ne verbulum quidem reſpondit, tota in Roſarij preces abſtracta. Illis autem abſolutis, extendens ſenſim manus, ac pedes, in integrum ſanitati reſtituta, Deo, & B. Virgini cum ſummis laudibus gratias perſoluit, quòd per eandem Deiparam non ſolùm corporis ſalutem recuperaſſet, ſed & de Catholicæ fidei myſterijs fuiſſet inſtructa. Hem Catholice, Pieque Lector, mirabilia magna, quæ ad depellendam peſtilentiam, hæreſes, & infidelitatem profligandas, victoriam, atque hominis vtriuſque ſalutem impertiendam, Roſarij merito hiſce etiam diebus Deus nuſquam non operari non ceſ-

ſat.

ſat. Haudquaquam dubitem, quiſquis hæc piè ſincereque perpenderit, quin ad hanc Deiparæ devotionem ſanctè affectus, ac certiſſime cuiquam nullo vnquam tempore auctor futurus ſit, ne adeò ſanctum, ſalubreque inſtitutum, ubique, & in ijs potiſſimum plagis, quæ varijs obnoxiæ ſunt calamitatibus, quoad fieri poſſit, promoveatur. Sanè quemadmodum B. Virgo Deipara, ſui hujuſce inſtituti cultores mirificè fovet, & adiuvat; ita ipſum inane, ac leve exiſtimantes, valdè ſibi diſplicére, ſæpè ſignificavit, neque inultos eſſe permiſit, vt ex annalibus, alijſque monumentis, ſtudioſis promptum eſt contueri. O utinam vox mihi, tubæ, aut potiùs tonitrui inſtar obtigiſſet, qua vniverſos populos, præcipuè quos Vngarici Regna corona umquam complexa eſt, ad ſaluberrimum hoc orandi genus toto pectore capeſſendum, frequendumque concitarem. Vtinam iterum autem vtinam, fœliciſſimum hoc inſtitutum in eodem quàm citiſſimè refloreſceret Regno: ſperarem enim indubiè aliam ejus faciem brevi conſpectum iri, vt alia erat, cùm magna ibidem devotione populorum excolebatur. Certiſſimè enim perſuaſum habeo, B. Paulum abſque illo Ordinem noſtrum in ſua Patria nec inſtituiſſe, nec propagaſſe, qui per omnia Præceptorem ſuum Beatiſs. Patrem Dominicum conatus imitari, totus non eſſe non poſſet in amplificando cultu, & devotione Sacratiſſimæ Deiparæ, Vngariæ Patronæ, & quidem ritu ab ipſa tradito, adeoquè illi gratiſſimo, nuperi Ordinis peculiari, ſignis, portentiſque celebri, & ad quæcumque beneficia cælitus obtinenda vſquequaque efficaci. Nec credibile eſt, minus pater-

Bzouius anno 1218. n. 10. & an. 1247. n. 28. Lovetet in theſaur. 4 pag. 287.

næ hæreditatis tuendæ & excolendæ, Vngaricæ, quàm reliquarum Prouinciarum Patres ſtudium tenuiſſe, præcipuè cùm Beatus ille Alanus hortante Deipara, per totam Germaniam, adeoquè Europam, Roſarij ritum denuò excitavit, & longè lateque diffudit. Quod ſi per varias Orbis regiones, Italiam, Hiſpaniam, cœteraſque, in quibus viget Catholica fides, vix oppidum, aut pagum invenias, in quo non ſit hæc ſancta Sodalitas complantata, cur putemus, in Vngaria, in Dominicanis ſaltem domibus non extitiſſe, præſertim cùm in Ordine toto, fundato Conventu, fundata & Sodalitas ſemper habeatur? Profectò, quòd prima cujuslibet menſis Dominica die proceſſiones Roſarij Sodales habere ſoleant, colligit Su. Pont. Gregorius XIII. prima Dominica die Octobris anni 1571. per totum Chriſtianum orbem habitas Roſarij proceſſiones: quæ ſanè nulla eſſet illatio, niſi in toto Prædic. Ordine, qui per totum orbem Chriſtianum diffuſus eſt, Roſarij Sodalitates ad minimùm extitiſſent. A fide dignis accepi, Tyrnaviæ, in æde S. Ioannis Baptiſtæ, quæ olim ad Prædicatores ſpectabat, Iconem Beatiſs. Virg. de Roſario, cùm ob excitatum incendium cœtera quæquè conflagraſſent, illæſam divinitùs ab igne fuiſſe præſervatam. Verum enim verò, etſi jam cum extincto Ordine in Vngaria, (ſi prorſus extinctus dici poſſit, ſuperſtite pientiſſima adhuc vna Sanctimoniali) extinctam ploramus & ſocietatem; vtrumque tandem quadantenùs reſtitutum iri ſperamus; nec ſine cauſſa, cùm pro vtroque igniculos in piorum animis paſſim excitari videamus. Illuſtriſſim⁹, & Rever.mus D. Georgius Jakoſich, ex Sirmienſi jam nunc

Bulla, Monet Apoſtolus cit.

Veſpri-

Veſprimienſis Epiſcop⁹ Digniſs. dùm Romæ eſſet ſuperiorib⁹ annis, ſacris hujuſce Sodalitatis precibus, & exercitijs, quæ ſummo exemplo, & devotione per totam Italiam habentur, piè affectus, ab Ordinis noſtri totius Superioribus illius fundandæ in Vngaria facultatem, (vt ipſe narrabat) exoravit. Pijſſima æquè atque Illuſtriſſima D. Comitiſſa Catharina Palffi, Illuſtriſſimi D. Comitis Sigiſmundi Forgaz, Vngariæ Palatini relicta, de eodem Inſtituto Tyrnaviæ anno proximè præterito 1636. erigendo, vbi priùs libellum Roſarij R. P. Fr. Euſtachij Mayer S. T. Præſent. & de ipſa Sodalitate opt. meriti, è germanico in Pannonium vertendum curaſſet, pecuniamque pro Oratorio in ea re neceſſariam deſignaſſet, agebat; cujus votis ſi aliorum, qui obierunt, voluntas, & animus non obſtitiſſet, hodie rem perfectam læti conſpiceremus.

CAPVT VIII.

De Peregrinantium Societate.

CEleberrimæ Ordinis Prædicatorum Peregrinantium Societatis cùm pars non minima fuerit Vngarica Prov. illam præterire minimè æquum eſſe cenſemus. Ea fuit Fratrum Ordinis, ad infidelium converſionem, in Orientalibus præcipuè regionibus degentium, ex varijs Orbis terræ plagis commeantium congregatio. Putant aliqui initium duxiſſe ſub annum Chriſti, 1222. alij anno 1255. quando

l. Bzov. anno 1325. n. 11. Plod. 2. p. in prom. tract. de Congregat. notatione 3.

do ex omnibus ferè Ordinis Provincijs, literis B. Vmberti V. Ord. M. datis eodem anno ex Capitulo Gen. Mediolani celebrati, excitati Fratres, ad illas regiones magno numero commigrarunt.

extant ea litera in S. Ant. 3. p. hist. tit 23. c. 13. parag. 4.

Verùm ante Vmberti Generalatum primordia duxisse certiùs existimarim, cùm anno 1253. Innocentium IV. fratribus Ordinis in Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicicorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mostelitarum, Tartarorum, Vngarorum majoris Hungariæ, Christianorum captivatorum apud Turcas, aliarumque Orientis infidelium partes proficiscentibus literas dedisse, earum descriptis exemplaribus, ostensum sit. Mihi credibile fit, cœpisse, ex quo per B. Paulum Hungarum, Socioſq; ejus, Cumanis populis Christi verbum cœpit annunciari: inde enim ad alias etiam barbaras, schismaticas, & hæreticas gentes, cùm traducti, tùm submissi fratres, ab illo tempore nunquam intermiserunt verbum salutis infidelibus annunciare, & dogmata sinceriora asseverare hæreticis, & schismaticis, ea non tantùm fiducia, constantiaque, quam per martyria frequentia ostenderant, verùm etiam, qua par fuerat, integritate, & sinceritate. Quamobrem, cùm multos vberesque Evangelij fructus, per lucra animarum, quas Christo, & Ecclesiæ laborib⁹ suis adjunxerant, reportassent, & in ingentem multitudinem inter eos populos fœliciter excrevissent, judi-

p. 3. l. 4 n. 12.

carunt

carunt è re fore, ſi ſub vno capite jungerentur, quo fælicius ſancta illorum ſtudia, & opera dirigi poſſent. Cùm itaque longo tempore nullum caput, præter Generalem Ordinis, Summumq; Pontificem agnoſcentes, ſejuncti fuiſſent, Ioanni 22. Papæ ſupplicarunt, vt eos in vnum corpus Societatis alicujus reduceret, Vicariumque eis, vel Prælatum aliquem Generalem præficeret, à quo faciliùs directi, acriùs ad opus inflammarentur; ſub ejuſque cura, & vigilantia, huic vni operæ incumberent, vt gentiles, cœteroſque errantes populos, poſſent à tetra caligine ad veritatis lucem traducere. Porrò Pontifex, non modò juſtè poſtulata non negavit, ſed & anno Chriſti 1332. datis literis, quarum initium eſt, *Gratias agimus*, ſummas pro laboribus, quos in amplificanda, tuenda, expurgandaque fide illic poſuerant, grates Deo habuit, multis ingentibuſque privilegijs illos umulavit; Generali M. Ordinis, Vicarium ſuper eoſdem Peregrinantes inter gentes inſtituendi poteſtatem fecit. Generalis, Vicario inſtituto, eos Socios peregrinantes, eorumque Congregationem, Societatem Peregrinantium nuncupavit. Non tamen eis tunc Conventus aſſignavit; ſed, vt diverſarum Provinciarum *Priores* provinciales, fratres ab eodem Vicario generali requiſitos ſubminiſtrarent, injunxit: à quibus proinde ad Evangelij prædicationem vitæ integritate, & doctrinæ pietate præſtantes viri deſtinabantur. Gregorius deinde XI. anno Chriſti 1378. illiuſque temporis Generalis, eis decem Conventus ex propinquioribus Provincijs Græciæ, Hungariæ, & Poloniæ; Hungarica quidem Ceretenſem, Panſutenſem, Pri-

Habetur in Bullario Gen Vſtama ris à folio 84. data anno 14. Pontificat9 adedq; 1332.

Plodi9 locavit.

micellenſem, in Moldavia, & Valachia exiſtentes: ex Polonica, Leopolienſem, Camenecenſem, Smoticenſem; ex Greca, Caffenſem, Chienſem, Conſtantinopolitanum, Perenſem aſſignavere: quo denique laboribus feſſi, & ſenecta debilitati, loca quædam haberent, ad quæ ſeſe recipere poſſent, in iiſque confoveri. Peregrinationis eorum nullus certus limes, cùm & in Perſidem, & in remotiores alias partes penetrarent, totum ferè Orientem peragrantes. Poteſtati Vicarij generalis pro tempore ſubjecti, cui, vel quid juberet obtemperabant, neque pedem, præter ejus juſſionem, aut linguam movebant. Diù, multumq; florens ingens Ordini decus, & maximam Eccleſiæ peperit vtilitatem; ob quam plurimi ex ea ſanguinem intrepidè fuderunt; Optimates, Principes, Reges, Imperatores Eccleſiæ addicentes, Magnum etiam Canum Tartarorum, ad fidem, & Paleologum Imperatorem Oriencis, ad unionem eccleſiaſticam perduxerunt; per indomitas, efferatas, experteſque vt plurimum totius humanitatis gentes iterfecerunt: domoſq; vbiq; ædificantes in immenſum excreverunt. Plurimi ipſorum in illis regionibus Epiſcopali, Archiepiſcopalique dignitate fulſerunt, vt ex Ioannis 22. Pontif. M. diplomate colligi datur. Multi Sanctæ Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem munus objuerunt. Ingentibus illi Privilegiis ab innocentio 4. & Nicolao 4. bulla *Cùm ſit hora dici vndecima*, Joanne 22. *Gratias agimus*, Gregorio 11. *Qui relictis parentibus*, Eugenio 4. *Plantatus olim*, Pio 2. *Dùm levamus*, Sixto 4. *Apoſtolicæ ſervitutis*, cumulati. Ac licèt, Plodio teſte, Aſia à Turcis occupata, cœſis Perregri-

Bulla Inn. apud Vſuſmaris f. 30 Nicolai f 64

nan-

nantibus, lociſque ipſorum magna ex parte deſtructis, anno Chriſti 1456. in Gen. Capitulo Montepeſſulanenſi ſub Fr. Martiale Auribelli Ord. Mag. Congregatio fuerit penè extincta, qui ſuperſtites ex ea, ad ſuas Provincias remeaverint, jamque dicti Conventus, Provincijs, è quibus fuerant accepti, reſtituti; certum nihilominus eſt, iterum à Pio 2. (cui qualemqualem extinctionem magnoprè diſplicuiſſe, proindeque Martiali infenſum fuiſſe ſcripſerunt nonnulli) anno Chriſti 1464. reparatam, & in vnum corpus reductam fuiſſe cum gratijs, & privilegijs longè ampliſſimis, & reſtitutione Con. præcipuè ex Lituania, Ruſſia, Ypodolia, qui ad Poloniæ: Moldaviæ, & Valachiæ, qui ad Vngariæ Provincias reducti fuerant, ſubjectioneque ad illius Vicarium: *quem etiam deputavit, & conſtituit hæreticæ pravitatis Inquiſitorem in partibus orientalibus tam fidelium, quàm infidelium, & quàm maximè in Civitatibus Caffæ, & Perę, Chij, & in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Iberorum, Alanorũ, Gazarorum, Gothorum, Zirorum, Ruthenorum, Syrorum, Iacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Agoleſticorum, Tartarorum, Carelorum, Hungarorum majoris Vngariæ, & aliorum, qui nondum Sacramenta fidei perceperant &c. cum poteſtate, vt idem Vicarius, & Inquiſitor alios Inquiſitores hæreticæ pravitatis in Provincijs, de quibus ſibi videretur ſupradictis ſubſtituere, & ordinare valeret.* quæ omnia Sixtus 4. confirmavit, & amplificavit anno 1473. Icones, & præcipuorum altariũm imagines illis erant ſtans Salvator cum Cruce, plagis, ſanguineq; madens, à lateribus, B. Virgo,

Ioannis f. 84. Engeij 108. Pij 141 Sixti 141. Gregorij apud Redriquez in bullario pag 62. Autor li. m. f. de Prou. Ruſſiæ

& S.

& S. Ioannes Evangeliſta, juxta quos Divi Petrus, & Paulus Apoſtoli: paratos ſanguinem fundere pro Chriſto, & pro ſede Apoſtolica legatione fungi: atque, quod ijdem Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, B. P. Dominico, filijsq; ejus, vnus cum baculo, alter cum libro, ijs verbis *Vade, prædica verbum, ad hoc enim electus es*, demandarunt, exequi ſeſe ſignificantes. Sigilla etiam ipſorum, nudum Salvatorem, ſanguinem è latere derivantem referebant. Habitui Ordini Prædicatorio communi, rubri coloris pileos, cingulos, caligas, & calceamenta, ex Innocentij IV. indulto ſuperaddebant. Sic ſancti Vincentij quaſi ſocij Peregrinantis depicta Leopoli docet imago: ſic Patris cujusdam cadaver, ante majus altare anno Chriſti 1567. ibidem repertum, quod mòx contactus diſſoluit, atteſtatum. ijs porrò ſymbolis, Sanguinis Chriſti pro ſalute hominum fuſi, ac ſui quoque pro ejus gloria fundendi perpetuò monebantur. Leopoli præcipuus erat eorum Conventus, in quo Comitia celebrantes, graviora negotia definiebant. Etſi verò varios ſtatus pro temporum condicionibus experta fuit ſocietas, adhuc tamen anno Chriſti 1553. cum ſuo Vicario, Fr. Benedicto de Filicaria Florentino, ſuperſtes fuiſſe ex act. C. G. Romæ illo anno celebrati luce clariùs apparet, cùm dicitur: *Confirmamus in Vicarium Societatis Peregrinantium, P. Fr. Benedictum de Filicaria Florentinum, vſque ad aliud biennium, & ultra, ad beneplacitum Reuer.mi Generalis, caſſantes, & annullantes quamcunque vnionem hactenus factam præfatæ Societatis cum noſtra Prou. Graciæ.* Tantúm de inſigni hac Societate, quæ in B. Paulum, primum Vngariæ Pro-

Cap. gen. anno 1553. tit. Cõfirmationes.

vincia-

vincialem, Cumanorumque Apostolum, originem refert, & ex Fratribus, atque Conventibus ejusdem Provinciæ coalvit.

CAPVT IX.

De Prouinciæ Vngaricæ reformatione.

REformatio, in Religiosis Ordinibus vocatur, collapsæ disciplinæ regularis, morumque, ad regulam, & leges primorum Institutorum reparatio. Vix autem Ordo est, aut fuit aliquando in Ecclesia, in quo longo temporum tractu illa opus non fuerit, vt experientia rerum magistra semper ostendit. Naturam siquidem humanam tanta ex peccato primorum parentum invasit curruptela, vt eadem veluti maximo pondere deorsum assiduè pressa, in calcanda virtutis via lassata, ad pristina vitia facilè relabatur. Quod perpendens Apostolus, ad continuam reformationem, renovationemq; spiritus, & morum, fideles exhortabatur. *Reformamini*, inquiens, *in novitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei beneplacens, & perfecta.* & alio loco: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Verum enim verò pestilentia illa ingens, quæ ab anno Christi 1348. per totam ferè Europam grassari cœpit, maximam, morum, & pietatis Ordinibus vniversis attulit vastitatem. Devoravit illa majorem Europæ partem, cumprimis Galliam, Germaniam, Vngariam, Hispaniam, Italiam, in quibus loca pleraque

ad Rom 12.

ad Eph. 4.

Discursus est Plodij p. p. uir illust. col. 358 post Castillum.

adeo

adeò depopulata eſt, vt mortalium nemo reliquus fuerit ſuperſtes. Templa, cœmeteria, agri, humandis cadaveribus deficiebant; & (quod erat gravius) quoniam ad veſtis duntaxat attactum lues contrahebatur, non erat, qui traderet ſepulturæ: proinde non homines tantùm, ſed & domeſtica animantia, relictis ædibus, ad loca deſerta ſe recipiebant. Peſtilentiæ ſucceſſit fames, quòd propter auræ intemperiem agrum excrecere nullus auderet. Maximo interim numero è vivis religioſi deceſſerunt, atque cum ipſis legum ſacroſanctarum obſervantia per omnia ferè pereunte, ex incauta multitudine, proprietatis, inobedientiæ, vanitatumque vitia in omnium ferè Ordinum Cœnobijs irrepſere. Nam cùm illa adeò deſerta eſſent, ac deſolata, vt penè Ordo vnuſquiſque putaretur extinctus, qui ſuperfuerant, ſuæ Religioni inclementer miſericordes, cujusque generis hominibus, pueris, adultis, ſenioribus, ineruditis, ineptis ad habitum ſuſcipiendis, ne penitus Ordo periret, operam dare cœperunt: & ad hoc quidem neceſſitate quaſi quadam compelli videbantur; ſed & quadam boni apparentia in gravius illos erratam induxit. Vt enim hujuſcemodi homines eruditionis, patientiæ, ac ſpiritus parum compotes devincirent, omni eis commoditate libertateque indulta, pravè ipſos educarunt, fore ſperantes, vt ea ratione ad leges, ſtatutaque ſervanda redderentur aliquando promptiores. Verúm ferò (heu) noverunt, ex otioſitate, atque delicijs, nihil boni fructus colligi potuiſſe, multorumq; irreligioſitatem pauciores etiam extra regularis obſervantiæ normam abripuiſſe. Quapropter

paucis

paucis adhuc bonis viris illis, qui ex contagio reſidui fuerant, occumbentibus, obliteratus planè fuit rigor Patrum antiquus, & novus abſque legum, & ſuperiorum ratione vivendi modus inductus. Exilio pulſa fuerant jejunia, vigiliæ, ſilentium; carnes per refectoria excurrebant; in cellis proprietas, vndique diſſolutio viſebantur. Iam nulla clauſura, exibant pro voto è cœnobio vniverſi; genio indulgebant, illorumque complures prædia, & reditus poſsidebant. Tanto infortunio, tamque ingenti clade indoluerunt vehementiùs præclari quidam & ſancti viri, qui quamquam rari, in diverſis, conventibus reſidentes, & plangentes ſinguli ſecum contritionem populi ſui, & civitatis ſanctæ lamentabantur: atque omni, quo valuere conatu, cadenti matri ingenti vitijs indicto bello opitulari adniſi ſunt. At verò cùm majus eſſet malum, quàm vt ſoli homines illud penitus propulſare valerent, Deus etiam efficaciora, per damnatorum quorundam, qui jam è vivis exceſſerant, apparitiones, (vt ſcripſerunt aliqui, etſi alij non ſine ratione ejus hiſtoriæ fidem inficiantur) perque B. P. Dominici oraculum, quo & orantes fratres, filios ſuos, & ſe rogatum, Parentem illorum palàm eſſe negavit, remedia clementiſsimè dignatus eſt adhibere. Quibus è diuturno lethargo tandem exciti, vita in melius commutata, in totius Ordinis Provincijs, ſtrictiori ſanctioriq; ad ſacro-ſanctarum legum amuſsim obſervantiæ ſeſe addixerunt. Ac vti res fœliciores ſucceſſus haberet, viros Deus, zelo, pietate, prudentia, eruditione, conſtantia, verbo ſignifque potentes excitavit, qui tanquam belli anteſignani,

affirmant Senen. in Chrō pa. 199 Plodio p.p. col 358. negat inter alios Ioannes Lopez Ep. Monop Ceutin. riæ 3. in princ, ex pro-

& duces, cœteris anteirent. Tales ex Italia Beati viri, Raymundus Capuanus Mag. Ordinis, Ioannes Dominici Florentinus, Marcolinus Forolivienſis, Nicolaus de Ravenna, Thomas de Senis, Robertus de Neapoli, Hieronymus à Fulgino. Tales in Germania, Conradus de Groſſis Prutenus mirabilium magnalium patrator, Franciſcus Rethza, Ioannes Nider, Iacobus de Aſſendſa, Iacobus Stubach, S. etiam Theologiæ Doctores & Profeſſores, Vniverſitatis Viennenſis ab ipſo ferè initio & deinceps luminaria magna; èquibus Niderius in prima Con. Viennenſis ad regularem pietatem inſtitutione præcipuè commendatur. nam in m. s. quodam ejuſdem Conventus monumento ſic ſcriptum reperio. *Anno 1434. in die ſanctorum Martyrum Kiliani, & Sociorum ejus, reformamatus eſt iſte Conventus per Patres Convent. Nürumbergenſis. Inſtitutor verò regularis vitæ hîc fuit eximius Sac. Theolog. Profeſſor Magiſter Ioannes Nider, Conventus Columbarienſis, in hoc quoque Conventu ſub eximijs Magiſtris Franciſco de Rethza, atque Henrico Rôttſtock, ſtudio educatus. Cooperabatur autem ad reformationem plurimùm Sereniſſimus Do. ac Illuſtriſſimus Romanorum, Vngarorum, Boemorum Rex, atque Archidux Auſtriæ, Dom. Albertus.* Nec minus illuſtres alibi, qui collapſam monaſticam vitam, verbo, & exemplo erexerunt vbique, ſuſtentaruntque. Porrò ſtudio, ac zelo Patrum Conventus Viennenſis reducem fuiſſe in Hungaricam Provinciam ſtrictiſſimam regularis diſciplinæ normam, ſub annum Chriſti 1453. tribus de cauſſis potiſſimùm compertum habeo. 1. quoniam celebris per ea tempora erat ejus Cœnobij religio, ita vt

inde Fratres ad alios Conventus reformandos paſſim aſſumerentur. Ratiſponenſis ſiquidem, Friſacenſis, Brunenſis Con. & Offenhuſenſis Monaſterij reformationem M. Fr. Jacobo Stubach, Primario Academiæ Viennenſis Profeſſori demandatam fuiſſe, conſtat ex literis ad eum à Generali Mag. Ord. Fr. Leonardo Manſueto anno Chriſti 1475. die 5. Iunij, alijsque antea Superioribus ex commiſſione Gen. Mag. Fr. Martialis Auribelli 1465. 7. Iulij datis, quæ in vetuſto quodam m. s. Conv. Viennenſis codice exaratæ leguntur. Budovitienſis, aliorumque in Boemia, inſtante Matthia Rege Vngariæ & Boemiæ, per Gen. Mag. Fr. Leonardum Manſuetum, Fr. Petro Fuldner Viennenſi, ac deinde Fr. Chriſoſtomo S. Th. Profeſſ. ex eodem Conventu, viro ab eodem Rege deprudentia, zelo, ſancta converſatione, probata vita, ſana doctrina, regiminis experimento, diſcretione, aljſque virtutibus plurimùm commendato, cum opportuna facultate, & auctoritate, anno 1478. die 18. Aprilis fuit injuncta. 2. quia inferiùs dabo Superiorum in Provincia Vngariæ literas, & alia, quæ id manifeſtant. 3. quia Fratres Viennenſes profeliciori ſub id temporis in Vngariam introductæ ſtrictioris obſervantiæ ſucceſſu, F. Auguſtinum Zagrabienſem, ad Curiam Romanam direxerunt, cum Aeneæ Sylvij Senenſis Ep. poſtea Summi Pontificis, ad Magiſtrum, & Procuratorem Ordinis, Pontificemque Max. literis; quas, pro rei geſtæ confirmatione, atque Conventus Viennenſis, (in quo ſeptennium & ampliùs, ab anno nimirum 1630. ad præſentem vſque 1637. Nonis Octobris, Deo, quanquam indignus, ſtudui famulari)

mulari) æterna memoria dignis laudibus à viro tanto celebrati commendatione, hic lubet ad verbum exarare.

Ad Generalem Ordinis Prædicatorum.

ex m. s lib. antiquo multarum epistolarum Conu. Vien.

Reverendo in Christo P. Fr. Martiali Auribelli, S. Th. Prof. ac Ordinis Prad. Mag. Generali Digniss. Amico nostro honorando.

Aeneas, Dei gratia, Episcopus Senensis, ac Imperialis Consiliarius. Reu. in Christo Pater, Amice honorande. Quamvis ea, quæ vestri saluberrimi, & Deo acceptissimi Ordinis augmentum, atque honorem concernunt, curæ vobis esse minimè dubitemus: singularis tamen affectio, & ardor immensus, quo vestram prosequimur Religionem, veluti stimulus quidam, nos vrget, vt fratres vestros dignationi vestræ ex superaundantia commendemus, quos boni operis cupidos, & ad fructificandum in agro dominico feruentes esse conspeximus, quales sunt fratres Australicæ nationis, & præcipuè Conventus Viennensis in Austria, inter quos viget excellens doctrina, & vitæ mundicia laudabilis; ita ut odor eorum, sicut odor agri pleni, cui Dominus benedixit, cunctos in circuitu latificet. ij nunc propter nonnulla negotia pia, & occasione paupercularum plantationum in Regno Vngariæ noviter introductarum, quæ per Dei gratiam, jam florere incipientes, fructus vberes in horreum Domini repromittunt, Honorabilem Fr. Augustinum de Zagrabia, Cursorem Sententiarum, ad vestrum conspectum dirigunt. Cupientes igitur votis dictorum fratrum gerimorem, rogamus obnixè, vt eundem Fr. Augustinum de Zagrabia, cùm ad præsentiam vestram venerit, & audire benignè, & in commissis sibi negotijs ita exaudire dignemini, vt præsentes nostras

apud P. V. R. efficaces fuisse percipiant. Id erit nobis, superquam dicere possimus, gratum: studebimusque pro nostra virili, vbicunque fuerimus, sive hic apud Cæsarem, sive in Rom. Curia apud Max. Pontif. sic agere, vt & V. P. nos deditos, & Ordini vestro affectuosissimos omnes intelligant. Dat. in Nova Civitate Austriæ, die 10. Novemb. anno 1453.

Procuratori Ordinis Prædicatorum in Romana Curia.

Æneas, Dei gratia, Episcopus Senen. Imper. Consiliarius, Venerabilis, Amice Chariss. Venit ad Rom. Curiam Honorabilis Fr. Augustinus de Zagrabia, Cursor Sententiarum, quem mittunt Fratres Conventus Vienn. Provinciæ Austriæ Ordinis u super nonnullis negotijs pijs, & aliquarum plantationum in Regno Vngariæ noviter introductarum, quæ, cùm sint honesta, & salubria, dignum putavimus, vt ea Sanctiss. D. N. literis nostris commendaremus. Verùm, quia is facilè non poterit sine vestro favore expeditionem hujusmodi rerum obtinere, hortamur, & rogamus V. R. quatenus, vltra favorem, quem ratione Ordinis u. dicto Fr. Augustino impartiemini, etiam nostro intuitu sibi assistere velitis, & ejus negotia promovere: ita ut Fratres præfati Conventus, quibus plurimùm propter suas virtutes afficimur, scripta nostra sibi aliquid intelligant profuisse. Id erit nobis singulariter gratum, paratis, vbicunque facultas se offerat, vicissitudinem reddere. Ex Nova Civitate die 10. Novemb. 1453.

Ad Summum Pontificem.

Beatissime Pater, & Clementissime Dom. post deuota pedum oscula beatorum, & humilem recommendationem. Mittunt ad Sanctit. V. Fratres Conventus Vienn. Ord. Prad. Honorabilem Fr. Augustinum de Zagrabia, Cursorem sententia-

rum, propter nonnulla negotia pia, & præcipuè occasione quarundam plantationum in Regno Hungariæ, noviter introductarum sub reformatione regulæ, quæ jam illic erat omnino aboleta. Sanctus eorum zelus mihi videtur, & Apostolico favore dignissimus. Eam ob causam, quamvis benè agentes ad conspectum V. Sanctit. semper facilem habere aditum soleant, & gratiam inveniant; quia tamen Conventus ille Viennensis, doctissimis viris, & Deum timentibus, ac Sedis Apostolicæ devotissimis refertus est, debitum meum existimavi, eorum petitiones Beat. V. meis literis efficere commendatas, cum ipsos nossem de Romana Eccl. benè merentes, & talis vitæ, qualem placere Culmini V. non dubitarem. Scriberem plura, nisi scirem illius Conventus mores, & observantias jam dudum vestram novisse pietatem, cujus pedibus me cum illis devotissimè recommendo. Ex Nova Civitate Austriæ, die 10. Novembris, A. 1453.

Demandatam autem Roma tantæ rei provinciam M. Fr. Leonardo de Valle Brixinensi, Primario Viennensis Academiæ Profess. anno insequenti 1454. apparet ex eo, quod is ipse in libro m. s. Vien. Bibl. quem de Corpore Christi, & Communione laicali contra Hussitas composuit, valedicens Magistro Civium Viennensium, eique librum offerens, ad Conventum Cassoviensem pro sancta reformatione à Generali designatum, eo ipso anno, cum alijs se proficisci, Buda in hæc verba scribebat.

Spectabilis mi Domine Magister Civium Civitatis Viennensis, Miles perstrenue. De beneplacito Gloriossimi Domini nostri Regis, nec non & Reverendissimi Dom. Cardinalis Legati Archiepiscopi Strigoniensis, atque ex rogatu Domino-

rum Civium Cassovienſium, ex commiſsione quoque Reverendiſsimi Pat. Generalis Mag. Ordinis noſtri, jam cum Fratribus aliquot iterfacio ad reformationem Conventus noſtri Caſſovienſis. Remitaque, quam Dominatio veſtra petivit, mitto; quæ vtinam alicui prodeſſe poſsit ad efficaciam ſalutarem. Plura intendebam ſcribere, ſed tranſitu illo obſiſtente, expectare cogor meliorem opportunitatem. Feliciter valeat Dominus, & Fautor meus ſemper venerandus, in Domino Ieſu. Datum Budæ die ſeptima Iunÿ, anno &c. 1454. Frater Leonardus de Valle Brixin. Ord. Prad. Conventus Viennenſis, Regens inutilis in Facult. Theologica Vniverſitatis Viennenſis.

Nec moveat, quòd ſupra hoc epiſtolium in libro linea diducta appareat: id enim, ne opusculum multùm æſtimatum, elaberetur ex Ordine, factum duntaxat. Profectum enim, & impoſitum ſibi munus per triennium ſtrenuè obijſſe, etiã inſequentes Fr. Iacobi RiechBaſileenſis, Mag. Fr. Leonardi Succeſſoris, literæ ad Fratrem Vmbertum Lectorem Con. Caſſovienſis, ex Provincia Vngariæ, quæ in codice epiſtolarum jam præcitato leguntur, manifeſtè teſtantur. Eæ ſic habent.

In Dei Filio ſibi Cariſsimo, Fr. Vmberto, Lectori Conventus Caſſovienſis, Ordinis F. F. Prædicatorum Provinciæ Vngariæ, Fr. Iacobus Riech de Baſilea, ejuſdem Ordinis, ac per Provinciam prædictam Conventuum reformatorum Vicarius Generalis, Sal. & ſemper incedere per viam ſalutis. Propter cauſſas ſpirituales non leves, , neceſſe eſt, me per tempus aliquod extra Provinciam Hungariæ eſſe. Ne ergo propter meam abſentiam Conventus reformati jam dictæ Provinciæ aliquos in conſolatione, & viſitatione defectus patiantur, cùm

fortaſſe ſpeciales

in

in litera Magiſtri Reverendiſſimi mea inſtitutio in officio contineatur cum auctoritate ſubſtituendi, tenore præſentium, Vos, de cujus religioſitate, & experientia in agendis, plenè multorum Patrum approbatione confido, meum ſubſtituo Vicarium ſuper omnes Conventus reformatos, juxta omnem auctoritatem, & cunctas particulas in litera Magiſtri Reverendiſſimi meæ inſtitutionis incluſas, (cujus tranſumptum ſub ſigillo autentico apud vos eſt) vſque ad reditum meum ad ipſam Hungariæ Provinciam: in remiſſionem peccatorum veſtrorum committens vobis, vt ſingulari ſagacitate vigilare velitis ſuper Conventus per Rev: Magiſtrum Leonardum reformatos, *ne à vita regulari declinent: et, ſi quos inveneritis, vt fertur de Conventu Gilnizenſi, ad priſtinum ſtatum vitæ regularis reducere ſatagite. Mandans auctoritate Mag. Reverendiſſimi, in virtute Sanctæ Obedientiæ Præſidibus, & Fratribus Conventuum reformatorum ſupradictæ Provinciæ, vt Vobis, tamquam habenti plenariam auctoritatem Mag. Reverendiſſ. obediant ad effectum. Valete, & Fratrum orationibus me recommendate. Datum Budæ manuprop. ſub ſigillo, quo vtor, 17. die menſis Iulij, an. Domini 1457.* Apparet ex hiſce literis, non vnum aut alterum, ſed plures in Vngaria Conventus M. Fr. Leonardum per triennium circiter, ab anno ſc. 1454. vſque ad 1457. ad ſtrictioris vitæ normam traduxiſſe. Favebat ijs temporibus inclyta domus Viennenſis ſtanti Vngaricæ Provinciæ, promovebatque pietate, atq; doctrina, (nec immeritò, quæ inter cætera ſciret, in lapidibus Vngaricis angularibus Pretioſis jacta olim fuiſſe, anno ſc. 1225. prima ſuæ ſanctitatis, eruditioniſque exordia, & fundamenta:) eadem

diebus

diebus hiſce Studij generalis proventu, & ſtrictioris diſciplinæ rigore (qui aſpirante, juvanteque Deo, ac Reverendiſs. P. M. Ordinis Gen. Fr. Nicolao Rodulfio, ſeriò & efficaciter perurgente, denique anno Chriſti 1634. à die feſto Exaltationis S. Crucis, ipſis primis menſibus Prioratus A. R. P. Fr. Georgij ab Herberſtein, jam Teutoniæ Provincialis Digniſſimi, quando & novum Templum noſtrum divinis laudibus cœpit frequentari, poſtliminio reductus eſt) clariſſima, avitæ virtutis æmula, conſurgenti de puluere, auxiliares hauddubiè manus porrigere non ceſſabit. Et verò ſtrictioris, ac ſanctioris diſciplinæ cultu, atque virtute, ſanctitatis fama quaquaverſum pervagante, adeò Vngarica Provincia promovit, vt magno numero intra 33. annorum circiter ſpatium Conventibus & Monaſterijs multiplicatis, neceſſe fuerit illam à Dalmatina ſeparatam in unum corpus per ſe redigere; exin deque plura conſtrinxerit loca, quàm vbi ante reformationem Dalmatinæ erat adjuncta. Tanti ſcilicet valet ad Ordinis amplificationem, veræ ſolidæque pietatis exemplum.

CAPVT X.

De Inclinatione, reparatione, & everſione Provinciæ Vngariæ.

REformata Vngariæ Provincia, doctrinæ, & pietatis laude eminuit ad cladis vſque Mohacianæ tempora; cùm anno Chriſti 1526. univerſo nobilitatis nervo, & flore, ab innumeris

Turcarum myriadibus absumpto, Rex ipse Ludovicus II. dùm fuga sibi consulere niteretur, in profundam paludis voraginem vnà cum equo demersus interijt. Inde hostibus universa sacra, profanaque occupantibus, demolientibus, (nam & sacratas Deo ædes nostras in stabula convertere) desolari Provincia sensim, & extingui. Nec minorem stragem accepit ab hominibus acatholicis, Lutheri colis, Calvinicolis, Anabaptistis, Arianis, (forsitan & Atheis) per regionem (sive quà Turcarum manus evasit, sive quà ex eis recuperata fuit) agmine magno sese infundentibus; quibus Fratres *Prædicatores*, qui ob Sanctæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem munus, eis se validiùs opponerent ex adverso, præ alijs invisi fuere. Nam & Lutherus nuperorum Sectariorum fons, parensque, ea de causa nostros sibi præcipuè infensos insectabatur. Quod Joannes Cochlæus, vir doctus, & pius, viventisque Lutheri antagonista præclarus, non tacuit, dùm ei in nostros debachanti, sic reponebat. *Habet Venerabilis iste Ordo Prad. propter soliditatem sacræ doctrinæ B. Thomæ, jam diù singulare à Sede Apostolica priuilegium, vt habeat Inquisitores hæreticæ pravitatis per totum orbem terræ. Quid mirum igitur, si hic ex professo hæreticus, jam pridem publicè condemnatus, insectatur istius præcipuè Ordinis Patres? Nam & multi ex ijs in eum scripserunt, quibus justè respondere non potest.* Hussitæ, (quos suos Lutherus parentes agnoscit) eam ipsam ob caussam, Dominicanos inter alios persecuti, plurimos trucidarant, domus eorum solo æquarant. Etenim anno Christi 1418. in Boemia, ait alibi idem Cochlæus, *Fratres Prædicatorum, qui*

Io: Cochlæus li. Sanctarum Lutheri c. 9.

per

per ſolidam San. Thomæ Aquinatis Theologiam hæreticis acerrimè reſiſtere ſolent, præ cæteris, inviſi erant Huſſitis: cumq; apud Clatoviam nobile haberent Monaſterium extra mœnia oppidi ſitum, primùm in illud impetum fecerunt, & à fundamentis dejecerunt. Inde in nobiliſſima alia monaſteria furente plebe graſſari cœperunt; adeò vt viginti & amplius monaſteria Prædicatoriæ familiæ incenderint, & ſolo æquaverint. Et quia doctrina, diſputationibus, concionibuſq; intrepidè adverſus hæreticos declamabant, ducenti & ampliùs Fratres ab Huſſitis ſunt trucidati. Meminit & illuſtris ſcriptor Bonfinius vaſtationis Cœnobij Clatovienſis, cùm agens de Huſſitis, ait: *ad Glatoniam, nobile Prædicatorum Collegium evertunt; idq; primum in Boemia Cœnobium Huſſitarum impietate ruinam dedit, quod ædificijs, & præſtanti rerum ſacrarum apparatu juxta pollebat.* Alio etiam loco narrat Cochlæus, quòd anno Chriſti 1429, ijdem *Huſſitæ, in Moravia, & Sileſia monaſteria ſubvertentes, Moniales conſtuprantes, Fratres trucidantes, in maximam Chriſti Domini, omniumq; Sanctorum ejus contumeliam, coacervatis undique eorum imaginibus, & in pyram collectis, alligatum quendam Suppriorem Ord. Prad. qui maximo zelo accenſus in hæreticos publicè invehebatur, poſuerunt; atque igne ſuppoſito, illum ſimul cum univerſis imaginibus concremaverunt, tragicum exercentes ludum, crudeli cum riſu.* Quidni igitur hi, quos præcenſuimus, novatores, ſimillimæ horum parentum ſoboles, eorum actiones imitarentur? *Planè ita*; nam & Claudiopoli templum noſtrum, cœnobiumq; proſcholis nefandorum dogmatum, & ædibus, in quibus cum uxoribus, & prolibus degunt, vſurparunt. Bereg-

Cochlæus in hiſtoria Huſſitarũ li. 4. pag 172 apud Fernandez in concertat. pag. 209.

Bonfinius de cade 3. li. 2. p. 387.

Cochl. in Hiſtoria Huſſ. li. 6. p 212. apud Fernãdez pag 213.

ſzatzij Fratres vniuerſos odio Fidei Catholicæ trucidarunt. Alibi Eccleſias in vſus profanos applicarunt. Bona atque proventus, noſtris, vt ſacris vigilijs, divinis laudibus, & precibus, atque ſtudijs perpetuò inſtantes, commodiùs Deo vacarent, populorumque ſalutem procurarent, à pijs fidelibus elargita, vbique pro viribus diripuerunt, &c. Sic itaque à Turcis, & Acatholicis, præclara Provincia peſſundata fuit, vt Ordinis Mag. Generalis XLVII. F. Vincentius Iuſtinianus, poſtea S. R. E Cardinalis, in epiſtola actis Cap. Gen. anni 1565. præfixa ijs verbis illius vaſtationem lamentaretur: *In ampliſſimo Regno Vngariæ, vix vnum, & alterum Cœnobiolum nobis remanſit.* Et quidem jam antea, occupatis vaſtatiſque domibus, coeſis, & fuga elapſis Religioſis, neceſſe fuerat, Gen. Ord. M. XLV. Fr. Franciſcum Romeum, Vngariæ Provincialibus Prioribus indulgere, ne ob inopiam, aliaſque calamitates, ad Capitula generalia convenirent. Quod in Gen. Capit. anno 1553. ſub Gen. M. Ord. XLVI. Fr. Stephano Vſuſmaris Romæ habito, in quo quartus Diffinitor erat pro Provincia Vngariæ Fr. Ambroſius Zylagh, hocce decreto fuit confirmatum: *Confirmamus conceſſionem Mag. Generalis nuper defuncti factam ſuper electione, & confirmatione Prioris Provincialis Vngariæ, & de non veniendo ad Capitulum, durante deſolatione dictæ Provinciæ.* Ab eo ſubinde tempore vſque ad annum Chriſti 1580. nullus ex Vngaria, quæ nomine magis, quàm reipſa provincia erat, generalibus in Comitijs apparuit. Quæ autem ex ea reliquiæ ſuperfuerant, curæ Provincialis Boemiæ demandatæ fuere, qui jam Boemiæ Vngariæque Provincialis

Titulo Confirmationes.

audie-

audiebat: unde in vetusto Conventus Vienn. Martyrologij Calendario, *obitus Fr. Michaelis de Genua, Boemiæ, & Vngariæ Provincialis*, qui Viennæ mortuus fuerat, & sepultus, anno Christi 1569. 2. Cal. Novemb. recensetur. Cæterùm addictis, assignatisque Vngariæ per Gen. M. Ord. Frisacense ex Carinthia, Pettovienſe, Græcense, Leobiense, Novoclaustrenseque ex Styria Conventibus, proprio etiam ei deputato Provinciali, rursus anno Christi 1580. ad Capit. Generalia remearunt. Ex Provincialibus autem illis, viris sanè egregijs, fuit etiam Fr. Sebastianus Cataneus Mediolanensis, Archiepiscopi Salisburgensis (post Mag. Fr. Feliciani Ninguardæ Morbinienſis, de Salisburgensi Metropolitana optimè meriti, ad Scalensem infulam assumptionem) Theologus: qui officio Provincialatus expleto, iterum per Capit. Gen. Romæ anno Christi 1589. (quo & ego editus sum in lucem) sub Gener. Ord. Mag. Ll. F. Hippolyto Maria Beccaria tunc electo, celebratum, in eodem munere confirmatus fuit hisce verbis. *Confirmamus in Provincialem nostræ Prouinciæ Vng. R. P. Magistrum Fr. Sebastianum Cataneum, Illustrißimi Archiepiscopi Salisburgensis Theologum, et, quatenus opus esset, de novo creamus, & instituimus, cum soleta auctoritate, tùm in spiritualibus, tùm etiam in temporalibus, vsque ad Capit. Gen. proximè celebrandum.* In eo etiam Gen. Cap. Conventus Pettovienſis, in quo Prior cum tribus antiquioribus ejusdem Conv. Patribus, ad habitum Ordinis pro Prov. Vng. recipiendos examinaret, designatus est Porrò P. Cataneus, multùm splendoris, & ornamenti, doctrina, pietate, ac prudentia attulit Provinciæ suæ; &

Cap. Gen. an 1589. tit. Cõfirmationes.

tit. Cõuen. designati pro exam. &c

inter

inter alia, cùm Religiosi, sublato sibi S. Sanguinis Græcij Cœnobio, ad locum longè imparem, S. Andreæ nomine, extra moenia concedere detrectarent, persuasit ipsis, suaque effecit auctoritate, vt qualemqualem illum acceptarent, asserens satiùs esse tantillum possidere, quàm vtique excedere. fore, dante Deo, cùm (excepta Vrbis opportunitate, situque) fortasse non inferiorem, immò superiorem conditionem essent habituri. Prudentem prædictionem rei comprobavit eventus. Ecclesia enim non ita pridem è fundamentis extructa, neque minus frequens, & longe jucundior; Conventus loci amplitudine, horti amœnitate, Studioque generali, nisallor, illustrior. Vtinam vel vnum etiam pedem (vt ajunt) nostri in ipsa Pannonia servassent; neque enim in reparando ibi Ordine nostro tantas nunc experiremur moras, & difficultates. Ex Provinciali Vngariæ, Episcopum Chiemensem Salisburgensis Suffraganeum, sub anno Christi 1592. factum docet Summa casuum, quam eodem anno die 25. Iunij Fr. Michaeli Bonello, Cardinali ex Ord. nostro dicavit: præter quam libros etiam de Censuris, Controversijs Hæreticorũ moderni temporis, Examine Ordinandorum, & alia quædam evulgavit. Qui denique renunciato Chiemensi Episcopatu, cùm jam provecta ætate, patriæ meæ Viglevanensis, cum spe successionis, Coadiutor designatus esset Episcopi, Mediolani apud D. Eustorgij, anno Christi 1609. 28. Aprilis piè in Domino obdormivit. Fit etiam mentio in actis ejusdem Capituli Gen: (quod ad hanc Provinciam attinet) cùm aliorum insignium Patrum, tùm præcipuè Fr. Ioa-

Tit. Institutiones. & Tit.

chimi

chimi Pizzoni Veneti, ad S. Th. Baccalaureatum licenciati, in eo Capitulo Diffinitoris. Fr Vincentij Antuerpiensis Con. Petovienſis filij, ad Magiſterium promoti. Fr. Alberti Auguſtani, Prioris tunc Friſacenſis, *de plurimis inclytis Ciuitatibus, ac alijs locis, tùm verbo, tùm exemplo multos annos prædicationi inſiſtendo, optimè meriti*, inſtituti, & creati in Prædicatorem generalem. Nec ipſi Ordinis Magiſtri, (quantùm licuit) adjutrices manus releuatæ vt cunque Provinciæ porrigere deſtiterunt. Nam, cùm in Gen. Cap. anni 1592. commiſſum eſſet Generali Beccariæ, vt cœptum ab eo opus ſublevationis, & relevationis Provinciarum deſolatarum, ſolito ſuo zelo, & diligentia, Viſitatores cumprimis viros prudentes, & religioſos, & diſcretos ad eaſdem Provincias ablegando, proſequeretur: ipſe ſummis laboribus ad eas pergens, primam omnium Vngariam perluſtravit, & coràm de illius miſerijs, verbis, & ope plurimùm conſolatus eſt. Perſtitit eo pacto Provincia circiter ad annum Chriſti 1611. quando vniverſis religioſis ex hungarica natione morte ſublatis, Conventibuſque ex Styria, & Carinthia, in Capitulo Gen. Pariſienſi ſub Mag. Generali LIII. Fr. Auguſtino Galaminio, (ex eo tempore vſque modò Cardinali de Ara Cœli ſuperſtite) Provinciæ Teutoniæ ſubjectis, re, nomineque deſijt eſſe Provincia, ſolis Monialibus Kermendianis, quæ Veſprimio, & Tyrnavienſibus, quæ ex Inſula Leporum, ſive venerant, ſive propagatæ erant, emanentibus; ad quas à ſuperioribus nihilominus Viſitatores deſtinabantur: ſed Kermendianis poſt fugas, & exilia, denique ſenſim deficientibus, Tyrnavienſibus Poſonium

Licentiæ pro novenſorum.

Tit. de Com. miſſionibus.

depor-

deportatis, præter vnicam olim Prioriſſam, cunctis demortuis, videri etiam poſſit deplorandus Ordo noſter in Vngaria prorſus extinctus. Verùm ego vel hac vna Deo dicata Virgine Sanctimoniali ſuperſtite, gaudio adhuc, atque ſpe plenus, beneficia, & clementiam Dei perpendens, illud potiùs Ieremiæ decantem, *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* Quis enim ſciat, an & hic Iſaiæ vaticinium impleatur? *Quomodo ſi inveniatur granum in botro, & dicatur, ne diſſipes illud, quoniam benedictio Domini eſt: ſic faciam propter ſervos meos*, Dominicum, Paulum, Buzad, Auguſtinum, Mauritium, Helenam, Margaritam, &c. *vt non diſperdam totum*: *& educam de Iacob* Dominico *ſemen*, *& de Iuda* Thomæ Scholis *poſſidentem montes meos* Prædicatores, & Doctores, quibus dicitur, *aſcende in montem, qui evangelizas Sion. & hæreditabunt eam* Vngariam *electi mei, & ſervi mei habitabunt ibi. & erunt campeſtria*, Sept. ſaltus *in caulas gregum*, vt (D. Hieronymo interprete) latrones ibi latitare deſiſtant, & beſtiæ, noxiaque animalia; & loca quondam inſidiarum & ſanguinis, in Eccleſias Domini tranſeant, ibique greges fidelium, verbi Dei pabulo, per diſcipulos ejus, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, paſcantur: *& vallis Achor*, in qua quondam maledictio fuit, atque ſupplicium, *erit in cubile armentorum populi mei*, vt totus in Catholicæ fidei confeſſione, & divinis laudibus conquieſcat. Sed & Deo patre miſericordiarum, ac totius conſolationis, immittente in nos lucem miſerationum ſuarum, auget ſpes noſtra quotidie. Nonnulli enim Vngarorum, ex annis aliquot nomen dederunt in Ordinem

Thren. 3.

Iſaiæ 65.

Iſ. 40.

Hieron. lib. 18. in Iſaiam.

Ioſue 7

no-

noſtrum, dareque ſolent in dies: non à pauco ſanè tempore noſtri in miſſionibus, illorum populorum prædicationi, & inſtructioni deſudant: quidam, & ij præcipui, Regni Optimates, Ordini benè faventes, illius promotionem exoptant, atque procurant.

CAPVT XI.

Acta vt denuò Ordo Prædicatorum repararetur in Vngaria.

Cùm ordinis noſtri ſcopus præcipuus ſit, animarum pretioſiſſimo Chriſti Ieſu Sanguine redemptarum ſalutem totis niſibus procurare, vt in Vngariam, (vbi propter ſæpe commemoratas cauſas, hæreticam contagionem, turcicam tyrannidem, indeque conſequentes corruptelam morum & operariorum paucitatem, maxima pereuntium eſt lacrandorum neceſſitas) poſtliminio reduci poſſet, Mag. Fr. Ioannes de Valdeſpino Hiſpanus, (in Alma Vienn. Vniverſit. Profeſſor Prim. Cæſaris Ferdinandi II. Conſiliarius, Viennenſiſque Conventus opt. meritus Prior, qui, præter alia & Studia multum promovit, & novum etiam Templum, inſigni, vt eſt animo magnifico, opere ædificavit) primus videtur cogitare cœpiſſe; quemadmodum colligi poteſt ex literis ad Gener. M. Ord. LIV. Fr. Seraphinum Siccum, ab Ill.mo R.mo Archiepiſcopo Strigonienſi Petro Pazmanio, ac deinde S. R. E. Card. Em. anno Chriſti 1628. 9. Aprilis, Poſonij datis, quibus ſic ajebat: *Venit ad me Reu: P. Ioannes de Valdeſpino, Profeſſor Primarius Aca-*

demiæ Viennensis, Ord. S. Dominici, cum quo ego pluribus verbis contuli de modis, & medijs, quibus Sacer Ordo Prædicatorum in Vngariam introduci posset, &c. Sed ipso anno, Sicco, post Comitia generalia Tolosæ habita, dùm Italiam cogitaret, ad fœliciorem vitam translato, illius Successor Reverendiss. P. Fr. Nicolaus Rodulfius, pia hac P. Valdespino mente gratè excepta, illum cum plenissima auctoritate ad Religionem introducendam, fundandos, acceptandos, regendosque Conventus per totum Vngariæ Regnum, Commissarium Generalem suum non semel præfecit. Interim de alumnis, suppositisq; ex natione Vngarica providere cupientibus, idonei quidam adolescentes sese Viennæ obtulerunt, quibus in nostram familiam cooptatis, ex eis probati, tempore suo Sacrum Ordinem solemni ritu professi sunt. Agebatur Christi annus 1634. cùm Dominus quidam Comes Vngarus, (cujus jam nomen non occurrit) in nostros benè affectus, se vehementer optare in bonis suis Cœnobium nobis extruere significavit: quod vbi commemoratus aliàs Illustr. & Rever. D. Stephanus Sennyei Iaurienſis Episcopus, Regniq́ue Cancellarius, ex Valdespino, cui ego insinuaveram, accepisset, hortatus est, vt si animo foueret, Ordinem nostrum in Vngariam reducere, in ipsius potiùs diœcesi apud Illustriss. D. Comitem Adamum de Batthian, Conventum cum commoditate longè majori, speque jngentis fructus certò certiùs erigendum deligeremus. Placet oblatio: tempore condicto Sabariam profecti, omnibus benevolentiæ, beneficentiæq; significationibus ab Episcopo, & Comite excepti, ab hoc subinde ad ditionis suæ

Civi-

Civitates, Rohoncium, Kermendium, Nemet-Vi-Var, vt, vbi magis collibuerit, locum ſeligamus, optione data, perducimur. Viſus eſt Rohoncienſis fore commodior, quòd Viennæ proximior, & docendo opportunior: Kermendienſis verò conterminus Turcarum imperio; Nemetvivarienſis ex adjacentibus piſcinarum lacunis domi vſque ferè degentibus Religioſis aura nequiret eſſe ſalutaris. Exemplar, ſeu formula conſtruendi ædificij, ab architecto Italo, quem Vienna abduxeramus, ſtatim apparatum: ſed expeditione ad tempus dilata, Viennam poſt menſis circiter moram remeamus: vbi haud longè poſt cum Comite agitatum; quòd verò non per omnia vtrinque conveniret, nihil perfectum. Sic res ad annum inſequentem 1635. ſuſpenſa pependit. Quo tempore, cùm Regni Vngarici Comitia Sopronij haberentur, ibidem patronis, & ipſo etiam piiſſimo Cæſare Ferdinando II. agentibus, Comes ad rem ſuſcipiendam penitus animatur. Abſolutis Comitijs, à Cancellario in Vngariam pro Ghinſienſis acatholicæ Civitatis reformatione, præmiſſis Cæſareis Commiſſarijs, ducimur; ſed cùm res, Civibus obnitentibus, majores videretur difficultates habere, Rohoncium ejus juſſu pergimus, quò & ipſe inſecutus, quæcunque pro Conventu XXIV. Religioſorum ritè fundando neceſſaria eſſe poſſent, chirographo coràm diſponit; locum alumnis ſuis à nobis erudiendis deſignat: de omnibus proximè inſtante ſanctiori hobdomada Sabariæ cum Comite pro recipiendis Sacris Myſterijs illic affuturo, ſe definiturum edicit. Interim P. Fr. Paulo Tannaman Vienn. S. Th. *Præſentato*, pro concionibus,

& Sacramentorum ministerio ibi dimisso, Viennam regredimur. Haud longè post Cancellarius ægrotat, vixque convalescens in Croatiam pro negotijs apud Varasdinum cum Valachis alijsque componendis, à Cæsare destinatur: verùm ibi gravius infirmatus, in Vngariam redux, Sabariæ, festo die S. Bartholomæi, hora noctis circiter nona, magno nostro detrimento, (quòd multùm apud Comitem autoritate valeret, plurimumque nos diligens, si cum Comite non succederet, se nobis fundationem facturum spopondisset,) ex hac luce migravit. Deinde verò secundùm P. Valdespino ad Vrbem profectionem, à Comite pro toties agitati negotij expeditione vocamur: cùm autem facta tunc oblatio minor esse videretur, quàm vt vel ad rem incohandam sufficeret, sub annum insequentem 1636. Comite litem de paternis bonis cum matre apud Cæsarem agitante, erigitur nobis à viris magnis spes minimè levis, si caussã obtineat, ad quatuormillia florenorum, quæ proximè promiserat, Ecclesiam apud Solonokium, locumq; Monasterij inibi olim constructi, quæ mater jam possideret, additurum. Monemur bono animo esse, non desistere à cœptis, magnas res, magnas habere difficultates. Optimè Comiti precati, libellum supplicem C. M. offerimus: favet Cæsar, Comitiq; adjudicans, nos illi benè jubet esse commendatos, se etiam suis ea in re partibus, quò fœliciùs succedat, non defuturum: denique & literas ad Illus.mum & Rever.mum D. Georgium Draskovith, Episcopum Iaurienſem, vt in sua nos diœcesi exceptos apud Comitem promoveat, dat clementissimas. Ab Episcopo perhumaniter susceptis,

cum

eum paribus literarum Cæsarearum, suisque identidem ad Comitem ablegamur; qui, quòd bona Solonokensia necdum recepisset, & ob alias causlas, rem infectam dimisit: fidem tamen facientibus viris apud eum primarijs, vbi ea ad manus suscepisset, Ecclesiam, locumque Monasterij non negaturum. Interea commissionem, & facultatem pro rebus hisce à Rev. P. Generali Rodulfio denuò sanequàm amplissimam accipio, insequentis tenoris.

In Dei Filio sibi dilecto R. A. P. Mag. Fr. Sigismundo Ferrario Viglevan. Ordinis Prad. Fr. Nicolaus Rodulfius, totius ejusdem Ordinis humilis Mag. Generalis, in Domino sal.

Vix verbis explicare possemus conceptam animo latitiam, ex literis, quibus V. P. de firma spe introducendæ quamprimùm in Vngariæ Regnum nostræ Religionis ad majorem fidei Catholicæ amplificationem nos monuit. Atque adeò, vt quod à Deo O. M. ardentißimis dudum votis petivimus, zeloq, & diligentia V. P. ad finem ferè redactum conspicimus, ex providentiæ nostræ defectu, moram vllam, aut obstaculum minimè patiatur; ampliorem quandam facultatem pro necessarijs rebus, & negotijs, ea occasione peragendis, vobis conferendam duximus. Quare tenore præsentium constituimus te Commissarium, & Procuratorem nostrum, pro dicta introductione nostrorum Religiosorum in Regnum Vngariæ, apud Cæsaream Majest. & apud quascumque publicas privatasue Personas sæculares, vel Ecclesiasticas curanda, nostroq, & Religionis nomine promovenda. Dantes tibi auctoritatem, omnia, & singula faciendi, quæ nos ipsi facere possemus, tam pro dicta introductione, quàm pro Conventuum Ordinis in eodem Regno fundatione, acceptatione, & regimine: tuaq, authoritati

-, ac

juris

jurisdictioni subdentes in spiritualibus, & temporalibus, omnes, & singulos nostri Ordinis Religiosos, & quoscunque nostræ obedientiæ quomodolibet subjectos, in præfato Regno degentes, & qui in posterum ad illud accedent pro ejusmodi missione. Facimus etiam tibi potestatem fundandi per teipsum, vel per alios à te delegandos, in Vrbibus, & Locis ejusdem Regni, Societatem & cultum Sanct.mi Rosarij B V.is Atque vt meritum obedientiæ cæteris laborum tuorum meritis accedat, vt ejusmodi munus, atque onus acceptes, sub formali præcepto tibi mandamus: sicut sub eodem præcepto formali mandamus quibuscumque nostræ obedientiæ quomodocumque subditis, ne quid contra hanc nostram deliberationem sub quocumque prætextu audeant attentare: sed potiùs auxiliares manus, vti par est, & speramus, ad prædicta omnia præbeant. In nomine Patris, & Filij, & Sp. S.ti amen. In quorum fidem &c. Dat. Romæ, die 6. Septembris, 1636.

Fr. Nicolaus Magister Ordinis.

Locus Sigilli.

Reg. folio 294.

Fr. Adrianus de Genua Magister, & Socius.

Hisce perlectis, majori quàm vnquàm ardore incensus, S. C. Majest. in Comitijs Ratisbonensibus existenti per supplices libellos; Regni etiam Optimatibus, cumprimis autem Eminent. Cardinali Pazmany, Excellentiss: Palat. Estheraſy, Illustriss. & Rever. Lippaj Regni Cancell. Illustriss. Comiti Paulo Palffi Vngaricæ Cameræ Præsidim, alijsque Ordinis negotium, ad majorem Dei gloriam, & animarum salutem, quàm diligentissimè com-

men-

mendo. Inde anno 1637. ſub Februarij finem à Comitibus *Palffijs Paulo* jam memorato, & Franciſca Conjuge in Ordinem noſtrum ſingulari devotione propenſis, Viennæ acciti, cùm adveniſſemus, Comes Batthyan, qui aderat, eis præſentibus, Eccleſiam Solonokenſem, locum Monaſterij conſtruendi, aliquot millia florenorum, ligna, lapides, calcem, ſubditorum operas pro ſtructura, Ordini ſe daturum liberaliſſimè pollicetur; addensque plura facturum, quàm ſpondeat, paratos eſſe jubet in Vngariam proficiſci. Quæ omnia à nobis cum ſumma lætitia, & gratiarum actione ſuſcepta. Tùm D. Comitiſſa Franciſca Palffin, vnum noſtrum alloquens, & à vobis, *Patres*, ait, pro D. Comite Batthyan aliquid indubiè præſtandum. Nihil, inquit ille, erit vnquam poſſibile nobis, quòd non libentiſſimè ſimus pro benefactore, & fundatore noſtro facturi. Eja verò, ait Palffin, vt maſculeam prolem ex D. Comitiſſa Aurora conjuge feliciter ſuſcipiat, efficite. At ille: cùm id ſuperet facultatem noſtram, fidem obſtringimus, pro hoc alijſque beneficijs, D. Ma. precibus noſtris, licet indignis, imploraturos. & Comitiſſa. At, quod dixi, vobis omnino faciendum. & quomodo? inquit Frater. *Per* Sanctum, ait illa, Domînicum. Tunc Frater nihil hæſitans, per Sanctum Dominicum polliceor, D. Comiti Batthyanio maſculum prolem ex voto naſcituram. Nec vana promiſſio; nam intra octiduum læti advolavere nuncij, domum revocantes Comitem, quòd filium Comitiſſa fœliciſſimè fuiſſet enixa. Poſtquàm igitur in Vngariam veniſſemus, denique D. Comes Batthyan, per literas ſuas, & Eccleſiam Solono-

kenſem

kenſem conceſſit, & ter mille florenos pro Conventus ædificio, aliaque, quibuſdã appoſitis conditionib⁹, promiſit; vtque reverſales, quas dicunt, daremus, popoſcit. Verùm, cùm earum conditionum Epiſcopo diœceſano, ſine cujus licentia Regularibus Monaſteria erigi nequeunt, quædam minimè arriderent, & inter longiorem rei tractationem, in Poloniam, Reginam Sereniſſimam Ceciliam Renatam, C. Ferdinandi I I. filiam, & C. Ferdinandi III. germanam, nuper Ladiſlao Poloniæ Regi deſponſam, comitandi illi etiam ex inſperato cura fuiſſet demandata, deliberationem ad Regni Vng. Comitia, in diem 21. Septembris ejuſdem anni 1637. pro Auguſtæ Mariæ Auſtriacæ Imper. Ferd. III. Conjugis potiſſimùm inauguratione Poſonij indicta, prorogavit. Quia verò Comitia ad D. Martini dilata ſunt, & Epiſcopus ex Polonia non redijt, properant autem operæ typographicæ, huic noſtræ ſcriptioni jam modus eſto: non ſine ſpe fœlicioris ſucceſſus, cùm D. Epiſcopus, priuſquàm diſcederet, aut in locum à D. Comite oblatum conſenſurum, aut alium non minus gratum, & idoneum nobis ſe daturum receperit.

Conc. Tridé. ſeſſ. 25. de regu larib. cap. 3.

Ad Beatiß. Virg. Deiparam Peroratio.

TErræ, Cœlique Domina, Plantatrix Sanctiſſimi Roſarij, quo te, Clementiſſima Virgo Deipara Maria, quamquam indignus, per dies ſingulos ab adoleſcentia mea interpellare non ceſſo, age cum omnium Conditore, & humani generis Redemptore, Deo vero de Deo vero, æternoque Patri Conſubſtantiali, Filio tuo

Chri-

Christo Iesu, quò Vngaria tua, cujus peculiari titulo diceris, esque PATRONA, ab hostium omnium visibilium, & invisibilium tyrannide atque insidijs asserta, eidem Filio tuo, & Tibi, tranquilla semper, & sincera mente deserviat: & Prædicatorum Ordo tuus, cui sacrum habitum, Rosarium, & innumera alia singularissima beneficia, ac privilegia, omni propemodum Maternorum viscerum affectu in eum effuso, contuliſti, in eandem regionem pro pereuntium populorum salute revertat. Ne, pjissima Mater, & Advocata, respice indignitatem nostram: sed Filij, & Præconis tui, Patris N. S. Dominici, qui ardentiſ. simo amore illius salutẽ, & gloriam tuam zelatus, vivens, designata Provincia, ad eam B. Martyrẽ Paulum Vngarum cum socijs amandavit, secuturus ipse, nisi citiùs ad æternorum gaudiorum vitam fuisset evocatus; è qua nihilominus, ejus non immemor, innumeris clariſſimiſque eandem portentorũ signis colluſtravit: Filiæ, Famulæque tuæ Regiæ Virginis Margaritæ, Vngariæ, & Orbis totius sideris micantissimi, quam specialissimè tibi devotam, post mortalis vitæ labores, Ipsa proprijs manibus triumphali diademate coronatam, ad Solium æthereum, quò pridem Beatissimum Dominicum attraxeras, perduxisti: Aliorum etiam ex eodem Regno, & Instituto Sanctorum sexus utriusque Hominum, Cultorum tuorum merita clementer attende. Impetra, vt Filius tuus innovet dies nostros sicut à principio; adeoq; exemplorum tantorum veri imitatores effecti, re, & nomine *P*rædicatores, ac planè Apostolici, verbo & opere populos informantes, messe munda & copiosa in Ecclesiæ horræum congregata, cum Patre,

Totum librum Viscera Materna M. Fr. Hyac. Coquerij.

cujus es Filia, Verbo, cujus es Mater, Spiritu Sancto, cujus es Sponsa; Trino Deo, & Vno, creatore, & gubernatore omnium, noſtraque gloria, laborum præmio, & beatitudine feliciſſima, vnà tecum, ò Regina Mater, omnes denique in Cœlis ſine fine regnemus.

Conc. 20. in Cant. Salve Regina.

Abraham Bzovius, Annaliſta Pontificius.

Florentiſſimum B. Dei Genetricis Regnum Vngariæ, dum commendatum erat B. Virginis Patrocinio, exemplo S. Stephani Reg. Apoſtoli Vngariæ, miraculis clari, qui moriturus tale Virgini Mariæ feciſſe ſcribitur teſtamentum. *Tibi, ò Maria, peculium hoc tuum commendo, Tu curam illius gere, Tu ab inimicis defende, ab incurſibus Sathanæ protege.* Vt autem egeſſerunt ſe ex cura, & patrocinio Virginis, ex quo illius Templa ditiſſima vaſtarunt, imagines ejus violarunt, cultum prophanarunt, illam reliquis mulieribus parem in Sanctitate, & æqualem in Potentia, fecerunt; quot mala ingruunt illis? quanta perpeſſi ſunt? quænam illos maneant in poſterum ſi hæreſi adhærebunt, ſi ad Virgineum ſinum non revertentur? Res ipſa, ipſi ſoli teſtantur: ſcribere non eſt opus, cùm totus ſciat, & loquatur Orbis.

dec. 2. li. 1. pag. 179.

Antonius Bonfinius.

Aſſiduis S. Stephanus Rex Divam Virginem precibus exoravit, *vt ſe ſuumq; Regnum perpetuo Magna Mater patrocinio tueretur, cujus tutelæ, ac poteſtati, ſe, Vngaroſq; omnes addixerat; omniaque ſuorum ſtudia, fortunaſque dicaverat.* Quin etiam illud ſolemne promulgavit edictum, vt omnes diem B. Virginis, quo inter Divos relata fuit, inter celebratiſſimos haberent, *Dominæq; diem* appellarent, ac

cætera

cætera ejus festa jejunijs, & singulari pietate transigerent. *Hanc demum peculiarem sibi pientissimamq; patronam in Cœlo, terrisq; ducerent.* Et vt ejus nomen semper Vngaris æquissimum redderet, celeberrimam in Alba Regali Basilicam dicavit, vbi Regum corpora reconduntur, & ex instituto creati Reges diadema suscipiunt. Opus est mirabili sumptu, incrustationibus marmoreis renitens, vbi pavimenta tessela ta cernere est; magnificas columnas, aras, iconibus, ac tabulis nonnullas mirũ in modum exornatas, ex purissimo auro, argentove conflatas; item sacella regia, ac monumenta pleraque in mausoleorum speciem. Præterea signa sunt quædam, & tabellæ, lapidibus, & gemmis insculptæ. Quin & supra mensam Christi, acuminata testudo, insano lapillorum, & auri sumptu elaborata. Ne varia quidem vasorum genera desunt; multa crystallina, pleraque myrrhina, onychina multa, ex porphyrite, & alabastro complura, gemmata nonnulla, in quibus nil auro, & argento vilius intueri licet. De vestibus, suppellectilique sacra nil dicendum, quando cunctarum rerum mira copia, quæ divino cultui sunt vsui. Omni Basilicam, qua potuit liberalitate, potestateque donavit.

Cartuitius in vita S. Steph. agens de bello defensivo illius contra Conradum Imperatorem.

Manibus, ac corde sursum erectis, Dominæ Perp. Virgini, & Dei Genitrici suas injurias commendans, in hujusmodi prorupit voces. *Si placet Tibi, Domina mundi, tuæ partem hæreditatis devastari, & novellam Christianissimi vastationem dissipari; ne quæso, sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potiùs dispositioni voluntatis tuæ. Si* c. 16.

quid

quid commeruit culpa pastoris, ipse luat; oves, quæso, insontes ne patiaris affligi. His dictis tanquam accepta consolatione ab ea, fidenter movit in hostes.

c. 21. Idem agens de illius ad cœlos transitu. Manus, & oculos ad cœlum erigens: *Regina cœlorum, inquit, mundi inclyta reparatrix, tuo patrocinio Sanctam Ecclesiam cum primatibus, & populo, tuis precibus commendo. Quibus nunc ego vltimùm valedicens, animam quoque meam tuis manibus committo.*

Isaiæ Li.

Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.

Omnia & singula, quæ scripsi, vel scribam vnquam, & me ipsum, correctioni Sacrosanctæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est Columna, & firmamentum veritatis, per omnia humillimè subijcio.

Soli Deo honor, & gloria.

APPENDIX

Ad Commentarios de Rebus Hungaricæ Provinciæ Ord. Prædicatorum,

I. Vitam B. Auguſtini Zagrabienſis & Lucerini Epiſcopi, ex Ordine Prædicatorum, per Reverendiſs. D. Ioannem Tomcum Marnavitium, Boſnenſem Epiſcopum conſcriptam, & à Fr. Sigiſmundo Ferrario recognitam, & publicatam:

II. Propugnationem Martyrij Fratrum eiuſdem Ord. à Tartaris in Cumania, & Hungaria olim peremptorum:

III. Annotationes aliquas, eiuſdem Fr. Sigiſmundi ſtudio elaboratas, comprehendens.

Cum Licentia Superiorum.

Viennæ Auſtriæ, Typis Matthæi Formicæ, Anno M. DC. XXXVIII.

HIstoria iſta de Beato Auguſtino Epiſcopo Zagrabienſi Ordinis Præd. conſcripta per Reverendiſsimum Dominum, Dn. Joannem Tomcum, Epiſcopum Boſnenſem, & per A. R. P. Doctorem Ferrarium recognita, cum cæteris in Appendice contentis, imprimi poteſt, ex authoritate, & licentia

Leonhardi Mylgieſseri, Doct. pro tempore Vniverſitatis Viennenſis Rectoris.

die 3. Novemb. 1637.

ADMO-

ADMODVM REVERENDO ET EXIMIO PATRI F.

ADRIANO CARDINALI GENVENSI S. TH. MAGISTRO, ET SOCIO,

Reverendiſsimi P. Mag. Generalis Sacri Ordinis Prædicatorum, Patri, Patronoque meo obſervandiſsimo, ac Gratioſiſsimo.

Fr. Sigiſmundus Ferrarius, O. Præd. P. F.

BEatorum Hominum Vitæ memoriæ proditæ, Vir Excell.me tanquàm ſimulacra quædam animata, propoſita ſunt, Magno Baſilio teſte, ijs, qui bonorum exemplaria cupiunt imitari. Dum enim Ioſephi audimus, aut legimus vitã, illius

Epiſt. p. ad Greg. Theologum. hom. 8. quæ eſt

in Gordium Martyrem. illius assequi castitatem optamꝰ; si Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur; cùm Moysi vitam, morumq; lenitatem auscultamus, illicè æmulamur. Ac, quemadmodum ex igne naturaliter rutilans emicat splendor, & ex præstanti vnguento suavis diffunditur odor, sic è commemoratis Sanctorum actionibus, ad omnes vtilitas magna promanat. Illæ sunt, vt ait Augustinus, quæ, dum ad mores rectè instituendos, divinæ inspirationis transfixi sagittis incitamur, obstant verò seducentium linguæ, quia, si virtutis turrim erigere cœperimus, non poterimus consummare; occurrentes tanquam Carbones vastatores, qui ex olim mortuis, vivi, ex nigris coruscantes; nimirum ebrioſi sobrij, incontinentes casti, raptores largitores, exleges, legem Domini meditantes die, ac nocte, effecti sunt, in concepto proposito confirmant, reddunt q; sui exemplo studiosos, & sanctos. Sunt Iacob Patriarchæ, populeæ, amygdalinæ, & ex platanis Virgæ diversarum perfectione virtutum; non dextrorsum, aut sinitrorsum declinante, rectitudine probæ; pressurarum adversitate decorticatæ, conscientiæ rutilantes nitore: quæ ob Ouium Christi oculos positæ, tales sui imitatione fœtus, qualia cernuntur præcedentium exempla, faciunt procreare. Sunt Libri aperti, è quorum scriptis mortui judicati leguntur. In Vitis enim Sanctorum, Gregorio Papa interprete, mandata cœlestia, opere extant impressa, in quarum quasi expansione, dum bona leguntur, quæ agere noluerunt, mali, eorum comparatione damnantur; proinde, ne in districti judicij die, quæ non fecimus, defleamus, in ipsis jam, quæ imitemur, attendimus. Sunt Lilia, non minùs odore fragrantia, quàm candore micantia, in quibus, ex duobus Sponsæ Vberibus, Gentili scilicet,

5. ps. 119

Gen. 30. Greg. 21. mor. c. 1.

Apoc. 20. Greg. 24. m. c. 6.

Cant 4 Greg. supra immed.

& Ju-

& Judaico populis, Ecclesiæ sanctæ pectori, ob Fidei, cœlestisq; sapientiæ arcanum infixis, Electi, veluti Hinnuli Capreæ gemelli, ex humilitatis virtute parvulos sese, ac peccatores intelligentes, & ex Charitate cursum velociùs currentes, ac si quæ ob temporaneæ necessitatem obstacula se opponant, datis contemplationis saltibus, ad superna scandentes, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ, pasci consueverunt. Tamdiù namq; reficì Justorum exemplis indigemus, quamdiù præsentis mortalitatis umbras, æterno aspirante die transeamus. Cùm enim eæ transactæ fuerint, increatam Dei lumen perspicuè contuentes, vt illius amore per aliorum exempla flagremus, nequaquam optabimus. Sunt denique Veteres Panni, quibus suffultus, è lacu Jeremias per funes extrahitur. Nam funes præceptæ Domini designant, quæ in prava nos positos operatione vinciunt & eripiunt, ligant & trahunt, coarctant, & sublevant. Verùm, ne hisce funibus obligatus, dum trahitur, incîdatur, ne præcepta, tanquam subtilia, & arcta, nos terreant, simul panni veteres, antiquorum scilicet exemplà, colligantur, quorum imitatione, & ope, præstare confidimus, quòd ex nostra imbecillitate posse nos facere formidamus. Ju re adeò vtili, ac necessaria describenda, librisq; illustranda, laboratum semper est in Ecclesia, atq; ad finem vsque labentis sæculi laborabitur. In ea aliquid mihi operæ, hac etiam ad Commentarios de Rebus Hungaricæ Provinciæ Sacri Ord. nostri subjecta Appendice æquum visum est collocare. Eam placuit A. R. P. T. pro singularis observantiæ in te meæ studio consecrare. Cum enim Beati nostri Augustini Zagrabiensis in Croatia primùm, ac demùm in Appulia Episcopi, magnis & naturæ, & gratiæ donis, ac mira cum pri-

Ier. 38. Grg. 25. mor. c. 7.

mis Sanctitate clarissimi gesta expendat, totq; Evangelicorum Virorum, quorum fusi pro Christi Domini Fide sanguinis purpura, Cumaniæ, & Hungariæ Regna gloriosa decora susceperunt, Trophæorum illustrium propugnationem contineat, minimè ingratam censui Tibi futuram, qui ingenio, eruditione, eloquentia, prudentia, avitæ pietatis, ac sanctimoniæ Zelo, cæterisq; inclytis dotibus, non patriam tantùm, sed & Orbem quaquaversum Ordo noster extenditur, magno gloriæ splendore semper illustras: qui Sanctorum omnium & ex nostro Ordine potissimùm vestigijs haud oscitanter insistens, eadem aurei planè oris facundia, ardentibus æque ac eruditissimis concionibus, quibus primos Italiæ suggestus decoras, universis terenda persuadere consuevisti: qui me, quamquam immeritum, magnis favoribus, ac beneficijs semper cumulasti, & in Vngaricæ Missionis negotio fovere, & superiorum etiam gratia juvare pro viribus non cessasti. Optarem sanè pro tot meritis jam dignius aliquid offerre posse A. R. P. T. interim tamen, vt hoc quicquid est munusculi, ab obstrictissimo servulo excipiens, eidem Vngaricæ Missioni, pro incolumiate, & felicitate Tua, Divinum Numen vsque deprecanti, ad majorem Dei gloriam, animarumq; pretioso Christi Domini sanguine redemptarum salutem, benè favere, quemadmodum feciſti hactenus, non desinas, etiam atque etiam humillimè precor. Viennæ ex Conventu S. Mariæ Rotundæ 15. Cal. Ianuarij.

VITA BEATI AVGVSTINI ORDINIS Prædicatorum, ex Zagrabiensi Lucerini Episcopi, per Ioannem Tomcum Marnavitium, Bosnensem Episcopum, Lectorem, & Coadiutorem Zagrabiensem, fideliter collecta.

TRagurium, Civium Romanorum Oppidum, ab Isseis conditum, *marmore notum* teste Plinio, Civitas Dalmatiæ nobilissima, præstantissimorum Virorum perenne Seminarium, Augustinum edidit, circa medium decimumtertium Christianum Seculum, quo vix vllum aliud â Christo nato, novitate, & varietate rerum non minus politicarum, quam ad pietatem spectantium, præsertim Sacrarum Familiarum institutione, feracius extitit. Genus ei patricium, ea tempestate, qua Dalmaticæ Civitates, sub patrocinio Regum Hungariæ, libera conditione florebant imprimis. Parens ejus fuit Nicolaus nomine ex Gazothorum gente, quæjam Cassiotha dicitur, magnæ prudentiæ, & probitatis Vir, inter illius patriæ Senatores. Mater ex Dragoeviorum familia inter Sicenses perpetuò primaria, Dragoslava nomine: multiplici prole, eaque insigni fuêre. Tempus natale adamussim sicuti & puerilis educatio, vitio illius ætatis, in obscuro delitescunt; certum tamen est, eum in lucem editum Regnante Sanctissimo, & San-

ctiſsimarum Virginum Margarethæ, & Cunegundæ Genitore, Rege Bela quarto hujus nominis, qui ijſdem ferme annis, Regno per Tartaros pulſus, ad Dalmatiæ littora confugiens, in Vrbe Tragurienſi, adiacentibuſque eidem Inſulis, tutum perfugium habuerat. Parentum cura liberaliter educatus, pietati, & Religioni mirabiliter adolevit. Vix ad juventæ bivium acceſſerat, cùm DEO vocanti potiùs, quàm parentibus parendum exiſtimans, puriſsimæ vitæ florem, illi, qui paſcitur inter lilia, conſecravit. Vigebat per ea tempora mirabili vitæ Sanctimonia, Evangelicoque ſtudio animarum Chriſto lucrandarum, magno divinæ gloriæ incremento, & per orbem Chriſtianum dilatabatur Sacra Prædicatorum familia, ineunte eodem ſeculo, à Sanctiſsimo Viro Dominico, Hiſpano genere, ſed Gotthalano origine, inſtituta. Hujus religioſis moribus allectus pius Iuvenis, mundo, Parentibuſque valedicens, inter ejuſdem familiæ tyrones adſcribi poſtulavit, & obtinuit. Admiſſus inter Cœnobiacos, ijs artibus, & rudimentis, quibus illa ætas ad omnimodam pietatem informatur, brevi profecit egregiè. Potiſsimum illi ſtudium fuit ſæcularium conſuetudinum, humanorumque negotiorum totalis oblivio, cujus aſſequendæ gratia, poſt macerationes corporis, novæ menti induendæ, noviſque conſilijs imbibendis, totum ſeſe addixit; quibus facilè inde vitæ ſimplicitas, ardor divina meditandi, abjectio ſuimet, & proprij judicij abdicatio accêſſere. Tales virtutes perpetua ſuarum appetitionum compreſsio, aſsiduaque ſibi adverſandi exercitatio; denique regularium virtutum Regina decoravit *coeca*, vt ajunt, *obedientia*, vt Tyro adhuc, ipſis veteranis, nedum commilitonibus, eſſet exemplo, & admirationi. Tyrocinio exacto, ſolemni Clauſtralium virorum voto proprio, Prædicatoriæ familiæ inſertus, in litteris humanis ſimul atque divinis magnos fecit progreſſus. Hinc Sacerdotio conſpicuus, ad Cathedras, & Evangelicos ſuggeſtus, Superiorum nutu ſublimatus, egregiam Dei Eccleſiæ non minus verbo, quàm exemplo, pluribus

in locis Christiani orbis navavit operam, semper idem, qui primo religionis ingressu, perseverans. Hinc nec speciosiora munia, nec digniores gradus illum vnquam à semel ducta solidæ pietatis linea deducere potuerunt. Augustini porrò Eminentissimi Doctoris Ecclesiæ, cujus nomen in castris Regularibus assumpserat, ita mores exprimere satagebat in omnibus, vt in conversatione Fratrum, sive præesset alijs domestico magistratu, sive subesset, ob oculos sibi perpetuò Magni Patris monita obversari putaret; quæ & alijs Confratribus subinde magna suavitate inculcabat: præsertim illa ex Homilia 4. *Recte novit vivere, qui rectè novit orare*: Sicut & illa extract: de miseric: *Quid est oratione præclarius, quid vitæ nostræ vtilius, quid animo dulcius, quid in tota nostra Religione sublimius?* Illa quoque sæpius iterabat: *Oratio justi clavis est Cœli, ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Concludebatque excellentiam orandi ejusmodi verbis: *Sicut ex carnalibus escis altera caro, ita ex divinis eloquijs, & orationibus; interior homo nutritur.* Ac sic Augustinum Augustinus exhibere, aliosque in eundem transformare satagebat, elevationis mente ad Deum. Dalmatam quoque Sanctorum Doctorum maximum Hieronymum, Dalmata ipse, scribentem ad Salvinam crebrò repetebat: *Semper in manibus tuis divina sit lectio, & tam crebræ orationes, vt omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur. difficile est etenim, quin potiùs impossibile, perturbationum vitijs carere quemquam.* Eodem quoque magistro, se reliquosque monebat, Non verbis tantùm, sed corde Deum esse orandum, nam vt idem ait; *melior quinque psalmorum decantatio cum cordis puritate, ac serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius Psalterij cum anxietate cordis, atque tristitia.* His sc. gradibus, perfectam conjunctionem cum Deo videbatur assecutus. Humilitatis autem, sicuti & charitatis erga alios, super quàm dici queat, studiosissimus erat. hinc sicuti facto, sita quoque voce, familiarissima habebat illa verba, quibus Ambrosius Augustini Magister, Demetriadem Virginem

olim instruebat. *Multùm*, ajebat, *ad roborandam dilectionem valet, cùm secundum doctrinam Apostolicam invicem se homines honore præveniunt; & alter alterum superiorem existimantes, amant servire subjectè, & nesciunt tumere Prælati; cùm & pauper divitem non sibi dubitat anteferre, & dives pauperem sibi gaudet æquare; cùm & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ: cùm denique non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus, neque major ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora justitia.* Et quia familiares illi erant parabolæ ad imitationem Christi, tàm in publicis concionibus, quàm privatis colloquijs, cum crebrò illud Apostoli ad Galatas, *Alter alterius onera portate*, inculcaret, Cervorum similitudinem ex Sancto Augustino quæst: 71. proponebat. *Sicuti enim de Cervis nonnulli talium cognitionum studiosi scripserunt, cum fretum ad Insulam transeunt pascuarum gratia, sic se ordinant, vt onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super invicem portent, ita vt posterior in anteriorem cervice projecta caput collocet; & quia necesse est, vnum esse qui cæteros præcedat, nec ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicitur, vt lassatus sui capitis onere, ille qui præcedit, post omnes recedat, & ei succedat, cujus ferebat caput, cum ipse præiret: ita invicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem.* Ita ille. Qui quando remissiores aliquos in Monasterijs videret in disciplina servanda, ne videretur ex rigidiore reprehensione aliquomodo in fraternam Charitatem impingere, consueverat, magna modestia illud ejusdem Augustini ad plebem Hipponensem in memoriam revocare: *Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in Monasterijs profecerunt, ita non sum expertus peiores, quàm qui in Monasterijs ceciderunt.* Præfuit pluribus Prædicatoriæ familiæ sacris domibus, tàm in patria, quàm extra: in patria autem plurimorum monasteriorum fuit ipse Fundator, ex quibus præstantissimi Sanctæ Ecclesiæ prodierunt operarij. Bosnensibus etiam partibus, quæ à Manichæis non ita pridem è Græcia,

ad Gal. 6.

atque

atque Tracia ſcatentibus, miſerandum in modum devaſtabantur, verbo & exemplo, Apoſtolicam navavit operam, eximio operæ præcio. Sed & ad Italicas partes, ſuperiorum juſſu tranſlatus, prædicatione verbi Dei, morumque ſanctimonia, Chriſti bonum odorem, magna ſuæ Dominicanæ familiæ exiſtimatione, ſe geſsit; præſertim cùm per ea tempora, infeliciſsima Italicarum rerum eſſet conditio, propter peſtiferas Guelphorum & Gybelinorum factiones, quibus nihil tetrius humanum genus ab orbe condito pertulerat. Verumenimverò, qui Italiæ extremis malis immerſæ, zelo Apoſtolico maturam opem attulerat, Hungarico Regno, ex ſumma fœlicitate ad imum miſeriarum declinanti, divina diſpoſitione opitulaturus, evocatur ex Italia, & ipſam Dalmaticam patriam deſerere cogitur. Etenim deficiente Sanctorum Regum prole maſcula, per trecentos annos in Pannonijs inclyta, Regnicolæ in partes diviſi, ſacræ Coronæ decus, armorum vi potiùs, quàm ſacrarum legum temperamento, Bohemicis, Bavaricis, Andegavenſibusque Principibus, tanquam per fœmineum ſexum ex Hungarico ſtemmate deſcendentibus, obtrudebant. Andegavenſium porrò jus, vt potè reliquis omnibus potius, Romanus Pontifex à ſaniori parte Vngarorum ſollicitatus, atque etiam eo jure, quo Stephanus Vngarorum Apoſtolus, à ſede Apoſtolica, Coronam, & Regium nomen priùs obtinuerat; nec non & eo, quo poſtea idem Rex, Regnum Sancto Petro perpetua donatione conſecrarat, ſacrata tuebatur authoritate. Qua tempeſtate, cùm Bonifacio Octavo, qui Nicolaum, Cardinalem Oſtienſem legatum deſtinarat in Hungariam, Benedictus decimus, appellatus vndecimus, poſt tertium annum à decimotertio Seculo Chriſtiano, ex Prædicatorum familia lectus, vir pietatis eximiæ, in Sede Petri ſuffectus eſſet, cúmque eodem tempore Eccleſia Zagrabienſis, totius Hungarici Regni ampliſsima, ob tranſlatum Michaelem ejus decimumquintum Præſulem, ad Strigonienſem Archiepiſcopatum, ſolatio paſtoris eſſet deſtituta, Benedictus, vt

tantæ

tantæ Eccleſiæ Præſulem aptum præficeret, qui vulneribus Vngaricis etiam medicina Apoſtolica prodeſſe valeret, in Auguſtinum, quem in Sacra Dominici familia diù collegam habuerat, conjecit oculos, eundemque Romam evocatum, vel reluctantem, Paſtorale munus ſubire coegit. cum quo dum familiariùs, pro priori conſuetudine, & germanitate morum ageret, eidemque in primo ad ſe acceſſu, manum valetudinariam ſalutationis ergo porrigeret, vbi primùm ab hoſpite tacta, & pio oſculo ſignata fuit, abſterſo ſtatim dolore, oſculata manus, vires integras, majori aliorum quàm Pontificis, cui virtus Auguſtini probatiſsima erat, admiratione, recepit. Aliud quoque non minus mirandum contigit; etenim cùm Summus Pontifex jure Chriſtiani hoſpitij, eundem menſæ ſuæ admoviſſet, eidemque aliquot aviculas, tanquam ex itineris ærumnis debilitato, curaſſet apponi, ille verò obſervantiæ Regularis inſtituto, quo Dominicanis Fratribus perpetuò carnium vſus interdicitur, tenaciſsimus, aliquandiù hæſitabundo ſimilis, ab illorum tactu abſtinendo, cordis intimi affectu Dei opem imploraſſet, en aviculæ aſſæ, tanquam è nido, ex patina appoſita, omnibus obſtupeſcentibus evolantes, divina metamorphoſi, totidem piſces aſſos, in eodem vaſculo, loco ſui reliquerunt. Hinc Pontifex confirmatus in antiqua opinione, quam pridem in communi palæſtra, de Sancto Viro conceperat, eundem manibus ſuis ſupremo ſacerdotio decoratum, ad Zagrabienſem gregem deſtinavit. Cui dum præeſſet, ſolliciti paſtoris curam, & accuratiſsimi Patris affectum, magno illius Eccleſiæ incremento, comprobavit. Prima tamen illum ſollicitudo tenuit, ne quamvis Epiſcopus, quidquam de Regularis vitæ præſcripto remitteret. Inde propè Cathedralem ſuam, à fundamentis erecta Eccleſia, quam Sanctiſsimorum Præſulum normæ Sancto Nicolao dicatam voluit, eidem Dominicanorum Fratrum Monaſterium adjunxit, quibus cum, totum id temporis, quod à Pontificali munere ſibi ſupererat, in converſatione chariſsimorum Fratrum

piè transigebat. Quibus etiam plura alia loca intra suæ Diœcesis terminos extruxit, vt quamdiu illam lustraret ex officio, ex inolita sibi consuetudine, ad illos divertendo, & spiritui refocillando intentus, Monachus esse posset. Quam porrò Deo hæc Augustini consilia probarentur, facilè patuit; cùm enim locus, in quo prope Cathedralem Ecclesiam Monasterium extruxerat, aquis salubrioribus indigeret, eò quòd fluviolus præterlabens, mineralibus qualitatibus inficeretur, positis aliquando genibus, & simul cum Fratribus implorato Divino subsidio, manu sua effossa exigua scrobe, in latere proximi tumuli, saluberrimæ aquæ fonticulum elicuit; qui ad hodiernum vsque diem, à fidelibus avidè potatus ob salubritatem æquè animæ atque corporis, Augustini nomen retinet. Aliquando à quodam ex suo Clero interrogatus, cur ita frequenter ad Monasteria sese reciperet Episcopus, cujus esset in medio populorum semper inveniri, respondit; idem etiam à magno Augustino Episcoporum maximo, non solùm factitatum, sed etiam in libro, quem Manualem, tanquàm semper manibus terendum, inscripsit, ejusmodi verbis commendatum. *Fuge, ò homo, paululùm occupationes tuas, & obsconde te modicùm à tumultuosis cogitationibus tuis; vaca aliquantulùm Deo, & paululùm requiesce in eo; intra cubiculum mentis tuæ, & exclude omnia præter Deum, & quæ valent ad quærendum eum, & clauso ostio quære eum.* Ita ille, qui talia sacra loca, Episcoporum hospitia itinerantium appellabat, subdens: *Sicut viator, itineris labore fessus, divertit recreandus ad publica hospitia, ita pastor animarum, ad religiosa receptacula.* Cœterum quo ad opus pastorale, nullibi operam suam desiderari passus est vnquam; præsertim cùm ea tempestate maximè deformis existeret facies Ecclesiæ Zagrabiensis; quippè quæ sexaginta ante annis extrema fuerat à Tartarorum colluvie perpessa, qui ex Septentrionali Asia per Muscoviam, Russiam, Poloniam, Vngariam inundantes, Pannonias omnes, & Dalmatiam ipsam ad Mare Adriaticum vsque, pulso Rege Bela cùm Primatibus, vti

ſupra innuimus, omnia ferro, flammiſque devovendo, inaudita crudelitate Regnum vniverſum colonis evacuaverant, ijs exceptis, quibus fuga ſibi conſulere licuit. Qua occaſione devaſtata etiam ipſa Zagrabia, vix aliqui Sacerdotes, antiquorum literalia monimenta, in Sacrario Zagrabienſi conſervari ſolita, ad Arbenſem Inſulam transferendo flammis ſubtraxerant; vnde & Zagrabienſis Eccleſia (opus Sanctiſsimi Regis Ladiſlai) cum adiacenti Canonicorum Monaſterio jacuit, Apſide majori excepta, fermè everſa. Et licèt poſt Tartarorum diſceſſum Philippus vndecimus illius Eccleſiæ Præſul, eandem reſtaurare aggreſſus eſſet, (Vir publici boni amantiſsimus, vtpotè qui & caſtrum Meduedi appellatum, in monte Zagrabiæ imminenti, perfugio Cleri & incolarum, ſacris pecunijs à fundamentis excitaverat, civitate proxima Montis Græcenſis muro minime adhuc obſepta:) tamen vix fundamentis Eccleſiæ exſurgentibus, ad Strigonienſem Sedem traſlatus, opus majori ſpe quàm effectu cœptum, imperfectum reliquerat. Thimotheus attamen ejus ſucceſſor, ingenti conatu, intermiſſum opus, quàmdiu vixit, ad ſummam promoverat altitudinem, eamque inſigni opere elaboratam, (prout ejuſdem gentilitia ſtemmata poſteritati ſunt argumento:) nec ſolùm muris extruendis, æternùm laudabilem operam navaverat, ſed & diverſis aureis, argenteis, ac alijs pretioſis ornamentis ſacram ſupellectilem inſtruxerat, prout vetera Zagrabienſis Sacrarij monimenta teſtantur. Atque vtinam Antonius, & Ioannes, vnus poſt alium ſucceſſores, optimi Timothei inſtitiſſent veſtigijs; & non potiùs paratis dilapidandis, ipſoque Meduedenſi caſtro, beneficio dicam, an veriùs maleficio ſuorum Conſanguineorum, & animæ propriæ, alienando obijſſent inglorij. Ioannes præſertim; vnde inter illum, & Cathedrale Capitulum, lites ingentes exortæ, in arma, & in apertas perſecutiones erupere, magno detrimento nobiliſsimæ Eccleſiæ, niſi dextra Domini vitam ejus Anno ſalutis 1295. præcidiſſet. Curavit optimus Succeſſor Michael, præ-

deceſſo-

deceſſoris mala corrigere: adeò vt nec ab armis ſumendis, pro defenſione ſuæ Eccleſiæ, & quiete totius Regni abſtineret; præſertim, cùm per ea tempora, Carolus, Caroli, Claudij appellati, Regis Siciliæ filius, ex Maria filia Stephani Regis, Belæ quarti filij, prognatus, ad coronam aviticam ab Vngaris evocatus, propè Zagrabiam cum Andrea Rege, Veneto dicto, coactus fuerit armis jnfeliciter decertare. Sed & ipſe, vt diximus, ad Strigonienſem evocatus Eccleſiam, ingentes curas, & labores, vix alteri, quàm Auguſtino ſibi ſuffecto, tolerandos reliquit. At is, cùm vulnera ſuæ Eccleſiæ pernicioſiora, quàm quæ humanis medicamentis curari poſſent, animadverteret, ad opem divinam confugiens, Clero, in ſæculares mores, ne dicam militarem inhumanitatem, ſylveſcenti, ſanando vires intendit omnes. Forma itaque gregis factus, nil præſcripſit obſervandum, quod ipſe numeris omnibus non præſtaret, facto ſemper juſſa præveniendo. Mira affabilitate ferociores, humanitate petulantiores, precibus elatiores, muneribus, honoribus promptiores, in ſui obſervantiam, & amorem, ac proinde ad Divini cultus affectum, & ſacrorum munerum frequentiam ita redegit, vt ſacris precibus horarum canonicarum perſoluendis, *ex Dominicanæ familiæ ritu*, in Clerum, armis tractandis, magis quàm ſacerdotali pſalmodiæ aſſuetum, introductis, illarum vſum hucuſque poſteritati tranſmiſerit. Dignitates, quas Columnas Capituli appellant, ab Archidiaconis, Cathedrali nempè, & ruralibus majori præeminentia adauctis, Canonicos in diverſas claſſes diſtinxit. Præbendarum Clericorum numero addito, ijs omnibus ex ſua Epiſcopali menſa ſupplevit neceſſaria. Vnde Clerum, nullis ſeptentrionalibus ampliſsimis Eccleſijs ſecundum, numero, diſciplina, proventibus ſpectandum imprimis, ad præſentia vſque tempora jnſtruxit, ornavit, atque ditavit. Synodicis Congregationibus quolibet anno inſtitutam diſciplinam roborando, &, vt verbo pariter & exemplo pollebat, vberrimos fructus Apoſtolici zeli in horrea magni patrisfamilias, re-

ferebat. Aliquando congregata Diœcesana Synodo, vbi multa circa sacras leges obseruanda disposuisset; ex illo Euangelij Themate, *Vos estis lux mundi*, ita fertur Clerum suum allocutus.

Quoniam, fratres charissimi, diuina adjuuante gratia, nequaquam ad eos est mihi sermo, quorum viæ tenebræ & lubricum, *vt*
Psl. 34. *diuinus occinit Psaltes, sed cœlesti fauore, & Spiritu Sancto adsistente, vos alloquor, qui tanquam stellæ perpetuæ æternitatis, inter procellas turbatissimi maris hujus vitæ præluceatis, vt luce vestra nulla Ecclipsi tenebrarum offusa, naufrago peccatori ad portum salutis iter ostendatis, dum ex hodierno Euangelio nobis omnibus Christi Sacerdotibus insinu-*
Mat. 5 *antur illa verba:* Vos estis lux mundi, &, luceat lux vestra coram hominibus: *expedit, vt breviter inquiramus, ex consideratione materialis* Cerei *luci præstandæ præparati, qualem esse conveniat Euangelici Sacerdotis conditionem, vt illa evitare possimus, quæ lampadi ardenti, & irreprehensibili, per Sacerdotem nobis in fonte baptismali consignatæ, tossint obesse, & Christo jubenti, vt luceat lux nostra coram hominibus, satisfacere valeamus.*

Lampas itaque cerea, materia consletur est certum. hæc porrò materies nequaquam ex mineralibus, vel alijs subterraneis fodinis obscurissimorum fœtentissimorumque lacuum, inferno proximorum, colligitur; sed ex speciosissimis æquè ac nobilissimis floribus, quos amplissimo sinu hilari pompa tellus Cœlis ostentat. Hinc Sacerdos Euangelicus, nequaquam ex quolibet sexu, membrorumq; deformitate: sed ex nobiliori sexu, legitimis natalibus, Religione Catholica, omni labe carens infamiæ, nulla morum deformitate compaginatus, exemplo Danielis, & sociorum puerorum, ex semine Regio, in quibus nulla esset macula, cœlestibus mysterijs tractandis efformatur.

Nec satis habetur. vt Cera colligatur ex ijs, quos diximus speciosissimus nobilissimisq; exhilaratæ terræ floribus, in eum finem, vt fiat apta lampadi conficiendæ: sed nobilitati, & speciei florum, suauitas accedat, est necesse. Parietatione non sufficit, vt ex nobiliori sexu, legitimis natalibus, religione Catholica, omni labe nefaria carens, morum nulla deformitate compaginata efformetur Sacerdotalis lampas; sed

ijs om-

ijs omnibus accedat, est necesse suavitas mansuetæ naturæ, piæ educationis fragrantia, vt Christi bonus odor esse possimus. Etenim ipsemet Daniel cum Socijs, quantumuis ex genere Regio, & sine macula cognoscerentur, ad ministerium Regis admissi fuissent nequaquam, nisi omni sapientia, & disciplina fuissent edocti. Dan. 1.

Et quamuis ex nobilissimis, speciosissimis ac demùm floribus materia Cera decerpatur, non tamen lampadi componendæ sit apta, ni priùs & lingua apum purgetur, stillantiumque labellorum ejusdem animantis perficiatur industria; Animantis, inquam, naturæ castissimi, occupatione operosissimi, legum & disciplinæ tenacissimi: sic & Sacerdos, non quia natalibus præstet, & moribus, lampadi Evangelicæ concinnandæ censetur idoneus, sed castimonia purissimæ vitæ excellat, exquiritur. Etenim cùm nequaquam inter ministros Babilonicæ aulæ, sed inter aulicos immaculati Agni sit adscribendus, ejuscemodi virtute debet insigniri, cùm de talibus scribatur: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum, quocunque ierit. Apoc 14. *Et quoniam is debet esse Sacerdos, qui facie ad faciem negotium omnium maximum, salutem nempe generis humani tractaturus est cum Deo, hac puritate polleat necessum est; ipsa enim Veritate testante,* Mundi solummodò corde Deum possunt intueri. *Cujus rei præstantiam penetrauit qualicunq; modo cœcutiens olim gentilitas, quæ curam succendendorum torrium ad aram Deæ, vt appellabant, Vestæ, decreto Romani Senatus, Virginitate præstantibus puellis censuit committendam.* Mat. 5.

Industria item Apis, post puritatem mentis, & corporis, imitanda est Sacerdoti, otij evitandi gratia, nam juxta tritum illud, Innumera mala docuit otiositas. Eccl. 33 *Hinc maximus Doctorum noster Hieronymus Rustico Monacho normam religiosè vivendi præscribens:* Semper, *inquit*, aliquid facias, vt te Diabolus occupatum inveniat. *Nimiùm indecens est, videre hominem Ecclesiastico muneri adscriptum, sacro charactere insignitum, otiosè per plateas spacientem, meliorem partem diei in domibus Magnatum, in tribunalibus litigantium, & quod pejus est, inter greges compotantium dies integros tradu-*

ducere, ſuppreſſo talento virtutis ſibi à Deo communicatæ; ſed & (quod peſsimum) abliguriendo, prodigendoq; proventus Eccleſiaſticos, legatos ſibi pietate fidelium, ſæpius imminutione proprij patrimonij, præjudicio prolis, & poſteritatis, quanihil charius in humanis. Revocate vobis in memoriam, Fratres mei, Apoſtolos, primos Chriſtianæ ſchola Doctores, labore manuum victitaſſe; vnde Paulus, quamvis omnium Eccleſiarum ſollicitudinibus occupatus totus, non erubeſcit id fateri, quin etiam, vt habemus in Actis Apoſtolicis, gloriatur coram Epheſina Eccleſia talis induſtriæ exercitio, dum ait: Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ. *Et mòx exemplo ſuo præcipit idem à reliquis fidelibus factitandum, dum ſubjungit:* Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit: Beatiùs eſt magis dare, quàm accipere. *Nec audiendi, qui dicunt, ſat benè proviſus, & ditatus ſacris proventibus, non eget, vt labore manuum ſibi conſulat; etenim Apoſtolus expreſsè id faciendum præcipit, vt habeamus, vnde tribuamus neceſsitatem patienti. Tribuimus ex bonis Eccleſiaſticis, vt ajunt: at illud eſt officij, reſpondet Apoſtolus, immò & debiti, cùm ait ad Corinthios:* ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic jam quæritur, vt inter diſpenſatores fidelis quis inveniatur: *id eſt, juxta Patrum interpretationem, vt ita fideliter vtamur proventibus Eccleſiæ, quatenus quicquid neceſsitati noſtræ, (neceſsitati dico, non opulentiæ, non prodigalitati, non luxui, non popinis, non ſcortis) ſupereſt, totum teneamur Chriſti fidelibus, noſtris fratribus, tanquam ejuſdem corporis membris, vtpotè egentibus erogare; tùm quia æqua ratione pertinent ad illos, ſicuti ad nos; tùm potiſsimè, vt refrigerio, & ſaluti illorum piorum, à quibus tales proventus inſtituti fuere, ſit conſultum. Fur alioquî habendus quilibet noſtrum, & patrimonij Chriſti fraudator, æterniſq; cruciatibus mancipandus, donec minimum quadrantem ſoluat. ibi, vbi nullus, niſi per immortalitatis pœnas, invenitur ſoluendi modus. Idcirco, vt eleemo-*

Act. 20.

1. ad Cor. 4.

ſyna Sacerdoti proſit, ſacerdotali manu parandam illam requirit Apoſtolus. Quamobrem Hieronymus noſter, ditiſsimi alioqui hæres patrimonij, ad Marcum Celedenſem ſcribens, exactiſsimè à ſe Pauli præceptum executum teſtatur, cùm ait: Nihil alicui præripui, nihil otioſus accipio, manu quotidie, & proprio ſudore quærimus cibum, ſcientes ab Apoſtolo ſcriptum eſſe: Qui autem non operatur, nec manducet. *Hæc Hieronymus. At inquiet aliquis: omnium artium ignarus habeor. reſpondeo:* ſcribere, legere quicunquè novit Eccleſiaſticus: ſatis gnarus habetur, vnde tali labore atque induſtria tâm publico, quàm privato bono conſulat. *Veteres illi Monachi eodem Hieronymo teſte, neminem intra ſuum conſortium operis alicujus ignarum admittebant.*

Penes caſtimoniam, & induſtriam, tertia dos naturalis Apum, ſequitur legum obſervantia, & diſciplina tenacitas, quibus Apes vnicum ſuum Principem proſequuntur, venerantur, & colunt, cujus imperio ita ſunt addicta, vt pro illo vitam prodigere minimè timeant, & quà ſui Principis hoſtem, juſtum credunt ferire, inde ſibi honeſtum ac neceſſarium putant perire, proùt ipſe Maro de iiſdem cecinit.

Pulchramque petunt per vulnera mortem.

Et vir ſervitio, cultuiq; Regi Regum dicatus, operæ pretium cenſebit, poſtquam mille ſophiſticis excogitationibus, Prælati ſui, ejuſdem Regis Regum præſentiam exhibentis, leges, & juſſa pro ſua libidine diſtorſerit, & interpretatus fuerit, expreſſo legum, & Legislatoris manifeſto contemptu, innumeris inventionibus exceptionum, & appellationum, vt vocant, contumacis, & refractarij capitis ſui obſtinationem fulcire? Quidquod jubeat Apoſtolus, Obediendum Dominis, & Præpoſitis etiam diſcolis? *Pudeat Chriſtianum Sacerdotem, inter Ethnicos eam fuiſſe erga vnius Pythagoræ dogmata æſtimationem, & reverentiam, vt ſola reſponſione: Magiſter dixit: illius mandatis, contra quorumcumque aliter ſuadentium authoritatem, acquieſcerent. Pudeat nos discipulos illius Magiſtri, qui gloriam ſuam in eo collocatam voluit, dum ſcholam inter homines exercuit, vt obediens ad mor-* 1. Pet. 2.

tem

tem vsquè cognoscerentur, pudeat, inquam, nos, Prælatis nostris per fas & nefas velle præesse. Mitto hic Clericos causarum sollicitatores, litium immortalium incentores; eos denique etiam sæpè Iudices litigantibus patrocinantes, cùm apud Ethnicos, advocatorum patrocinium, creditum fuerit permissum latrocinium; Clericos, inquam, qui suæ vocationis obliti, turpis lucri gratia, gratiam æterni & nunquam deficientis lucri, sponte, vtpotè satis ab Ecclesia ditati, remittunt, & respuunt, frustra sacris Canonibus, & Ecclesiasticis statutis reclamantibus.

Iam satis Apis studium circa materiam cereæ cognovimus; non tamen hanc ideò adhuc aptatam lampadi cereæ formandæ invenimus, cùm requiratur vlteriùs, vt ab Apum industria, ad purgationem ignis, & roris aerei, pruinarum accedat temperamentum. Quæ in sacerdote nihil aliud sunt, quàm passionum veteris hominis mortificationes, juxta ejusmodi experientiæ magnum Doctorem, Regium Vatem dicentem: Transivimus per ignem, & aquam. Vnde & ipse Ethnicus Pœta de heroe virtutibus omnibus exculto cecinit. ps. 65.

Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit.

Perfecta jam cera sit licet, eo quo vidimus modo, nec dum tamen in ceream lampadem, nisi per novum ignem conflatur. Parimodo Sacerdos Evangelicus nequaquam vnica mortificatione veteris Adæ in lampadem sacro altari adhibendam coalescet, nisi mortificationum artibus iteratis, & nunquam depositis. Hinc laudatus hujus artis Magister ajebat: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus quasi oves occisionis. Et ille alius Sacerdotum Doctor: Mortificationem Iesu Christi jugiter in corpore nostro portare, nos jubet. Quod penitus introspexit Ethnicus Pœta, à Hieronymo nostro relatus, illis verbis: Tantùm profeceris, quantùm tibi vim inuleris. ps. 43. 2. Cor. 4.

Et, vt cera perfectionem suam per ignes assequatur, non tamen luci præstandæ sufficit perse sola, nisi ex candida bombice lychnus intercedat, ideſt nisi purissimæ orationis studio Sacerdotale cor instruatur. Vt enim trini fili intorsione lychnus pro lampade cerea instruitur; ita Sacerdo-

cerdotis oratio, tunc vero lumini adaptatur Evangelico, cùm ad mentalem orationem vocalis, & utrique spectata vita decus accedit; de qua Sancti Patres illud, Oportet semper orare, & nunquàm desicere, jure merito interpretantur.

Notandum tamen est, hac tria fila, nisi arte interqueantur, lychnum nequaquam perfici, quare hac intorsio, triplicis orationis censetur Sacerdotalis institutio, & sapientia; & illa quidem non facilis alicujus eruditionis, aut doctrina superficialis, sed diutina tortitiona labiorum quæsita, cùm juxta sacrum illud scriptura dogma: Labia Sacerdotis custodiunt sapientiam, & legem requirent ex ore ejus. Sanè ex cujus ore requirenda est lex, singulari prudentia, & scientia debet insigniri, præcavendo, ne contra se latam illam sententiam experiatur: Quia tu repulisti sapientiam, & scientiam, & ego te repellam, ne Sacerdotio mihi fungaris.

Denique quam vim ad tenebras expellendas, lucemq; præferendam, cerea lampas numeris omnibus absoluta, obtinebit, nisi ignea flamma accendatur? ita quid Sacerdoti omnes enumerata dotes, earumque præstantia conferre poterunt, nisi charitatis accendantur ardore? Qua in re diligenter observandum est, charitatem effectivè exerceri posse minimè, absque proprij incommodi sensu, eodem prorsùs modo, quo cerea lampas accensa, non nisi suimet immixtione splendescit. Sed heu, quàm pauci, non quidem cum Sacerdote, sed cùm simplici Diacono Laurentio possint exclamare, & prorumpere in illud Davidicum, Igne me examinasti. Quare? quia disperserat, & dederat pauperibus. Nec solùm suarum rerum erogatione, sed etiam propria vita incommodo; idcirco audacter & latus subjunxit: Et non est inventa in me iniquitas. Immittere manum in crumenam, vt dispendamus nostra propter pauperes, aduritur manus, humano more loquendo, non nego, non inficior. At per ejusmodi ignem examinatus est Laurentius, & introductus est in refrigerium. Detractus propriis vestibus, in ipsa hyemis asperitate, vt nudus operiatur, vrit, & aduritur sæculare malum: sed ex tali adustione Martinus noster, Catechumenus adhuc, Christum loquentem audit: Martinus adhuc Catechu-

Luce. 18.

Malac. 2. Oseæ 4.

Ps. 16.

menus

menus hac me veſte contexit. *Vrit, & adurit nuditas Franciſcum, vt egenis ſuccurrat; ſed ejuſmodi corpuſculo nudo ſtigmata, gemmis, & auro pretioſiora impreſſa, ſpectacula ſunt Deo, Angelis, & hominibus. Adurit manum largitas effuſiſsima, qua Stephanus, Vngarorum Rex & Apoſtolus, poſt innumeras Eccleſias à fundamentis excitatas, & munificentſsimè ditatas, vt Populos ad caulam Chriſti perductos, contineret in Chriſtianitatis officio, nulli petenti opem denegavit vnquam, ſed illam liberaliſsimè die noctuque habuit, vt aliquando irruente egenorum turba inter tenebras in Regem pientiſsimum, barbam ipſi quoque evellerent, ſtipém rapidè pro innata importunitate, & impatientia erepturi: ſed eandem dexteram, reliquo toto corpore in cineres recidente, integram adhuc extare, ampliſsimoq; Templo ab ipſa dextera denominato, vniverſæ Vngariæ cultui, & venerationi haberi, ipſiuſq; Sanctiſsimi Regis gloriæ ampliſsimum hoc omnium Hungaricarum partium Templum, in quo conſedimus, attolli, precium eſt nequaquam manus aduſtæ, ſed illius herois dextera, de quo Regius Vates in-*

pſ. 111. Eccli. 45. tonat, In memoria æterna erit juſtus: *Et illud,* corona aurea ſuper caput ejus &c. *Hinc & Regale caput ejus auro, gemmiſque fulgidum; ſed memoria eximiæ ſanctitatis, gloriæ, & honoris auguſtius, tutelare Numen vniverſi Hungarici Regni, Patriæ hujuſce noſtræ præſentaneum decus, inſidet Aræ Sacroſanctæ, ſicut videtis.*

Vidimus itaque, Fratres amantiſsimi, qualitates Sacerdotalis lampadis; qua, quia non ſub modio, ſed ſuper candelabrum, *vt ait Salvator noſter, ponitur, etiam atque etiam cavendum moneo, ne ſplendor ejus, vento, vel ab aquis, quibus tantummodo extingui poteſt, aliquam patiatur injuriam, ſed juxta ejuſdem Salvatoris præceptum:*

Mat. 5. luceat omnibus, qui in domo magni Patris familias exiſtunt.

Eſt autem ventus, cujus injurys Sacerdotalis lampas poteſt labefactari, terrenarum rerum ſollicitudo, cui cùm renunciaverimus adſcribendi Eccleſiaſtica militiæ, eo tempore, capillorum noſtrorum præciſorum Epiſcopali manu, terrena omnia rejecimus, & ſolemniter Dominum partem hæreditatis noſtræ, & calicis noſtri adoptavimus; abſque periculo ſplendoris noſtræ lampadis ad curas terrenas redire nobis non licet.

Et-

Et enim, ſicut Hieronymus noſter, in hanc rem ad Nepotianum Clericum loquitur, Propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel ipſe Dominus ſors, ideſt pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, vt & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino. Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi quippiam aliud habere poteſt præter Dominum, pars ejus non erit Dominus; verbigratia: ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſsiones, ſi variam ſuppellectilem, cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. *Ita ille, qui mox ſubjungit*: Obſecro itaque te, & repetens iterumque moneo, ne officium Clericatus, genus aliquod militiæ putes, ideſt, ne lucra ſæculi, in Chriſti quæras militia; ne plus habeas, quàm quando Clericus eſſe cœpiſti, & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. *Et paulo poſt*, (*quod niſi ipſe diceret, forte ſubticerem*) *ita proſequitur*. Ignominia Sacerdotis eſt, proprijs ſtudere divitijs. Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix miljo, & cibario pane rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam, & mella faſtidio. Novi & genera, & nomina piſcium, in quo littore Concha lecta ſit, calleo, ſaporibus avium diſcerno provincias, & ciborum meraritas, ac noviſsimè damna ipſa delectant. *Ita ille; ad cujus integram Epiſtolam, vos, brevitatis gratiâ libenter remitto, cùm tota de re Clericali habeatur. Et, vt adhuc meliùs nobis innoteſcat, quanto & noſtro, & omnium aliorum præjudicio, talibus ventorum injurijs, ſplendorem Sacerdotalis lampadis imminui permittimus, Romanus Pontifex Gregorius, (& eo nomine noſter etiam, quo Illuſtriſsimos eius nepotes Frangipanicos Dinaſtas, qui nuper virtute faſtis æternis celebranda, Regnum Hungaricum Regi ſuo, Regemque Regno, impia Tartarica feritate prope extincto, vindicantes, Cives noſtri eſſe voluerunt.) Homilia 17. in Lucam quid deploret, audiamus*: Nullum, ait, puto, Fra, tres chariſsimi, ab alijs majus præjudicium, quàm à Sacerdoti-

bus tolerat Deus; quando, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus; ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus: & quia eò ipso, quò cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet, majorem licentiam habemus: susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum; Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis artibus implicamus. *Hæc Gregorius.*

Nec vento curarum terrenarum, sed & aquis voluptatum carnalium funestatur sacerdotalis lampas, & miserandum in modum extinguitur, vt meritò sacerdotali nomine inclamet Regius Vates: Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ vsque ad animam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia. *Etenim Sacerdos voluptatibus carnis immersus, tanquam in luto aquarum multarum, non habet aliquam splendoris substantiam; amissa quippè puritate, qua sola divino dignatur intuitu, volutabrum immundatiarum efficitur; certum enim est teste Apostolo*, cùm quis adhæret meretrici, vnum corpus fieri cum meretrice; *at si vnum corpus sit cùm meretrice, ergo nulla remanet substantia Sacerdotalis eminentia, cùm fœmina incapax habeatur Sacerdotij Evangelici: quin imò simpliciter etiam polluta, Vestalium Romanarum exemplo, ab aris repellebatur æternùm, & crudelissimo mortis genere extinguebatur. Sed ne vobis sermone meo tædium pariam, Hieronymum nostratem ex eadem Epistola audiatis*: Hospitiolum, inquit, tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec Sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd Paradysi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet frater assistat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet a-

Ps. 68.

p. Cor. 6.

apud

pud omnes fidei. Quòd si hujusmodi non fuerint consanguinitatis, castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant in ministando, vt infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam convaluisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculosè tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. Si, propter officium Clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acolitus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus, nec calamistro crispent comas, sed pudicitia habitum polliceantur. Solus cum sola, secretò, & absque arbitro, vel teste, non sedeas. Si familiariùs aliquid est loquendum, habet nutricem majorem domus, virginem, viduam, vel maritatam; non est tam inhumana, vt nullum, præter te habeat, cui se audeat credere. Caveto omnes suspiciones; & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. *Hæc conterraneus nobis, & Presbyter Hieronymus, post quem parentem meum Augustinum, tanquam proprio malo gnarum, quid periculorum fœminea habeant commercia, vobis in exemplum adduco: Ille enim fœminarum omnium, & in eis sororis, & fratris filiæ contubernium, familiaritatemque constantissimè evitavit; quippè qui diceret*: Etsi propinquæ mulieres suspectæ non essent, tamen, quæ ad eas ventitarent, posse suspicionem efficere.

Et vt sermoni finem imponamus, illud identidem cum veritatis Magistro ex Evangelio inculco, Vide *Sacerdos,* ne lumen, quod in te est, tenebræ fiant. *Iudas, Sacerdos, Apostolus, quin etiam Episcopus fuit, avaritiæ tamen vento lampade extincta, Episcopatum, Apostolatum, Sacerdotium, & animam ipsam perdidit. Tertullianus, Doctor antiquissimus & doctissimus, levissimo vento invidiæ Romani Cleri afflatus, tanquam stipula ante faciem venti, extincta lampade, tenebris occidit æternis. Arius, Sacerdos Alexandrinæ Ecclesiæ, vanitatis vento agitatus, quàm pestilenti fumo post extinctam lampadem* Luca 11.

Evangelicam, Orbem Christianum infecerit, plurium saculorum ruinæ testantur. Sergius Monachus, idemque Sacerdos, luto aquarum multarum obruta lampade, teterrimum torrem impurissimum Mahometem, tot Regnorum & Imperiorum eversorem, (quod nulla terrarum pars ignorat) in orbem Christianum intulit. Hugonem totius Germaniæ primatem, Magdeburgensis Ecclesia diù sanctissimum Præsulem habuit, quem tandem, ludo carnis illudentem Deo, sibique, lutum infernalium aquarum maximè terribili in omne ævum modo ingurgitavit. Et quod non absque lachrymis experimur, vastitatem nuperrimam Hungariæ, Divinæ justitiæ rigor, ex fœtore trium impurissimorum Præsulum, testimonio Sancti Viri pluribus adhuc viventibus cogniti, maturavit. Luceat ergò lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est. ita tamen, vt qui stat, videat, ne cadat.

Mat. 5.

1. Cor. 10.

Ita suos allocutus traditur. Decreta porrò Synodalia mira dexteritate in mores induci curabat, jugum Domini esse suave probans, innata sibi discretione, & affabilitate, preciosissimis dotibus majestatis Episcopalis, adeò vt neminem asperioribus verbis turbatum à se recedere, quantùm fieri poterat, pateretur; & si aliquando desperatam aliàs humano judicio alicujus emendationem in meliùs acrioribus verbis perstringere cogebatur, id ea benignitate & verborum placiditate statim condiebat, vt desperatis etiam morbis medelam adinveniret. Viscera charitatis ergà omnes indigentes habuit effusissima perpetuò; neque enim nisi necessarijs sustentationi suæ, & familiolæ admodum exiguæ servitio suo dicatæ, retentis, ex affluentissimo sacro proventu, reliqua omnia, Christi pauperibus, hospitibus, & peregrinis, volebat esse communia. Quin etiam quotannis in publica concione coram Clero, & populo, accepti & dati rationem minutissimam & distinctissimam consueverat exhibere. Non defuit interim fabricæ Cathedralis Ecclesiæ à Timotheo, vt diximus, promotæ, quam licèt ad summum fermè culmen perduxisset, nullibi tamen insingnia gen-

tilicia

tilicia, aliorum more, sculpi sicut nec sacræ suppellectili, altariumque ornamentis, quibus omnibus munificentissimè prospexit, incidi, vel assui permisit: cùm diceret, *impostoras esse ejusmodi memorias in ijs, quæ Christi hæreditate, non gentilicio patrimonio, ex officio boni Pastoris parabantur.* Addebat insuper: *rapinam committi sacrilegam, quando personæ, Christi sanguine, & pauperum laboribus ditatæ, res etiam Deo per se dicatas, familiæ signis, & suis nominibus, ac titulis insignirent.* Nec tamen damnabat exempli boni gratiâ illorum Prælatorum factum, qui vel proprio patrimonio, vel sobrietate, aut aliqua alia honesta industria quæsita donaria, suis memorijs consignarent. Diœcesim suam, ab oriente in occidentem, sicuti etiam à septemtrione in meridiem dierum quinq; itinerationis, invisit quotannis, & plerumquè pedester; neque in adeundis piorum domibus aliqua locorum distantia, asperitate montium, sive populorum ferocia, cessit laboribus vnquam. Occurebant illi pauperum, debilium, ac infirmorum turbæ, ij ex Pastorali benedictione incolumitatem, illi ex largitate piæ dexteræ, vitæ subsidia imploraturi, quos omnes mira charitate exceptos, & sermonibus, & factis expediebat paternis. Observatumque fuit, innumeri licèt ad eum egentes accederent, neminem fermè vnquam ab eo recessisse sine necessario subsidio. Illud quoque pro certo habitum esse: cùm tantæ profusioni redditus Episcopales, amplissimi licèt, minimè responderent, illius providentia nihil ipsi defuisse, cujus ope millia turbarum, ex paucis panibus & piscibus, in desertis locis abundè quondam satiari consuêvere. Hinc familiaribus ex exiguo penu minus prompte Sancti Patris imperia ad succurrendum egenis, exequentibus, inculcare solebat; *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Iustum autem inde cognosci Prælatum, *si Christi pauperibus, Christi sanguine parata promptè communicaret.* Quoniam autem gratia curationum, quam ex illius dexteræ tactu, sive benedictione populi experiebantur, omnia pasim loca

psal. 36.

etiam remotiora pervadebat, ipse humilitatis eximius cultor, talem declinandæ popularis auræ modum excogitavit, vt in meditullio fermè suæ ditionis, arbore Tilia manu sua plantata, & fusis ad Deum precibus benedicta, suaderet Populisj, ejusdem arboris folijs pro remedio morborum vterentur. Et suasioni respondit ad preces Sanctissimi Patris, misericordiarum Patris annuentia, eadem arbore integra, viridique supra trecentos annos, inter assiduas fermè impiorum per ea loca excursiones, ramos saluberrimos expandente, & folia toties quoties decussa fuerunt, pietati incolarum sufficiente: à quibus Sancti Augustini Tilia denominatur. Quo nomine, in Vgrocienſi Parochia, vocitatur adhuc ad Parochialem Ecclesiam deducens semita, vel quia manu fortè ipsius fuerit aperta, vel ipsius jussu commoditati populorum directa. Stetit arbor sacra per trecentos annos, vt diximus, perpetuò revirescens, ad oppidum à centum annis à Turcis occupatum, Cernik appellatum, ipsis hostibus fidei veneranda; à quibus cùm ingentes faces ad imum truncum votorum assequendorum gratiâ perpetuò accenderentur, igneo fervore radicibus emorientibus, ante viginti annos corruit; ita tamen, vt ex radicibus ipsius, antequam penitus arescerent, nova Tilia succresceret, pari veneratione Turcis æquè ac Christianis, assiduè cum adhuc proximè adiacenti trunco culta: propè quam Christiani sacellum quoq; minimè contradicentibus terræ dominis Maometanis, excitarunt, illudq; Franciscanis ex proxima Bosna eò adventatibus curæ demandarunt. Charitatis inter oves sibi commissas procurandæ servandæque nullum finem faciebat, præsertim cùm ea tempestate magnæ dissensiones animorum inter primates regionis, maximo detrimento boni publici, incendijs, rapinis, alijsque lethalibus injurijs alerentur. Extant hodie plura publica documenta conciliatarum invicem plurimarum nobilissimarum familiarum, opera Sancti Viri, apud aliquos Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, atque Sclavoniæ Nobiles; præsertim verò apud Nobilissimos totius

orbis-

orbis Christiani Comites Frangipanicos, ſobolem vetuſtiſsimæ gentis Aniciæ Romanæ, vt diximus. Apud cujus heroicum germen, Nicolaum, vidi nuper nobile monimentum compoſitionis, mediatore Auguſtino factæ, inter Magnificos viros Stephanum Banum Sclavoniæ, Joannem, & Radozlauum Comites Fratres, ſuper triceſimarum quarundam perceptione, & abolitione, nec non ſuper diviſione tributorum provenientium in Zteniſniak, & Zamobor. Hoc tamen in genere ſupra modum eluxit charitatis ejus excellentia, cùm Regni Hungarici Status à multis annis funeſtiſsimis cladibus diſsidentes, vt ſupra peſtrinximus, ad vnius legitimi Regis Caroli obedientiam pellexit. Etenim quamvis clauſa periodo decimitertij Chriſtiani ſeculi, Bonifacius Octavus, vt dictum eſt, Nicolaum Cardinalem Oſtienſem, Legatum ſuum, pro reducendis Hungaricis ſtatibus ad obedientiam Caroli Principis Andegavenſis, tanquam prolem Mariæ filiæ Stephani, ſororis autem Ladiſlai vltimi Hungaricæ ſtirpis maſculæ, Caroli autem Siciliæ Regis vxoris, deſtinaſſet in Hungariam; irrito tamen conatu in magna Regnicolarum turbatione, competentibus ſacram Coronam Venceſlao Rege Bohemiæ, & Otthone Duce Bavariæ, quorum vterque eandem, ſolemni pompa, ſuarum factionum contentione, ſed infauſto fine obtinuerat, (altero in Bohemiam metu Bavari fugiente, hoc verò à Ladiſlao Ttanſylvaniæ Præfecto carceribus mancipato, ac Regno denique expulſo) per novem integros annos Carolus Regno avitico exulabat. Quamobrem Clemens Papa Quintus, qui Benedicto ſucceſſerat poſt Bonifacium, Gentilem Cardinalem ex familia Minorum lectum, anno octavo quintidecimi ſeculi legavit ad Hungaros, virum magnæ pietatis, & prudentiæ. Qui Spalatum in Dalmatiam veniens, Regnicolarum animos Carolo conciliare aggreſſus, poſtquam ibi res ſuccedere pro voto cognovit, in Croatiam progreditur, mox Zagrabiam adeundo, Auguſtinum & laborum comitem, & conſiliorum directorem, tanquam virum in magna ſanctitatis

opini-

opinione, Hungarici negotij cooperatorem futurum, Budam Regni ſedem abduxit; vbi anno integro ſedandis Regnicolarum animis abſumpto, indicto denique Statuum omnium ſolemni Conventu, veteri gentis inſtituto, in Campo, qui vocatur Rackos, ad ripam Danubij, propè Civitatem Peſtanam, vbi frequentiſsimo poſtquam concurſu cuncti adfuere, Auguſtinus, juſſu Legati, tali modo peroravit.

Poſtquam Dei gratia, Legati authoritate, afflictiſsimæ Patriæ conſulturi, in hunc locum, ab exordio Regni Hungarici, publicis negotijs agendis adoptatum, convenimus; cùmq; mihi omnium aliorum minus apto, ſed, qui nihilominus in promovendo publicæ rei noſtræ bono, ardore, & ſtudio nulli facilè ceſſerim, dicendi provincia demandetur, nequaquam diſerta ſed fortia ſectando, juxta Sancti Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi ſententiam, poſthabita omni verboſitate, & omni eloquentiæ lenocinio, vt Epiſcopum decet, brevibus demandatam provinciam expediam: præſertim, quia in conſpectu Sanctiſsimorum Antiſtitum, Sapientiſsimorum vniverſi Regni Procerum, nec non lectiſsima Regnicolarum Nobilitate, perſtrinxiſſe potius quàm exaggeraſſe rem, ſatis ſuperque expoſuiſſe illam, perſuaſum jam mihi habeo. Quod me præſtiturum exiſtimo, ſi priùs aliqua de Plebis petulantia, cujus impetu Regnum diſtrahitur ampliſsimum, tùm de authoritate Romanæ Sedis in ejuſmodi occaſionibus, deniq; de jure optimo Caroli Regis in Sacram Noſtram Coronam Hungaricam delibavero. Et quidem quo ad primam partem, ſatis exploratum eſt omnibus, annum jam nonum ab eo tempore, quo Bonifacius Octavus Romanorum Pontificum Sapientiſsimus, Legatum ad haſce partes ad inſtantiam ſanioris partis Regnicolarum, poſt mortem Andreæ, vltimi Regis ex Regum noſtrorum ſtemmate ſuperſtitis, miſit, communem hanc noſtram Patriam, ad inſtar Oceani, adverſis ventorum procellis ab imo agitari, turbariq;. Cauſam quoquè rei non eſt cur refricem, tanquam omnibus apertiſsimam, cùm nempe bonus Cardinalis, Sacrorum Præſulum, & Optimatum, nec non melioris Nobilitatis voto ſollicitatus, nullu modum conciliandi animos aliquorum Clericulorum, & Hungaricæ Ple-

beculæ potuisset invenire, Censuris Ecclesiasticis, potiùs quàm armata vi, vt Ecclesiasticum ministrum decebat, interdicto Sacrorum vsu, ad sanam mentem reducere conatum fuisse. Nec novo quidem exemplo, sed per vniversum Christianum Orbem, ejuscemodi malo, aliisque similibus sanandis, ab Apostolica Sede semper vsitato. Verùm talis medicina salutis loco frenesim inauditam excitavit; vt observatum est à Medicis in iis corporibus, quæ malo congruentes medicinas vel non admittunt, vel eo, quo deberent modo, iis non vtuntur. Nam, vt paucis concludam, quod longo tempore mirabundi suspeximus, & suspiravimus, Clericulorum turba plebis armata furore, pestilentem Virum in medium eructando, Apostolicam Sedem, quæ à nemine judicatur interris, anathemate se percussisse, strepitu campanarum censuit, efficta causa, quasi Romanus Pontifex, electionem Regis Hungariæ, Statibus Reipublicæ Hungaricæ perpetuò liberam, violenta, vt jactabant, intrusione Caroli Andegavensis, violasset. Atque talis insania eò vsq; processit, vt diversis aliis Principibus in Regnum hoc ad Sacram Coronam evocatis, octo annis integris, Pannonicæ Reipublicæ viscera suorum gladiis foderentur. At quæso, paululum mecum, Sapientissimi Auditores, recogitate, an vllo vnquam tempore, turbæ, nisi turbis excitandis, rebusq; publicis, & quietis turbandis, & festæ pacis centro excitandis potuerunt esse aptiores: vel ex eo, quia turbarum, & turbulentiarum infaustissimarum nomina, ab ijsdem turbis emanarunt. Quippè ad res agendas nihil ineptius turbis, quæ, si aliquando veritatis, ipsius, Christi videlicet Servatoris nostri, monitis audiendis allecta ad illum voluit accedere, non nisi compressione, & offensione cœlestis Magistri id tentavit, irruendo nempè in illum, vt tradit Evangelista. Luc. 5 *Et si idem aliàs omnipotens, verùm vt homo, ne ab illa penitus opprimeretur, alium modum non censuit expeditiorem, quàm, vt se in naviculam, quæ erat Simonis Petri, inter multas alias in littore Genez areno existentes, reciperet, & rogaret per eundem Petrum paululum à terra abduci. Etenim nec ipsam pietatem, absque ireverentia, & vitio inhumanitatis turba novit exercere. Vnde Matth: nono, scribitur Dominus noster aliquando* Mat. 9 misericordiam turbam: *Sed qualem? iacentem, inquit E-*

vangeliſta, & tanqnam oves ſine paſtore. *Cogitate qualis ſit turba præſtantiæ, quæ ovibus ſine paſtore, huc illuc diſperſis æquiparetur. Quod ſi impia in Chriſtum, & jacens tanquam oves ſine paſtore turba deſcribitur in Evangelio, non mirum, ſi in eiusdem Chriſti Vicarium, & in navicula Petri Succeſſorem, paſtoris abiecta reverentia, tali freneſi, qualis à Chriſti Monarchia fundanta nunquam fuit audita, ſævierit, vt noſtis. Noſtis autem pro veſtra ſingulari eruditione, Auditores Sapientiſſimi, ex Euſebio in vita Conſtantini*: Multiplex Imperium, quo omnibus hominibus datur æqualis dignitas, æquale ſuffragium, quodque cum Monarchia ex adverſo pugnat, confuſionis, ac ſeditionis potiùs, quàm Regni nomen mereri. *hinc vetuſtiſſimum decus Philoſophorum præſtantiſſimus Ariſtoteles, Ethicocerum libro octavo capite primo, cenſuit*: Populi potentiæ tranſgreſsionem, pejorem eſſe Tyrannide; *nam, vt idem ait: peius eſt, ſi multi, quàm ſi vnus, vel pauci dominantur. Seneca*, Populum, vitiorum ſuaſorem, authoremque, *teſtatur. Plato*, ventrem ignavum. *Plutarchus*, effrænem & præcipitem Equum. *Cicero*, Turbam, fervens & æſtuans mare. *Aliquando cùm interrogaretur Diogenes, quid eſſet eſſe Sapientem, reſpondit*: à vulgi ſententia diſcedere. *Chryſippus porrò ita argumentatur, & quidem ad rem noſtram ſapientiſſimè*: Si, *inquit*, Populus philoſophari non poteſt, quantò magis rebus Diuinis, ſacriſque legibus tractandis erit ineptus. *Et ſicut ſcripſit Laertius libro 7. capite 2.* Putabimus, plebem, Theologiæ Sacrum dogma poſſe moderari? *Quamobrem, ſi jure merito Anacharſis indignabatur, in Gracia* populum canendi inſcium, in theatro de muſicis judicare; *nos, vt Laertius idem libro primo capite nono ait: nos, inquam*, plebem ſacrarum literarum rudem, de ſanctiſsimis Religionibus judicium facere pateremur? *Si Apius Claudius, Romanos inter Senatores ſapientiſſimus, indignè ferebat, Scipionem Æmilianum, à laniis, & tonſoribus, in Cenſuram promoveri, quantò magis indignè ferendum, ſi Sacerdotia, ſi Magiſtratus, ſi Sacer Ordo, ſi Regnorum diſpoſitiones, & Sanctiſsimarum Legum diſcuſsiones ſordidæ turbæ exponantur cenſuræ? Imò*, ſi

quos

quos seorsim evocatos, vt Cato Major ajebat, in consilium rei suæ nemo sanus adhiberet, ab ijs in turbam coactis, responsa Religionum dare quis mente sanus admittet? *Idem, qui supra, Seneca, capite secundo de Beata vita*; argumentum pessimum turbam, *pronunciavit. Et vt ad nostra Philosophia magis facto, quàm dicto illustratorem accedamus: Polycarpus Martyr, idemq; Ioannis Apostoli discipulus, aliquando jussus à Proconsule, vt narrat Eusebius lib: 4. hist: cap: 15. rationem sui Populo dare, Prætori se dixit daturum, nam* Populo frustra dari, quem negaret duci posse ratione. *Addamus nostra Religionis Philosopho, innumeris alijs brevitati condonatis, nostra gentis non insipientissimum Principem, quamquam revera crudelioris animi nota meritò ab omnibus perstrictum, Diocletianum: Is cùm Senatus Romanus decrevisset persecutionem contra Christianos, penultimo ipsius Imperij, hoc est vndevigesimo anno, acclamante Populo in circo, vt Christiani bestijs subijcerentur, pronunciavit:* Vanas Populi voces minimè audiendas. *Sed rem, vt cupimus, Christi claudamus exemplo. Ipse Dei Filius, cùm minimè dedignaretur Nazareno computari populo, & vnus Nazarenorum Civium haberi, essetq; in omne commodum, & beneficium Civium suorum intentus; attamen, quale precium pro tali gratia à Civibus ipsis recepit? Furore Populari ducitur ad supercilium montis, ex eo præcipitandus, Evangelista teste.* Luc, 4. *Et mirabimur, turbam Vngaricam brutorum more in Christi sæviisse Vicarium? Turba autem facinus contra pia sensa Sacrorum Antistitum, Illustrissimorum Procerum, & sapientissimæ Nobilitatis, sacrilegium absolutè fuisse, cùm certò certiùs cognoverimus quotquot hic adsumus, vel ex eo nihil immorandum suadet ratio, vt turbarum turbulentas vanitates, & falsas insanias proturbando, nos de nostra Republica, imò de salute nostra, liberè sanctèq; deliberemus, & à vulgi sententia recedamus, nos Sapientes esse ostendamus.*

Iam de authoritate Romanæ sedis, cùm coram ijs loquar, quos, ne quidem susurrus ab obedientia, & illius reverentia ausus est pertentare, non solùm ab eo tempore, quo gens Vngarica, adeo strictè ipsius veneratione adhæsit, vt inter omnes Christiani Orbis Reges solus Vngarî-

cus Apostolicus, & Sedis Apostolicæ à Latere, vt ajunt, Legatus, singulari prærogativa per Sanctum Stephanum in omnes successores perpetuò transfusa dicatur, & habeatur: sed ab ipso ortu Christianæ Reipublicæ, quo Paulus Apostolus Illyricæ nationi Evangelicæ face præluxit, relicto in Pannonijs nepote ex sorore, Andronico Episcopo, vnde & primatus Ecclesiarum amplissimæ gentis Illyricæ per plura secula in Sirmiensi stetit Ecclesia: superfluum ducerem omnino quicquam effari; nisi cœlum hoc, turbine turbantis omnia turbæ, aliquando infectum pertimescerem. Quamobrem consueta brevitate, aliquot sacræ Scripturæ loca vobis ignota minimè, attingam, quibus constans omnium Sanctorum Patrum sensus, & consensus, authoritatem Ecclesiasticam, superiorem potestati sæculari, in Ecclesia Dei stetisse semper, subscripsit. Hinc nullus eorum, quorum nomina studio brevitatis, tanquam vobis notissima, prætereo, dubitavit vnquam, de Ecclesia intelligenda esse illa verba Ieremiæ: Domina gentium, & Princeps Provinciarum. *Et Ezechielis*: Suscitabo Pastorem vnum: *Apocalipsis*: Qui vicerit, & custodierit opera mea, in finem, dabo illi potestatem super gentes, & reget eos in virga ferrea, & tanquam uas figuli confrigentur, sicut & ego accepi à Patre meo. *Isaia*: Gens, *ait*, & Regnum, (*alloquendo Ecclesiam*) quod non servierit tibi, peribit. *Davidis*: Gladij, *inquit*, ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes, in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. *Inde apud Lucam in Collegio Apostolico duo gladij approbantur. Et vt missas faciamus alias veteris paginæ authoritates, Hieronymus noster, quem in explicandis Sacræ scripturæ sensibus Doctorem maximum à Deo sibi provisum profitetur Ecclesia, illa verba Ieremiæ*, Ecce constitui te hodie super gentes, & super Regna, vt evellas, & destruas, & dispersas, & dissipes, & ædifices & plantes, *ad Christum, & Ecclesiam pertinere, disertis verbis explicat. Quamobrem Christus ipsemet præcipit Petro*: Pasce oves meas, *idest vniversum gregem Ecclesiasticam*; *et*, pasce Agnos meos, *idest*

Thren. Ezech. 34. Apoc. 12. Isa. 60 ps. 49. Luc. 22 Ier. 1. Io. 21.

Principes gregis Ecclesiastici, juxta Patrum explicationem. Novimus quidem à Christo fundatum Ecclesiam supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, *quando tàm Petro, quàm reliquis omnibus Apostolis æquam ligandi, solvendiq; potestatem dedit ante passionem, & resurrectionem suam, sicuti resurgens à mortuis, ijsdem omnibus Spiritum Sanctum inspiravit, eos denique cùm omnimoda potestate sine vlla differentia inter Petrum, & alios, ad baptizandas omnes gentes per orbem terrarum destinavit. Attamen supremam potestatem pascendi* Oves, *qui sunt Christi fideles, &* Agnos, *qui sunt Principes fidelium, vt diximus, absque multitudine aliorum Apostolorum, præsentibus tantumodo Thoma, Nathanaele, duobus filijs Zebedei, & alijs duobus ex discipulis, quinque nempè testibus, & Ioanne sexto, vno ex filijs Zebedei, tanquam loco scribæ adscito, soli Petro voluit demandatum. Hinc Paulus scribens ad Corinthios :* Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur. *Ad Romanos verò:* Omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta est. *Et alibi:* si Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia ? *Ipse porrò Petrus in sua Canonica:* Vos, *inquit*, estis Regale Sacerdotium. *Item:* gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu, Domini nostri, quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, (*græcus textus habet, potestatis suæ*) quæ ad vitam, & pietatem donata sunt. *Sed & Patres sanctissimi, à Christo ad nostra vsque tempora constanter tenuerunt, & docuerunt, Episcopis, & Summo Romano Pontifici competere, & esse, in omnia temporalia, Regiam, & supremam potestatem: quod tamen ita intellexerim, vt non directè habeat jurisdictionem temporalem in illa, sed indirectè; quatenus nimirum est necessarium ad finem Spiritualem, & salutem animarum, sicuti planè nunc contigit in hoc nostro Regno. Ita Dionysius ad Demophilum c. 3. de Ecclesiastica Hyerarchia. Ignatius ad Philadelfenses, ad Smyrn. & ad Tralianos. Ireneus lib. 4. cap. 44. Clemens Alexandrinus lib. stromatum, Cyprianus Epistola 69. ad Ruffinianum, Arnobius in psalmum 139. Athanasius oratione secunda Contra Arianos, Nazianzenus orasione 18. Ambrosius 1. ad Corinthios cap. 3. Hieronymus in Isaiam*

Ad Eph. 2. Mat. 18. Io. 20. Mat. 28. Ioan. 21. 1. ad Cor. 2. ad Rom 13. 1. ad Cor. 4. 1. Pet. 2.

cap.

cap. 60. Chrisostomus lib: 3. de Sacerdotio, Epiphanius hæresi: 29. Cyrillus Alexandrinus in libr: Thesauri, Augustinus in Apocalypsim prope finem, Paulinus ad Citerium, Cassiodorus Epistola 4. libro 1. Gregorius Magnus in quartum Psalmum pœnitentialium, Angelomus lib: Regum 1. cap. 2. Rabanus de institutione Clericorum, Anselmus super Epistolam 1. ad Corinthios 3. Ottho Frinsingensis lib: 3. cap. 36. Bernardus lib. 3. cap. 8. ad Eugenium, Iidem docuere ij omnes, quos Scholasticos appellamus, imprimis autem Magister meus Thomas de Aquino, & Bonaventura de Balneo Regio. Concilia Nationalia, vt Toletana, & Rhemensia, clarissimè super hoc decrevere. Sed quid, quod tot scripturis, Patribus, & Doctoribus accedunt facta ipsa scripturas explicantia? Etenim habemus apud Zonaram, Anastasium Imperatorem non ante fuisse coronatum ab Euthimio Patriarcha, quàm scripto polliceretur, se in Fide Catholica permansurum. Clodovæus Trarcus, occupatis Gallijs, anthoritate Romani Pontificis Hormisdæ, à Remigio Rhemensi Præsule coronatus, ex ipsis Francorum scriptoribus habetur; sicut ex Hispanicis, Isidoro præsertim, Roderico, Visigothos Reges, qui regnarunt apud illos, per Episcopos ad Regna assumptos, ac etiam Solio deturbatos. Chilperitum Regem Francorum, ob stupiditatem, à Zacharia Romano Pontifice gubernaculo Regni submotum, Pippinumque Regem suffectum, ejusdem gentis scriptores fatentur. Et quod maximi momenti in hoc genere cognoscitur, certissimum est, plurimorum scriptorum testimonio, Eginarti autem omnia spectantis imprimis, à Leone tertio Romano Pontifice Pipini filium Carolum Imperatorem Romanum creatum, à quo ad nunc Imperantem Henricum nostis neminem pro Imperatore legitimo habitum, qui manu Papali non sit consecratus, sed quousque coronaretur, Imperator electus dictus & habitus est. Scitis autem Henricum tertium à Gregorio septimo privatum Imperio, ab omnibus derelictum, privatum, & insepultum jacuisse. Ottonem quartum ab Innocentio tertio depositum, sicuti & Fridericum secundum à quarto Innocentio, à quo Portugallia Regi curator est assignatus. Regnum enim Portugallia, sicuti & Scotorum, & plurima alia, beneficiaria sedis Apostolicæ dignoscuntur. Sed ad nostra veniamus. Quamdiu

diù Reges Dalmatiæ, & Croatiæ, per sexcentos fermè annos regnarunt, ab Heraclij Imperatoris temporibus, ad nostrum Sanctissimum Regem Ladislaum, semper beneficiarij, semper tributarij Sedis Apostolicæ fuerunt, sicuti & Bani Bosnenses, tanquam dictorum Regnorum membrum idem adhucusq; exequuntur. Patrum nostrorum memoria Dynasta Serbliæ, & Rasiæ, Rex ab Honorio tertio nominatus, & titulum Regium, & Regnum ipsum ad præsentes posteros fœliciter transmisit. &, vt finem huic rei faciam, ipse Sanctissimus Apostolus Vngariæ Stephanus, de cujus successore agimus, à Romano Pontifice Sylvestro secundo, Rex est declaratus, & perpetua legatione Apostolica decoratus. Quod si fatemur in fonte, cur non admittemus in rivulo? ita tamen, vt inde libertati illi perpetuæ, qua Vngari suos Principes eligunt, independenter à qualibet alia potestate, nullum præjudicium oriri profitear. Nulla itaque dubitandi superest occasio, quo jure Romanus Pontifex Vngarica disidia miseratus, sanioribus & potioribus etiam Vngaris id exposcentibus, Carolum, authoritate sua, tanquam vniversalis Pater, & Iudex supremus, tuendum in Regno jure sanguinis sibi debito susceperit. Iure autem sanguinis, eoq; optimo, super alios competitores, Carolo deberi Diadema aviticum, sole meridiano clarius est. Cum matrem habuerit Mariam Stephani V. Vngarorum Regis filiam, sororem Ladislai Tertij, & vltimæ ex Bela propaginis sacra masculæ Vngaricæ. Venceslai Bohemi conditionem longè diversam esse, non est cur ambigamus, quippè quem ex filia filiæ Belæ Quarti natum agnoscamus. Bavarus Ottho, quo glutine stemmati nostrorum Regum possit aglutinari, nequaquam mihi probatur. Sed Caroli juribus illud quoque, idq; rarum in terris additur, quòd ipsius stemma, Cœlo teste, ex Sanctissimis Regibus nostris profluere comprobatur. Vt enim Bela Quartus ipsius Proavus Elizabetham sororem, Germaniæ, aliam Elizabetham ex alia Sorore neptem, Hispaniæ, Margaretam filiam, Dalmatiæ, (tanquam concivem meam, Tragurij nempè editam,) Cinegundem aliam filiam, Poloniæ, sanctitatis gloriæ syderibus insertas, produxisse latatur; ita ex Maria Nepote Mater Caroli nostri, Ludovicum Sanctissimum Tolosæ Præsulem, primò Italiæ, in qua vitales hausit au-

ras, demum Gallia, ex qua ad æternitatis evolavit præmia, Caroli noſtri fratrem, ſtirpem agnoſcit ſuam. Perinde ſicuti Cœlo, Terraque acceptiſsimus; Francorum Regum præſtantiſsimus Ludovicus Nonus, qui ab adoleſcentia ſua ad vltimum vſque ſpiritum, nunquam ſibi, ſed Chriſto militavit, Regem noſtrum Carolum, per fratrem Carolum pronepotem ſuum, Statibus inclyti Regni Vngarici ſceptris ſacratiſsimis tractandis natum, poſteritatem ſuam fatetur, ſic & commendat. Addo præterea, quod omnibus eſt liquidum, Carolum Regem noſtrum nunquam ſe Vngarico Regno obtruſiſſe, quippè cui tanquam primogenitæ proli Parentis ſui Caroli Secundi, fœliciſsimum totius orbis Regnum Siciliæ naturali prærogativa deſtinabatur: ſed (vnde ipſi immortales gratias habere debemus, & agere,) ab melioribus Senatoribus ſollicitatum, juſſu Romani Pontificis, labanti Vngariæ, & alienis nationibu in prædam concedenti præſtò futurum, poſthabito nobiliſsimo & ditiſsimo Siciliæ Regno, adcurriſſe. Quæ vt benè nota omnibus, ſicuti initio ſum præfatus, fortioribus, quàm diſertioribus argumentis, quemadmodum decet Epiſcopum, cùm hactenus innuerim, bonorum omnium votis, bono patriæ, juſtitiæ ipſi, Romani Summi Pontificis, ejuſq; hic adſtantis Legati monitis, feciſſe ſatis non dubitaverim. Auditus vix Auguſtinus, tanquam Angelus è Cœlo lapſus, omnium voces in Carolum fauſta præcantes cojuerunt, nemine prorſus, qui reclamaret, invento; quare mox Albam deductum, more majorum, ſacro Diademate coronatum adoravere venerabundi. Peracta coronatione tàm Legatus Apoſtolicus, quàm Auguſtinus, inſtante Rege, & optimatibus, hæſere aliquandiu in Vngaria, donec facies Eccleſiaſtici Ordinis priſtino ſplendori reſtitueretur. Cujus piæ induſtriæ fructus, inter alios, extitit Eremitarum, ſub nomine, Sancti Pauli Primi Eremitæ, & præſcripto regulæ Sancti Auguſtini, ab Euſebio olim Strigonienſi Canonico, viro magnæ ſanctitatis, anteriori ſeculo magno bono Vngarico inſtitutum, per Legatum Apoſtolicum adnitente Auguſtino, confirmatio. Cujus piæ familiæ, Rex Carolus, & poſt illum, Ludovicus filius promovendæ, & Regia

tutela

tutela protegendæ, præcipuam curam ſuſcepere. At ne diutiùs Legati præſentia, & Auguſtini zelo Carolus cum Vngaris poſſent perfrui, Concilium generale à Clemente Quinto indictum, Viennam Gallicam Vrbem vtrumque pertraxit. Quo abſoluto, Auguſtinus ad Eccleſiam ſuam ſeſe recepit. Et quoniam inter alia Viennenſis Concilij decreta cautum fuerat, vt bona, ſæcularium violentia Eccleſijs adempta, eiſdem reſtituerentur, dum bonus Paſtor circa ſacrorum decretorum executionem ſatagit, (vt fert humanæ cupiditatis inſatiabilis conditio, omnia ſibi per fas & nefas vendicantis) præcipuæ Nobilitatis, & Dynaſtarum, qui tempore longi interregni, quæcumque liberent, licere ſibi perſuaſerant, animos in ſe concitavit. Præcipuus non ſolùm Auguſtini, ſed ipſius Dei apertus hoſtis extitit Mladinus, Dalmatiæ Croatiæque Banus. Is etenim cùm patri ſuo Paulo Bano ſucceſſiſſet, & vt majorum ſtemmatibus æque ac divitijs per ea tempora turgidus, (etenim non ſolum parens ipſius, ſed & avus ac proavus ex Banis Boſnenſibus deſcenderant,) Regia potiùs abſoluta, quàm Banali delegata authoritate, occaſsione turbarum Vngarici Regni, Dalmatiæ & Croatiæ dominio abutens, præſtantiſsimas quasque civitates, oppida, & arces, privato jure ſibi vſurpans, & à majorum pietate longè abhorrens, ſacris, ac profanis rebus manus injiciens, Tyrannus intolerabilis evaſerat; adeo vt Epiſcopos, Abbates, Abbatiſſas, alioſque Prælatos Eccleſiaſticos ſimplici nutu deponeret, inſtitueretque; bona Eccleſiarum pro arbitrio occuparet, diſtraheret, alienaret: pyratas magnis claſsibus ex Adriatico mari Italicis littoribus de prædandis emitteret: & vnico verbo, per ſummum nefas Eccleſiæ puritatem contemnendo, ex aliqua tinctura Sacrarum litterarum, quam ſibi pro ſumma ſcientia arrogabat, omnibus gravis, & exoſus habebatur; adeò periculoſo greſſu incedunt ij Principes, qui cum Saule ſacerdotale munus temerariè invadunt. Illum itaque Auguſtinus cùm tanquam ſui gregis diſsipatorem, &

Eccleſiæ turbatorem, ſæpiùs humaniſsimis alloquijs ad ſaniora conſilia capeſſenda hortatus fuiſſet, adeò parum profecit, vt eundem in deteriora ſemper prolabentem, infenſiſsimum hoſtem experiretur, eòque res deduceretur, vt nec Regia authoritate potentiſsimi Tyranni petulantia poſſet cohiberi. Ne porrò Sanctiſsimi Viri dignitas ab impio homine conculcaretur, ſanctumque canibus diutiùs exponeretur, divina diſpenſatione contigit. Etenim, cùm Robertus, Rex Nepolitani Regni, pro eo affectu, quo erga Catholicam ferebatur Eccleſiam, Lucerinam Civitatem à fœce Saracenica, quam impius Fridericus Imperator, idemque Siciliæ Rex, intra aliquas Civitates Neapolitani Regni intruſerat, inquinari ferret ægerrimè, (licèt in fine ante prioris ſeculi Luceriam ſub ſuum jugum miſiſset;) cumq; interea de Auguſtini Apoſtolico zelo fama latè volitaret, Robertus cum Carolo conſanguineo ita egit per Legatos, vt annvente Ioanne Vigeſimo ſecundo Summo Pontifice, Auguſtinus à vinculo Zagrabienſis Eccleſiæ abſolueretur, & Lucerinæ civitati Mahometico delirio expurgandæ paſtor præficeretur, & medicus, poſt quartum decimum annum in Zagrabienſi prælatura exactum. Iuſſu itaque Summi Pontificis, & annuentia Caroli Regis, ægre alioqui abſentiam tanti Viri à Regno ſuo ferentis, compendio viarum vſus Auguſtinus, deſcendit in Dalmatiam, transfretaturus inde in Apuliam, Traguriumque natale ſolum acceſsit; vbi cùm inveniſſet concives ſuos vnà cum Secenſibus Mladini partibus adhærentes, ejuſdem impietati cooperari, eos, quantùm potuit, ad pietatem revocare ſtuduit. At non ſolùm, juxta illud Domini, *Propheta non fuit acceptus in Patria*, ſed cum lachrymis ab illa excedens, prædixit adhuc ſe vivo pœnas ſoluturam civitatẽ vtramq;; ſubdens: *Ingrata Patria non habebis oſſa mea*. dictum comprobavit eventus, vt ſuo loco dicemus. Vt enim Illyricæ linguæ homines omnes naturali diſcrepantia animorum laborant, alioqui, vt ſcribit Herodotus, inſuperabiles futuri, & omnium gentium inexpugnabiles; ita Dalmatæ, ejuſce-

Mat. 13.

modi

modi morbo, atque inter Dalmatas Tragurienſes, & Sicenſes conficiuntur imprimis. Auguſtinus igitur emenſo Adriatico, non abſque lachrymis ob pervicatiam, vt ſibi amantiſsimæ Patriæ, ita Deo minus acceptæ, ad Lucerinam civitatem acceſſit. At priuſquam in illam pedem inferret, ſocio tantùm regulari, famulitij loco ſtipatus, genibus humi fixis, Deiparæ Virgini, erga cujus cultum Angelicæ vitæ puritate ſingulariter afficiebatur, patrocinio perpetuo, ſe, ſuosque novos labores commendavit; proteſtando, ſe, nullo modo ſibi, ſuiſque commodis conſulturum, ad eam Vrbem accedere: ſed, vt Chriſti ſanguine, viſceribus ejus intemeratis divinitùs creto, animas vindicatas, gloriæ Filij ſui, ejuſdemque piæ Matris, ijſdem annuentibus, & vires inepto alioqui ſibi ſubminiſtrantibus, reſtitueret. In quem finem nunquam ſe Luceriam Vrbem, in qua turpiſsimè Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, pridem occiderat, ſed Mariæ Civitatem, affulgente ſibi eadem Stella maris, vovit nuncupaturum. Quibus effatis, & intra mœnia admiſſus, Ioannis Summi Pontificis diplomate, & Roberti Regis mandato Civibus exhibito, ante omnia præcepit, ne alio quàm Mariæ nomine Civitas appellaretur. Qua duce, quanta ſexennij ſpatio præſtiterit, pro magnitudine rerum nullus ſcriptor extitit, qui ea memoriæ mandare fuerit auſus; hoc tamen citra controverſiam habetur: civitatem à Saracenis vt plurimùm cultam, vel à Chriſtianis, qui Saracenica vi preſsi, nihil vltra præter Chriſtianum nomen retinebant, brevi temporis ſpatio, Sanctiſsimi Paſtoris verbo, & exemplo, in eximiam Chriſti gregis caulam coaluiſſe. Inter præcipuæ Paſtoralis ejus curæ facta, fuit Fratrum Prædicatorum, tanquam Chriſti vineæ præſtantiſsimorum operariorum, introductio, ad quos eodem modo, quo dum Zagrabiæ ageret, Marthæ ſollicitudinibus fatigatus, Mariæ optimæ parti vacaturus, ſubinde ſeſe recipere ſolitus erat. Inter quos extremum quoque emiſit habitum, & cadaver humari abſque vlla pompa præcepit. Afficiebatur ſingu-

lariter erga Sanctorum virorum memorias, quorum æmulatione efflictiſsimè affectabat Martyrium. Vnde ſemper abſque vllo timore murum ſeſe pro Domo Dei oppoſuit, & circa Saracenos aggregandos Eccleſiæ, nullum periculum detrectavit. Quod etiam contra Mladinum Banum, aliosque fautores ipſius, opponendo ſeſe impijs eorum conatibus, in priori ſua fecerat Eccleſia, & præſertim in Vngaricis turbis componendis. Præcipua porrò veneratione colebat memoriam Sancti Petri Martyris, ante aliquot annos, ex ſua Dominicana familia ad cœlum martyrij palma evocatum; cujus integrum brachium Zagrabienſi Sponſæ relictum, adhuc in ea veneramur. Sanctum quoque Thomam Aquinatem, quem docentem audiverat, ſicuti puritate vitæ Angelicæ conabatur exprimere, ita zelo animarum lucrandarum, verbi Dei indefeſſa patientia æmulabatur. Cujus etiam gloriæ adaugendæ inter homines, cupidus, nihil omiſit, quò ipſius inter Sanctos viros relatio obtineretur à Sede Apoſtolica. Quam gratiam Deus illi ita conceſsit, vt antequam terrenam ſarcinam deponeret, eodem ipſo vltimo vitæ ſuæ tempore, Sanctum Doctorem ſuum, alijs Doctoribus in perpetua æternitate fulgentibus adſcriptum, lætiſsimus coluerit; illudque Simeonis juſti, (cujus venerandum corpus, ad admirationem, integrum in Iadrenſi Eccleſia magna pietate ſervatum, ſæpius coluerat) cecinerit: *Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace*. At Sicut Cycneum hoc carmen animo cecinit exultanti, ita Ieremiæ amaritudinibus ingemuit ingratæ Patriæ miſerias olim comminatas, ante fatum ſuum reapſe comprobatas. Etenim anno ante obitum ſuum milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo, cum Tragurienſes & Sicenſes cognoſcerent ſe ab Impio Mladino intolerabili tyrannide opprimi, excuſſo illius jugo, arma contra eum, Venetorum protectione freti, corripuerunt. Ille vetò ingenti exercitu comparato, integro menſe Sicenſes in credibilibus affecit incommodis, vniverſo illorum agro devaſtato, & in ſolitudinem redacto, vnde ipſimet Cives

Luc. 2.

nobile

nobile Monaſterium Sancti Andreæ, manibus Seraphici Patris Franciſci fundatum extra moenia Civitatis, ne hoſti foret munitio, ſolo æquare coacti ſunt; ſicuti aliud tale Deiparæ dicatum etiam ipſi Tragurienſes affecere; ruinis hucuſque factum atteſtantibus. Nec tot malis exſatiatus Tyrannus, evocatos ex Vrbe Sicenſi ſub fide publica Saracenum Michaelem, & etiam filios Eliæ Radovanerij, totius Vrbis primarij Civis, crudeliter in eodem agro gladio ſubjecit, ſicuti pridem cum Quarto eorum fratre captivo egerat. Inde ad campum Tragurij properans, conſimilis feritatis effectus in eoſdem patravit. Fuit attamen Sancto Viro aliquo ſolatio, quòd eodem anno, Proceres Dalmatiæ, atque Croatiæ, cum ipſo Paulo, Fratre Mladini, impatientes ejus immanitatis, armis mutuò ſumptis, Tyranni ſæuitiem ita depreſſerint, vt captum deducerent ad Regem Carolum, qui tùm temporis propè Civitatem Tininienſem cum exercitu acceſſerat, vindicaturus indignam necem perpetratam parricidio & ſacrilegio nepotis ex fratre ejuſdem Mladini, in caput Paulini Draskovich Scardonenſis Epiſcopi. Vnde Magiſtratu ſpoliatus, captivitatem ſubire coactus fuit, in ipſa Zagrabienſi Civitate, in qua ſumma impietate Sanctiſsimum exaverat Epiſcopum. Verumenimverò non ita lætatus eſt juſtus, cum juxta Pſalmiſtam *vidit vindictam, & lavit manus ſuas in ſanguine peccatoris*, ſicuti *iturus in Dominum Domini, latatus eſt*, quoniam Ieruſalem ſuæ Eccleſiæ ædificatam vidit, ita vt vbi alienigenæ, & Tyrus, & Populus Æthiopum cubaverant, habitationem lætantium in vmbra Sanctiſsimæ Genetricis Mariæ reliquerit. Plenus itaque dierum, ſeptuagenario major, omnibus Eccleſiæ Sacramentis munitus, ipſo pervigilio magni ſui Patriarchæ Dominici, tertio nempe Auguſti, tertio itidem ſupra trecenteſimum ac viceſimum illius ſæculi anno, ad laborum præmia evolavit in Cœlum, innumeris miraculis perpetuò illuſtriſsimus: quorum aliqua cùm in Officio ejus anniverſariæ memoriæ conſcripto inferiùs apponendo referantur, alia autem peculiari li-

pſ. 57.
pſ. 119.

bello

bello de ejus miraculis conscripto circumferantur, vnum illud subticendum nequaquam duco, quod vix alicujus Sancti Viri meritis concessum legitur: Obsessos nempe à Spiritibus immundis, quacunque arte diabolica occultos, vbi pedem intra terminos Lucerinæ Ecclesiæ intulerunt, statim frustra reluctante Spiritu tenebrarum, prodi, cognosciqúe, & ad ejus sepulchrum sanitati pristinæ restitui. Sepultus fuit intra Ecclesiam sibi dilectam suorum Fratrum domicilio, & Sancti Patris Dominici memoriæ, suoque receptui, vt diximus, constructam; quousque anno primo hujusce sæculi in aliud sepulchrum pretioso marmore elaboratum, non absque miraculorum frequentia translatus fuit. Statura fuit, vt ex sacris ejus indumentis adhuc integris citra ullum vetustatis injuriam, comprehendi potest, excedens humanam ordinariam, & potiùs ad giganteam assurgens; &, vt antiquissimæ picturæ tàm Cathedralis, quam Conventualis illius Ecclesiæ exhibent, capite caluo, barba promissa, aspectu ingenuo lætiori: genæ, licet crispantem, ruborem tamen ostentant. Nec solùm sacra ejus indumenta, inter quæ cingulum difficultate partus periclitantibus Matronis applicatum, miraculis quotidianis elucescit, sed & reliqua omnia vestimenta regularia & Episcopalia, quibus indui consuevit. Pileus Episcopalis inprimis, Apostolicæ paupertatis ejus, & humilitatis argumentum, populis ostenditur, illustrissimum, cùm alioqui amplissimos proventus possideret. Est enim palea contextus, opere satis subtili & accurato, ad instar tamen messorum illius Patriæ; superinducitur materia lanea Dominicanis Patribus in superiori pallio nigro adhuc familiari, eademque pluribus centonibus, & interdum inæqualis materiæ, & coloris, consarcinata; viridis tamen coloris funiculo, vt apparet, sericeo circumstringitur. Hujus Pilei mirabilis virtus experitur, dum Energumenorum capitibus superimponitur; sicuti rasura pueris ex sepulchro, in quo nunc ossa sacra servantur, aliquo liquore ab ægrotis hausta mira operatur. Aliquot annis ab ejus

obitu

obitu fama miraculorũ ejus percrebrescente, Concives olim ejus Tragurienses excitavit, vt transmisso Adriatico, accederent Luceriam, furto Sancti Viri Reliquias ablaturi; vti ijs exhumatis profundæ noctis beneficio, reliquias civis sui, quocunq; modo auferre possent, terrenæ patriæ restituerent. Navim itaq; conscendunt, prosperoq; vento, Fertorium incolis portum appellatum, tenentes, relicta in eo navi, ad Lucerinam ciuitatem breui itinere contendunt, profundæq; noctis beneficio sacrum corpus sublatum, læti successu rei, ad navim deferunt. Quiete itaque ex sollicito labore præcedentis diei, & sequentis noctis capta, dum summo mane portum egredi volunt, animadvertunt, dolosè partum, evanvisse Thesaurum. Mœrentes itaque, dùm in littus egressi, omnia tàm regiæ viæ, quàm aliorum recessuum secreta rimantur, audiunt à pertranseuntibus viatoribus, sacra ossa, illo ipso mane, quo marinis fluctibus committere sese cum opinata præda parauerant, ante Ecclesiam Sancti Dominici in Vrbe Luceria ab incolis inventa fuisse. Quibus auditis, Deo, & ejus Sancto rapinam minimè fuisse acceptam experti, quanta maxima celeritate licuit, fraudati desiderio suo, repedarunt in Patriam eventu rei mœstissimam, memores vaticinij Sancti Viri de ossibus ejus per Patriam non possidendis. Sed qui ossa Patriæ denegavit, patrocinium perpetuum erga eandem adauxit. Vt sicuti, teste Onia Summo Sacerdote, Ieremias, aliàs Ieroſolymitano Populo ad carceres & indignas molestias inuisus, post mortem fuit *Fratrum amator, & populi Israel*, orando pro eo, & vniversa Sancta Civitate: sic eodem fermè tempore, quo sacram rapinam irrito eventu Tragurienses tentarant, Mladinus Tyrannus, dignitate, fortunisque omnibus spoliatus, instar Iasonis alterius Tyranni, Machabæorum historia infamis, postquam principatum non obtinuit, vt notat Sacer Historicus, *finem insidiarum confusionem accepit*, fugiens enim de civitate in civitatem, vt refuga legum, & execrabilis, intercedente Sanctissimo Præsule pro suis Civibus, in Tragurienſium tandem

2 Mac. 4.

2 Mac. 5.

hosti-

hostium suorum manus incidit, quib⁹ talem animorum mansuetudinem Sanctus Civis impetravit è Cœlo, vt hostem acerrimũ, Dijs, hominibusque invisum, (absque dubio ejusdem Sancti Præsulis intercessione) resipiscentem, & ad bonam frugem redeuntem, quamdiù supervixit, commodis, & obsequijs coluerint, eidemque mortuo nobile sepulchrum, pietatis Tragurinæ perenne monumentum, in sua Cathedrali, cum sequenti posuerint inscriptione, ad hancusq; diem marmoreo tegumento, ante marmoream ibidem cathedram, sive Evangelici verbi ad cives habendi pretiosum suggestum, extante, stylo illorum temporum non ignobili.

Heu gemma splendida jacet sub hac per }
Cujus valor perÿt nunc in fossa tet } *ra*

Mladinus, magnificus qui Clissia fu }
Comes, suis sola spes, cur tam cito ru } *it*

Georgij Comitis memoriæ bo }
Natus, atq; Dominus Almissi Scardo } *næ*

Probitatis titulus, morum, & hono }
Vt flos vernans defuit vix tanti valo } *ris*

Croatorum clipeus fortis & ipse er }
Inter omnes fortior volens sive quer } *at*

Ejus mortem impiam cerno pro peccat }
Slavoniæ gentium eveniisse grat } *is*

Flete Slavi nobilem nepotem Banor }
Largam vestram copiam pacis & honor } *um*

Sic preces Altissimo date Creato }
Quòd ipse misericors parcat peccato } *ri*

Hic annorum Domini sub cursu mille }
Trecenteni insuper atq; quadrage } *ni*

Octavo ſub menſis die pri
In Calendis Maij traditus eſt ſi } *mo*

Cum bona ſui memoria mors ipſum vora
Deo reddens animam qui mox expira } *vit.*

Hactenus epitaphium pro barbarorum temporum ſtylo, quanta maxima diligentia fieri potuit ex marmore jam tranſeuntium pedibus attrito, vel vnius vocis lacuna hiante, teſte.

Idem, qui Civibus ſuis adauxit patrocinium, Sicenſibus etiam in factione Mladini concivium ſuorum ſocijs, minimê defuit, ne fortè & originis ſuæ maternæ oblitus videri poſſet. Etenim proſcripta aliquando vniverſa Dragoeviorum familia, & bonis ejus fiſco addictis, vertere ſolùm coacta, eo quòd rea cenſeretur occultationis, & ſuppreſsionis aliquarum ſcripturarum, odio Principis ſui, publicum bonum concernentium; cùm nullum modum purgandæ ſuæ innocentiæ humano ſtudio occurreret, ad Sancti Viri conſanguinei ſui patrocinium confugiens, præſentaneam ejus opem experta eſt. Oranti namque Patrifamiliæ adeſt, idem monet perfodi murum, deſignato domus aviticæ loco, ibi enim ærumnarum remedium præſto futurum. Dictum factum. aperto muro, ſcripturæ olim ab antenatis incendiorum timore conditæ & inventæ, familiam domui, libertatique reſtituunt, nec abſque fœnore. etenim dilapidati loco patrimonij, nobilis Colentina Inſula, duobus Oppidis Ptolomæi tempore culta, perpetuo poſteritatis beneficio donatur. Extat tantæ rei monimentum eodem muro nobilis marmorea ſtatua, egregio opere elaborata, Dominicano habitu induta, ſed Epiſcopali infula redimita, ſolio inſidens, gentilicijs ſtemmatibus illuſtris, ita ingredientibus atrium domus è regione expoſita, vt eoſdem præſtiti beneficij monere videatur. Alia admiranda, quæ ex remotiſsimis Chriſtiani Orbs partibus varijs affecti morbis ad ſacrum illius ſarcophagum experiuntur aſsiduè,

ſicut diximus, miſſa facimus. At, quod nuper totius illius Provinciæ admiratione contigit, abſque piaculo omittere non licet. VVlgata, & toto orbe cognita eſt infelix ruina Civitatis à Sancto Severo appellatæ, à Luceria exiguo ſpatio remotæ, à multis ſeculis inaudito terræmotu, quo & maria longè receſſerunt à littoribus, & lacus ampliſsimi arverunt ad tempus, cum pluribus oppidis & pagis proſtratæ. Verùm cum jam irato Deo, Apulia tota in antiquum chaos ferri videretur, aperta tellure omnia fermè vel invertente, vel devorante; Lucerina tamen Civitas, & Diœceſis, dum omnia circumcirca in extremo eſſent periculo, dum concuſsione terræ omnia paterent, diſijcerentur, everterentur, illæſa & inoffenſa permanſit, apparente, omnibus inſpectantibus, ſupra Civitatem Matrona candidiſsimis veſtimentis effulgens, & penes illam quodam Epiſcopali ornamento induto, illa ipſa proportione, & aſpectu, quo imago Sancti Præſulis Luceriæ colitur. Quæ viſio tàm diu inſpectantium oculos tenuit, quoad effectus iræ divinæ in circumcirca ſitis terris debachata eſt. Hinc certa fides tenuit, Deiparam, cujus nomine Civitas denominatur, & Sanctum Auguſtinum Plebi invigilaſſe ſuæ, & à ruina imminenti illam præſervaſſe. Quamobrem, licèt hactenus anniverſaria illius memoria à veſperis ſecundæ diei Auguſti per totam tertiam diem ſolemni pompa, tanquam Feſti de præcepto culta fuit à Clero, civibus, & ditione vniverſa; attamen poſt præfatum mirabile factum, Senatusconſulto Civitatis, in peculiarem Patronum ejuſdem eſt adſcriptus, anniverſariaque ſolemnis proceſsio, ſive ſupplicatio, ad Eccleſiam S. Dominici inſtituta. Antiquiſsimus porrò ejus cultus ſtatim ab ejus fœlici obitu fulcitur conceſsione Ioannis XXII. cujus tempore in Cœlum abijt; quæ conceſsio ex ſequenti Caroli Ducis Calabriæ, & vices Roberti Regis per Apuliam exercentis ſupplicatione colligitur, nec non ab anniverſario ſacro ejus Officio, ab eodem tempore per Clerum Lucerinum continuato, quod nuper ab Illuſtriſsimo & Reverendiſsimo Domino Suardo Luce-

rino Episcopo, Viro nobilitate, & eruditione conspicuo acceptum, supplicationi adjungemus.

EXEMPLAR

Ex Registro Caroli III.tis Ducis Calabriæ, Anno Domini 1226. sub littera B. folio 31.

Sanctissimo in Christo Patri, & Clementissimo Domino, D. Ioanni divina providentia Sacrosanctæ Romanæ, ac Vniversalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Carolus Dux Calabriæ, recomendationem humilem, & devota Pedum oscula beatorum.

Ne multiloquio, Alme Pater, & Domine, occupatissimas aures Sanctitatis Vestræ fatigem, desistendum vidi præsenti pagina pandere plurimam in partibus istis laudem, quam sibi Beatus Pater Frater Augustinus, nonus Episcopus Civitatis Sanctæ Mariæ, dudum vocatæ Luceriæ, ex miraculorum affluentia, quæ post ejus obitum Divina clementia, veluti copiosa in misericordia, & in retributione munifica, jam meritis ejus ostendit, & quotidie dignatur ostendere, vendicarit. Credo equidem illorum aliqua jam esse ad notitiam vestram ex relatu divulgantis famæ perducta; & expecto, ac etiam cupio, quòd singulariter singula, quæ profectò magna esse noscuntur, ad ipsam notitiam vestram, etiam & in publicum peropportunæ indagationis serie deducantur. Sicut enim fide digna relatio me nuper instruxit, non ignotum Beatitudini vestræ fuit, cùm adhuc ipse in hoc esset sæculo constitutus, quàm mirabili sinceritate vitæ micabat, pollebat claritate scientiæ, ac mirificis operibus coruscabat. Ego quoque mi Domine Reverende, teste Deo, & in conscientia bona loquor, quòd eo mecum, cùm primùm petijt partes istas, per vices aliquas colloquente, concepi, & vidi tam in ejus verbo, & facie, quàm in gestu, quòd valde amabilis ejus conversatio esset, quamquam omnia, quæ in eo erant, non nisi notabilia, & eruditio ad virtutes, ac ad salutem ædificatio viderentur; quodq; post ejus migrationem ad Dominum, ex devotione magna, qua ad illum afficior, ejus limina visitassem, magna mihi fides facta est de nonnullis miraculis per ejus excellentia merita divini-

tus ibi perpetratis. Cum itaq; ad instruendum de his certiùs Beatitudinis Vestræ scientiam, ac devotè petendum, de ipsius Beati Patris vita, & miraculis pariter inquiri, secundùm morem Ecclesiæ in talibus consuetum, Latores præsentium Sanctitatis vestræ pedes cùm reverentia debita, & fiducia magna petant, devotus postulo, supplex quæso, vt alma & perspicax providentia vestra, benigna (si placet) petitionem ipsam consideratione discutiens, & ad eam exaudiendam mentis aciem dignanter inflectens, inquisitionem ipsam jubere fieri vt moris, & juris est, gratiosè dignetur. quæ vbi patrata fuerit, vestroq; conspectui præsentata, si effectus ejus suadeat, & vestra benignitas id decernat, præfatum Patrem in illius reverentiam, & honorem, qui eum veluti laudabilis retributor, sanctificare dignatus est, in Sanctorum (si placet) matricula, cum sonora Canonizationis præconio, ne ipsius merita grandia, operaq; mirifica debito præmio careant, adscribatis. Per quod Sancta Mater Ecclesia de tanto novæ aggregationis consortio, vestri tempore Præsidatus jubilet, & exultet Civitas, in qua ipse feliciter obiit, & felicius in Domino requiescit. Scriptum Neapoli, anno Domini 1325. die 20. Octobris nonæ Indictionis.

Extracta est præsens copia à supradicto originali Registro, quod conservatur in Archivio Magnæ Regiæ Curiæ Neapoli, cum quo facta collatione concordat, meliori tamen semper salva; & in fidem infradictorum Magnificus Petrus Vincenti V. I. D. Regius Archiviarius, hic se subscripsit, & sigillum consuetum apposuit. Neapoli die 20. Mensis Octobris 1623.

Locus Sigilli

Petrus Vincenti &c.

Sacrum B. Augustini Officium, libro primo secundæ partis extat impressum.

TROPUGNATIO MARTYRII FRATRUM Prædicatorum, qui à Tartaris ab anno Christi 1241. in Cumania, & Vngaria perempti fuere.

QVoniam non semel accepi, obicij mihi, quòd in Commentarijs de rebus Vngaricæ Prov. Ordinis Præd. p. p. c. s. 6. & 8. Fratres nostros à Tartaris diverso mortis genere trucidatos, ipse Martyrum nomine insigniverim sine caussa; operæ precium facturum me arbitror, si mihil nisi ab antiquis, ijsque doctissimis, ac sinceriſsimis auctoribus, continuata ad nostra vsque tempora serie derivatum, tanquam depositum, meis scriptis, fideliter, optimoque jure servatum ostendero. Nam quemadmodum etsi *novè* fortasse scriberem, *nova* scribere exLirinensis documento non debebam: sic nullomodo committendum erat, vt thesaurum pretioſisimum custodiæ traditum, loco præ omnibus proprio, viris tantis, Ordini nostro, Inclytæ Vngariæ, mihique ipsi omnibus istis obstricto injurius, neglexisse viderer. Priùs tamen de necessarijs, vt quispiam Martyr verè dici queat, ex P. P. Scholasticorum Theologorum, Divi cumprimis Thomæ, horum omnium Coriphæi, Divinæque Voluntatis Interpretis penu, sunt accersenda nonnulla. Ea quatuor communi omnium assensu traduntur. Mortis perpesio: Acceptatio ejusdem voluntaria in adultis: Status gratiæ, vel is saltem, qui omnem à peccatis affectum excludat: Diende caussa honesta, & supernaturalis: quæ sigillatim, nec verò molestè, vt puto, explicabo.

Vincentius Lirinensis contra hæreses c. 27.

Mortis igitur primùm perpesio requiritur, ita vt cruciatus per gladium, ignem, submersionem, exilium, carceris squalorem, & id genus alia mortem afferant actualem. Neque enim vulnera ad Martyrium necessaria sunt. proinde Ecclesia

Martyrem colit S. Marcellum Sum Pont. qui in ſtabulum conjectus, tabe confectus interijt, & S. Clementem Papam, qui in mare præcipitatus, occubit. Hinc S. Thomas 22. q. 124. art. 4. ad 3. *Martyrium non dicitur per tolerantiam carceris, vel exilij, vel rapinæ diuitiarum, niſi ſecundùm quòd ex his ſequitur mors.* & in 4. d. 49. q. 5. art. 4. q. 3. *Aliqui Martyres aureolam habebunt, in quibus cicatrices non erunt, vt potè illi, qui ſunt ſubmerſi, aut famis inedia, vel ſqualore carceris interempti.* Porrò ſi quis accepto lethali vulnere, etiam ſi aliquanto tempore ſupervivens, ex eo denique moriatur, vt de Sancto Andrea Apoſtolo, & S. Cœcilia legimus, Martyr erit: immò & qui ex vulnere minimè lethali, cui non ſit adhibitum remedium, moritur, ſi tamen negligentia mortiferæ culpæ obnoxia non ſit. At ſi cruciatus mortem de ſe inferre natus ſit, mors verò per miraculùm non ſit ſubſecuta, vt accidit S. Ioanni Evangeliſtæ, cùm in ferventis olei dolium miſſus Romæ ante Portam Latinam, divina ſe protegente gratia, vegetior exivit, quàm intraverat, vt ex Tertulliano D. Hieronymus refert, martyr propriè & completè non dicitur. Propriè, inquam, & completè, nam minus propriè, & ex parte loquendo, Martyres olim etiam dicebantur, qui citra mortem à perſecutoribus paſsi fuiſſent pro Chriſto; quomodo Eccleſia Romana colit vt Martyres San. Felicem 14. Ianuarij, S. Sylverium 20. Iunij, S. Martinum Papam 12. Novembris, S. Melchiadem 12. Decembris, quos tamen certum eſt violenta morte non interijſſe. Et Tertullianus librum ſcripſit ad Chriſticolas viventes, quos *deſignatos* primùm *Martyres*, deinde etiam ſine addito Martyres vocat, ajens: *quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueverunt.* S. etiam Cyprianus Ep. Carthag. ad eoſdem viventes Chriſtianos, Martyres, & Confeſſores nuncupans, plures dedit epiſtolas. Dicebantur enim Confeſſores, qui Chriſtum confeſsi, & carceri mancipati, nondum adhuc ſuſceperant in quæſtione tormenta: Martyres verò, qui tormentorum etiam ſævitiam conſtanti vir-

Epiſt. 10. 11. 12.

tute

tute ſuperaſſent, vt Baronius annotuit anno 253. n. 54. Propterea enim ad perfectam completamque Martyrij rationem, vt mors obeatur, neceſſarium eſt: quoniam illud, ſupremum, & excellentiſsimũ eſt divinæ veritatis teſtimoniũ actu externo declaratum; quippe quod fertur apud homines, qui non intuenturcor, ſed ea, quæ foris ſunt, vident: ſumma verò veritatis teſtificatio actu externo fieri nequit, niſi vitam pro ea profundas, quandiù enim ſupereſt vita, aliquid ſemper remanet, quo excellentiùs poſsis teſtificari; cùm vita ſit omnium, quæ homo habet, res præſtantiſsima, vt innuitur Iob 2. cùm dicitur, *Pellem pro pelle, & omnia, quæ habet homo, dabit pro anima ſua.* Ideſt, homo pro pelle, ſive vita propria corporali, vitam aliorum, quamuis intimorum, profundi patietur; quorumcumq; etiam bonorum fortunæ jacturam pro eadem ſuſtinebit: cùm vita propria illis omnibus charior ſit. u. D. Th. 22. q. illa 124 art. 4.

2. quod requiritur, eſt voluntaria mortis acceptatio in adultis. Patres enim ſolent Martyrium Baptiſmo aquæ æquare. vnde Auguſtinus 13. de Civit. c. 7. *Quicumque etiam non ſuſcepto generationis lavacro, pro Chriſti confeſsione moriuntur, tantùm eis valet ad remittenda peccata, quantùm ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis.* & lib. de eccl. dogm. c. 24. *Baptizandus confitetur fidem ſuam coram Sacerdote, Martyr coram perſecutore: ille poſt profeſsionem aſpergitur aqua, hic ſanguine: ille per impoſitionem manus Pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic Templum efficitur Spiritus Sancti.* Diuus Thomas 22. q. 24. art. p. ad 1. *effuſio ſanguinis propter Chriſtum, vicem gerit Baptiſmatis.* & 3. p. q. 87. art 1. ad 2. *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta, obtinet vim Baptiſmi, &c.* adeoque ſicut Baptiſmus requirit voluntariam acceptationem, vt eſt conſtans ſententia Theologorum 3. p. q. 68. art. 7. ita etiam Martyrium. Hanc autem acceptationem nonnullli Theologorum ajunt debere eſſe formalem & actualem, qua quis propoſita morte, & fidei negatione, vel alia impietate, mortem eligat tanquam

minus

minus malum. Cui tamen ſententiæ adverſari videtur, quòd jam numquam poſſet quis dormiens pro Fide occiſus Martyr haberi, cujus tamen oppoſitum docet D. Th. 3. p. q. 87. p. ad 2. Cajet ibidem, & alij ejuſdem S. Doctoris diſcipuli communiter.

Quare cum alijs potiùs dicendum exiſtimo, ſufficere etiam acceptationem virtualem, & interpretativam, qua vel inferendam mortem prævidens acceptaverit, vel qua juſtè vivens, omnia ſua ſive bona quæ facit, & faciet, ſive mala, quæ patitur, & paſſurus eſt, ſolitus eſt in Deum referre; vel etiam, qua ſic affectus eſt, vt ſi ei proponeretur, morte pro Chriſto affectum iri, eam quàm libenter acceptaret. De hoc Sylvius 3. p. q. 66. art. 11. 4. 3. *Qui ait dormiens occideretur propter Chriſtum, eſſet Martyr, etiam ſi nihil fuiſſet, de Martyro præmeditatus, ſi vel juſtificatus, vel ex animo pœnitens retuliſſet omnia ſua in Deum, ſicut in finem.*

Dixi *in adultis*; nam certum eſt, in infantibus nullam liberam acceptationem eſſe neceſſarium; cùm Eccleſia Maryres agnoſcat Innocentes pro Chriſto lactentes occiſos; qui tamen eam acceptationem non habuerunt, quicquid aliqui dixerint, rationis vſum illis miraculosè acceleratum, quos refert, refellitque S. Th. 22. q. illa 124. art. 1. ad 1. ſubdens, *quòd Martyrij gloriam, quam in alijs propria voluntas meretur, illi parvuli per Dei gratiam ſunt aſſecuti, nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum, vicem gerit Baptiſmatis. Vnde ſicut in pueris baptizadis, per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occiſis propter Chriſtum, meritum martirij operatur ad palmam martyrij conſequendam.*

3. requiritur ſtatus gratiæ, vel dolor excludens quemcumque affectum à peccato. Conſent aliqui neceſſarium ſimpliciter eſſe ſtatum gratiæ, adeoque veram contritionem, (ſi confiteri non poſsit,) ei qui ſit in peccato mortali; quoniam S. Paulus ediſſerens de Charitate 1. ad Cor. 13. docet, abſque illa nihil prodeſſe Martyrium, *ſi tradidero corpus meam ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* & D. Th. 22. q. 124.

art. 2. ad 2. *Martyrium, est actus Charitatis vt imperantis, fortitudinis autem vt elicientis. Vnde etiam est, quòd vtramq; virtutem manifestat. Quòd autem sit meritorium, hoc habet ex Charitate, sicut & quilibet virtutis actus, & ideò sine Charitate non valet.* & 3. p. q. 66. art. 12. ad 2. *effusio sanguinis, non habet rationem baptismi, si sit sine Charitate.*

Cœterum communior sententia tenet, sufficere attritionem excludentem vniversum affectum à peccato. Quam idem S. Doctor tradere videtur apertè 3. p. q. 83. art. p. ad 2. cùm agens de dormiente occiso propter Christum, ait: *passio pro Christo susceptа, obtinet vim baptismi, & ideò purgat ab omni culpa & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.* Si enim purgat à culpa etiam mortali, jam non est status gratiæ simpliciter necessarius: si autem requirit voluntatem non inhærentem peccato, necessaria dubio procul attritio talis est, quæ vniversum affectum ex peccato ammoveat. & superiùs q. 66. art. 12. in corp. & ad 1. docet, *Baptismum sanguinis*, qui est Martyrium, *nobiliorem, & excellentiorem esse baptismo aquæ, & habere præeminentiam, quantùm ad Sacramenti effectum.* Quò fit, vt cùm baptismus aquæ remittat mortale, faciatque ex attrito contritum; idem non minus debeat præstare Martyrium. immò in 4. d. 4. q. 3. art. 3. q. 4. explicans, qua ratione major sit martyrij effectus, quàm baptismi, sic scribit. *Quantùm ad rem Sacramenti, excedit Baptismus sanguinis, quia & gratia in baptismo sanguinis magis augetur habenti, & amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit: & remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia vterque omnem pœnam, & culpam tollit, tamen est in baptismo sanguinis efficacior, & fructuosior, quia secundis maculis non inquinatur, vt Damascenus dicit 4. de fide* c. 10. & deinde subdit, *Martyrium conferre primam gratiam, non solùm infantibus, sed etiam adultis.* ex quibus omnibus conficitur ratio: Martyrium obtinet vim baptismi, immò etiam habet præstantiorem effectum: atqui baptismus non necessariò prærequirit statum gratiæ, sed facit etiam ex at-

trito contritum, & tribuit primam gratiam: ergo & martyrium, &c. Major probatur ratione aliàs insinuata ab ipsomet S. Doct. quam prosequitur Durandus in 4. d. 4. q. 8. Æquè, & ampliùs operatur Christi passio ad salutem, in eo, qui ei conformatur secundùm realem susceptionem, atque in eo, qui ei conformatur secundùm figuralem repræsentationem duntaxat: sed in martyrio pro Christo suscepto, Martyr Christo passo conformatur quoad realem passionis susceptionem, vt patet; in battismate verò solùm conformamur ei quoad figuralem repræsentationem, quatenus ejus sepulturam repræsentamus, adeoq; mortem, cùm sepultura nonnisi mortuis adhibeatur; vti enim qui sepelitur, sub terra ponitur, ita qui baptizatur, sub aquam immergitur; ideoque in baptismo terna immersio adhibetur, non tantùm propter fidem S. Trinitatis, sed etiam ob triduum sepulturæ Christi. & propterea Paulus ad Rom. 6. ait. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem,* &c. de qua re vide D. Th. ibidem lect. 1. & Card. Cajet. jentaculo 2. (quod in sua legatione in Vngariam, edidit Posonij) q. 3. vbi pulcherrimè explicat locum illum obscurum ejusdem Pauli 1. ad Cor. 15 *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, &c.* nõ minorem ergo, sed præstantiorem effectũ habebit martyrium, quàm baptismus.

Locus autem D. Pauli ferè explicatur de carentia Charitatis tam antecedentis quàm consequentis martyrium; si enim per martyrium charitas non daretur, nihil illud valeret. Quæ sanè explicatio admitti debet; nam D. Paulus idem judicium facit de omnibus quibuscumque, quòd nihil prosint absque charitate; cùm tamen plurima sint, quæ prosint sine charitate præcedente, licèt non absque subsequente, vt Sacramenta mortuorum, immo omnia Sacramenta, cùm faciunt de attrito contritum. Quando verò gratia, charitasque conferantur, alia difficultas est. Certum est, non dari in instanti, quod sit primum non esse hominis; cùm enim tunc anima sit extra corpus, &

non

in termino, incapax est primæ gratiæ recipiendæ: neque in instanti, quod sit vltimum esse hominis, cùm res corruptibiles illo careant, vt patet ex Philosophia. Quare placet dari in instante aliquo mortem antecedente, inter quod & mortem breve tempus aliquod intercedit; quo homo ita est constitutus, vt mors sit illi naturaliter inevitabilis, & sic viribus, sensibusque destitutus, vt peccare non possit, vel sic à Deo regitur, vt infallibiliter non peccet.

u. Sylvium 3 p. q. 66 ar. 11. q. 5. Lessius de Inst. li. 4. c. 1 d. 3.

Porrò S. Thomas priori loco sentit, Martyrium, non absolutè, sed cum excellentia, quà actus fortitudinis, vt veræ virtutis & informatæ, esse à Charitate imperante, sine qua nihil prosit ad meritum. Quo non fit, quin martyrium absolutè non præexigat charitatem, & sine illa valeat ad gratiam obtinendam ex opere operato. Vt enim notant S. D. discipuli, martyrium spectari potest sub duplici ratione, vna, qua est actus virtutis fortitudinis, sub vera consideratione virtutis, sicque præexigit charitatem; altera, qua est realis passionis Christi imitatio; juxtaquam rationem secum defert gratiam, redditque ex attrito contritum. & propterea idem S. Th. in 4. ad Annibaldum d. 4. art. 4. ad 3. ait, Baptismum sanguinis supplere officium baptismi flaminis, nō ex opere operante, sed ex opere operato, propter imitationem passionis Christi: vnde de Martyrib⁹ dicitur Apoc. 7. *laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni.* Confert autem Martyrium gratiam ex opere operato non propria actione, quomodo novæ ltgis Sacramenta eam conferunt; sed sine vlla operatione, qua ratione Deus intuitu martyrij illam cōfert, vt olim eam infantibus in circumcisione largiebatur. Posteriori autem loco sentit Ang. Doctor, martyrium petere charitatem non necessariò antecedentet, sed vt minimùm, consequentur: ita enim universa ejus dicta, quæ alioqui sibi dissentire viderenter, optimè conciliantur. Nihilosecius cùm sententia hæc, quamquam sanè probabilis, auctoribusque frequentior, omninò explorata non sit; qui sibi conscius est lethalis criminis,

u. Nunè 3. p. q. 66. art. 12.

habita Confeſſarij copia, exomologeſi, ea carens, contritione, (martyrio inſtante) conſulere ſibi debebit, nam ſi fortaſſe ſententia hæc mitior, in ſe vera non ſit, alia diſpoſitio non ſufficit ad ſalutem. Quin etiam ſi certò conſtaret, attritionem cum martyrio ſufficere, adhuc ea, quòad fieri poſſet, adhibere oporteret, vt graves auctores prudenter advertunt; cùm martyrium non ſit perſe ad tollenda peccata inſtitutum, ſed potiùs illa ablata, & hominem Deo reconciliatum ſupponat: quemadmodum, etſi Euchariſtia reddere poſsit ex attrito contritum, non ſit, quin celebraturus, mortali admiſſo, debeat confeſsionem præmittere, vel ſaltem, ſi confeſſarium habere nequeat, & urgeat celebrandi neceſsitas, elicere exiſtimatam contritionem. Propterea & Catechumenus, pro Chriſto occidendus, baptiſmum præmittet, ſicut S. Romanus Mærtyr olim efflictim petijt à S. Laurentio baptizari.

a. Sylvium 3 p. q 66 art. 11. q. 3.

Denique ad Martyrium requiri dicebamus patiendi cauſſam honeſtam, & ſupernaturalem. Honeſtam quidem; nam ſi qui ob maleficia, inanis gloriæ cupiditatem, falſam doctrinam patiantur, vt ſolent latrones & hæretici, (quemadmodum Ioannes Hus, Hieronymus à Praga, propter obſtinationem in hæreſi, à Concilio Conſtantienſi brachio ſæculari traditi, & ab eo combuſti, alijque plures, quos impius Ioannes Foxus Anglus in ſuis commentarijs recenſuit,) etſi Sathanæ, qui pater eſt maleficij, atq; mendacij, martyres dici poſsint; Chriſti, qui veritas eſt, martyres, adeoque martyres nequaquam dici poſſunt. Vt enim ait Auguſtinus, pſ. 24. conc. 2. *Martyrem non pœna, ſed cauſſa facit: pœna communis eſt latroni, & Martyri, hæretico, & Catholico, ſed cauſſa diſpar eſt.* Quò facit illud 1. Pet. 4. *Nemo veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* Supernaturalem etiam, fide cognitam nimirum, cauſſam martyrij eſſe oportet. Etenim ſi quis ex honeſta cauſſa, quam ſine fide novit, vt ſi Ethnicus pro caſtitate tuenda, data

fide

fide, veritate naturaliter cognita de Deo, (vt de Socrate ſcribitur) vel etiam hæreticus Lutheranus, aut Calviniſta, pro Perſonarũ Divinarum Trinitate, quam non tenet ex fide, (quæ in hæreticco eſſe nõ poteſt) patiatur, Martyr nõ eſt. Debet itaque cauſſa eſſe pia, quæ per fidem ſupernaturalem innoteſcat, ſive ea ſit veritas fidei, ſive actus virtutis cujuſcumque, in fuga mali, vel boni proſecutione: vt ſi quis mortem ſubeat, quia nolit in periurium conſentire, quod fide novit Deo diſplicere, aut quia vult caſtitatem ſervare, quam ſcit per eandem fidem Deo placere. Hinc Eccleſia tanquam Martyres colit non eos duntaxat, qui perſecutionis tempore noluerunt Chriſtum abnegare: ſed etiam Machabæos 11. Auguſti, occiſos, quòd carnes porcinas lege Dei ſibi interdictas comedere nollent; Ioannem Baptiſtam 29. Auguſti, quòd Herodem de adulterio reprehenderit: Lambertum Epiſcopum 17. Sept. Thomam Cantuarienſem Arch. 29. Decemb. quia libertatem Eccleſiaſticam defenderunt: Staniſlaum Polonum Epiſc. 11. Maij, quia Boleſlaum Regem, ob publicam libidinem fruſtra ſæpè admonitum, à fidelium communione removit: Dulam militis cujuſdam ancillam 25. Maij, Pelagiam Antiochenam 9. Iunij, Vrſulam cum vndecim millibus ſodalibus 22. Octobris, quia (ex Gaufrido Epiſcopo Aſaphenſi, quem ſequitur Baronius anno 383) caſtitatis, & virginitatis diſpendia pati noluerunt. Immo etiam ſi quis extra religionis cauſſam, ad mendacium officioſum ſub pœna mortis adigatur: is verò, quia fide novit, mendacium omne Deo diſplicere, mortem ſubeat, martyrum agmini dubio procul accenſebitur. Præclarè, de more S. Thomas. 22. q. jam memorata 124. art. 5. *Martyres dicuntur quaſi teſtes, quia ſcilicet corporalibus ſuis paſſionibus uſque ad mortem teſtimonium perhibent veritati, non cuicunque, ſed veritati, quæ per Chriſtum nobis innotuit, quæ eſt veritas fidei, unde & martyres Chriſti dicuntur, quaſi teſtes ipſius: fidei autem proteſtatio ſit non ſolùm per verba, quibus aliquis profitetur fidem, ſed etiam per facta, quibus aliquis fidem ſe habere oſtendit, ſecundùm illud Iacobi 2.* oſten-

dam

dam tibi ex operibus fidem meam: *vnde & de quibusdam dicitur ad Titum* 1. Confitentur se nosse Deum, factis autē negant. *& ideò omnia virtutum opera, secundum quòd referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quòd Deus hujusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat: & secnndùm hoc possunt esse Martyrij causſa.* & ad 1. explicans illud 1. Petri 4. Si autem vt Christianus patitur, non erubescat; ait: *Christianus dicitur, qui Christi est. Dicitur autem aliquis esse Christi, non solùm ex eo quòd habet fidem Christi, sed etiam ex eo quòd Spiritu Christi ad opera virtuosa procedit. secundum illud ad Rom.* 8. si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus: *& etiam ex hoc, quòd ad imitationem Christi, peccatis moritur, secundum illud ad Gal.* 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs: *& ideò vt Christianus patitur, non solùm qui patitur pro fidei confessione, quæ fit per verba, sed etiam quicumque patitur pro quocumque bono faciendo, vel pro quocunque peccato vitando propter Christum; quia hoc totum pertinet ad fidei protestationem.* Nec moveare, quasi hinc sequatur, ante legem evangelicam datam per Christum Martyres non fuisse. fuerunt vtique; nam in lege naturæ fuit inter alios Abel, à Caymo fratre peremptus, quòd ei Divinam Providentiam, vitam aliam, retributionem justis, impijs supplicia destinata inficianti resisteret; vt ex Ionatha Hebræo refert serm. 1. de Corp. Christi, & Gen. c. 4. Dionisius Carthusianus. fuere & lege scripta illi Machabæi, Prophetæ à Iudæis occisi, & alij, de quibus S. Paulus Hebræis scribens, ait cap. 11. *Alij autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, vt meliorem invenirent resurrectionem. Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. circuierunt &c. egentes, angustiati, afflicti &c. & hi omnes testimonio fidei probati inuenti &c.* fidei vtique Christi: non enim alia fuit, quoad substantiam, veterum fides, & nostra; quamvis hæc longè perfectior, vt potè clarior, & explicatior, respiciensque Christum, non venturum ad docendum, & salvandum, sed qui

jam peracto adventu homines morte sua redemerit.

Sed abs re fortasse non fuerit, ad vberiorem hujusce rei explicationem, dubitationes aliquot expedire.

I. An Martyr sit, qui ob actum virtutis jam transactum occiditur.

Resp aff. nam S. Ioannes Baptista Martyr, occisus est, quòd priùs Herodem de adulterio redarguisset; & qui ob assertam antea veritatem veneno clanculũ adhibito, morte tolleretur, vt Angelico Doctori S. Thomæ Aquinati factum aliqui scripserunt, (de qua re videri possunt, præter alios, auctor vitæ illius to. 1. opetum ejusdem, & Plodius 2. p. Vir Illust. Ord. Præd. li. 1. col. 85.) in Martyrum numerum Deo admitteretur. Mors enim illi infertur in contemptum boni operis, quod cupiens Deo placere juxta fidei revelationem, gesit, qui perimitur. opus tamen est ita illum affectum esse, vt mortem potiùs velit oppetere, quàm actum retractare. Lege Bonac. de Sacr. disp. 2 q. p. puncto. 1.

II. An occisus in bello contra hostes fidei.

Negant plerique, Valentia tomo 3. d. 8. q. 2. puncto 1. Lessius de Just. l. 4. c. 1. d. 3. n. 36: Layman lib. 3. Theol. mor. sect. 3. n. 4. alij 1. quoniam ad perfectam martyrij rationem requiritur, vt mors pro Christo obita, sit omnino spontanea, & voluntaria, non pugnando, aut contrapugnando inferenti; & ex primaria item intentione, & proposito suscepta, non ex consequanti: at milites interficere hostes nituntur, & si ipsos mors sequitur, ad quam ob fidei defensionem sunt promptissimi, non est id ex propria destinatione, sed consequenter.

2. Martyrium est imitatio passionis Christi: sed qui pugnando interficiuntur, non gerunt similitudinem Christi, *qui cùm pateretur, non comminabatur* 1. Pet. 2. *& tanquam agnus coram tondente se obmutuit, Is.* 53.

3. Quia cùm Phocas Impetator tentaret, vt milites ab hostibus fidei occisi, Martyrum catalogo inscriberentur, Episcopi Orientales restiterunt ei apud Baronium an. 964. & Malven-

dam

dam in annalibus Præd. anno 1218. c. 37.

Attamen dicendum, hujusmodi milites, quanquam perfectione, & excellentia accidentali quadam martyrij careant, absolutè tamen è martyrum numero non esse expungendos. Ita enim docet S. Thomas in 4. d. 49. q. 5. art. 3. q. 2. ad 11. ajens. *Cùm quis propter bonum commune non relatum ad Christum, mortem sustinet, aureolam non merebitur: sed si hoc referatur ad Christum, aureolam merebitur, & Martyr erit, vt potè si Remp. defendat ab hostium impugnatione, qui fidem Christi corrumpere moliuntur, & in tali defensione mortem sustineat.*

Petrus de Palude, Patriarcha Hierosolymitanus, eadem dist. q. 8. art. 4. *Qui Cruce signati in bello hostium Christi pugnando pereunt, Martyres fiunt: quia non se, sed Christum, & Ecclesiam defendendo moriuntur, vnde non mortem refugiunt.*

Dominicus Sotus, Primarius Salmanticensis, Caroli V. Confess. & Concilij Trid. Theologus, eadem dist. q. 7. art. 2. *Quicumque mortem subiret in testimonium alicujus virtutis, nempe ad defendendam esse virtutem, dummodo fide id Christi faceret, verè esset Martyr: & pariter, qui Remp. defenderent, vt fidem protegerent, nempe si illam à Turcis, & infidelibus tutarentur, vel ab hæreticis, qui Religionem Christianam subuertere contendunt.*

Franciscus Sylvius, Doctor Duacensis 22. q. 124. ar. 5. circa resp. ad 1. *Qui pro defensione Reip. in bello justo occiduntur, possunt esse Martyres, si illam defendant propter Deum amore justitiæ, ac legis diuinæ, non verò si stipendij militaris, aut prædarum intuitu, aut alia aliqua intentione, vel praua, vel bonum duntaxat humanum spectante.* & in addid. ad 3. p. q. 96. art. 6. ad 11. *Qui in bello justo propter conseruationem Reip. occiduntur, non propterea sunt Martyres, nisi Remp. defendant ab illorum hostium impugnatione, qui fidem Christi subuertere moliuntur. Qui autem sic eam defendunt, & defendendo moriuntur, coram Deo sunt Martyres, & Martyrum aureolam accipiunt.* Ejusdem sententiæ fuere Godofredus in annalibus de militibus Christianis ad Damiatam pugnantibus, & inter-

fectis,

fectis, cùm ait: *Fortes agonistas Christi deorsum præcipitans, & per Martyrij palmam ad cœlos elevans.*

S. Ludovicus Rex Francorum, apud Gulielmum Nangiacum, cùm in Terra sancta milites à Saracenis occisos sepeliret, dicebat. *Venite milites, sepeliamus Christi Martyres, qui majora, quàm nos, pro Domino sunt perpessi.*

Episcopus Convenarum, apud Petrum Monachum Cisterciensem in historia Albigensium c. 127. coronam Martyrij pollicetur militibus in bello contra Albigenses occumbentibus. & ipse Petrus cap. 165. agens de morte Simonis Monfortij, qua in obsidione Tolosana ab hæreticis Albigensibus lapide ictus interijt, *Noster*, ait, *Comes fortissimus stabat ante munitiones, & machinas, vt hostes arceret, ne erumperent ad eas evertendas, & ecce saxum jactum à mangonella hostium, percussit Iesu Christi militem in capite, qui, cùm lethalem ictum accepisset, bis sibi pectus percussit, Deo se, & B. V. Mariæ commendans, & imitatorem se exhibens mortis Protomartyris Stephani, qui lapidatus Ierosolymis fuit, obdormivit in Domino. Nec est tacendum, quòd hic fortissimus Domini bellator, & (vt ne decipiamur) glorioßissimus Iesu Christi Martyr, antequam lethalem lapidis ictum excepisset, fuerat jam ante quinque sagittis confixus; quare credimus ipsum feliciter cum Christo regnare.*

Hæc porrò sententia inde confirmatur, quòd in tali persecutione adesse possint omnia, quæ ad Martyrium requiri prædiximus, mors nimirum pro Christi fide ex animo à benè dispositis obita. vnde Petrus Monachus loco mòx citato refert, Simonem Comitem, vbi devotissimè Sacram Hostiã in Missæ sacrificio elevatam adorasset, flexis genibus, & manibus in cælum erectis, dixisse: *Nunc dimittis Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*; & ad Comites, *Eamus, & si opus est, pro illo moriamur, qui pro nobis mori dignatus est.*

Sed fortasse ambæ sententiæ possint non incommodè conciliari; si dicamus, martyrium usquaquaque perfectum, quod nedum essentiali, sed accidentaria itidem perfectione exactum

sit petere; vt quis, non contrapugnando, pro Christo moriatur. juxta quam Martyrij rationem, ex Romani ritus more Ecclesia canebat.

Cæduntur gladijs more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia:
Sed corde tacito mens benè conscia
Conservat patientiam.

Et de ea rationes duæ priores concludunt: cæterum martyrium secundùm substantiam consistit, si vitam libenter, pièque per Christo profundas: in quo licèt non imitere Christi passionem quoad omnia, imitaris tamen quoad vitæ positionem. Quod verò tertio loco addebatur, solvo cum Sylvio, non repugnasse Episcopos assertioni nostræ; sed Phocæ, volenti, vt omnes milites mortui in bello, martyrum catalogo ascriberentur: *Ecclesia enim neminem Sanctorum catalogo ascribit, nisi prævia diligenti inquisitione; qua inquisitio non facilè haberi posset de ijs, qui in bello occumbunt; cùm aliquando hæretici, schismatici, aliq; facinorosi, non habito respectu fidei, sed proprij commodi decertent.*

III. *Difficultas. An laudandus, qui tyranno, & adversarijs fidei ad mortem se objcit.*

Dico 1. *Laudabile esse, Martyrium exoptare.* Commendantur enim plurimùm Sancti, quòd eo desiderio flagrarent, vt Ignatius Episc. Antonius, Martinus, Romualdus, Franciscus, Teresia &c. cùm primis autem Sanctiss. P. Dominicus, de quo ita scribitur: *Tanto amore martyrij B. P. Dominicus deflagrabat, vt cùm aliquando apud Tolosates Albigensium hæreticorum insidias paratas divina ope evasisset, ab illisq; postea rogaretur, quidnam facturus erat, si in eorũ manus incidisset: oraßem, inquit, ne me subitis ac repentinis vulneribus velut vno ictu conficeretis, sed per singula membra concisum, evulsis denique oculis, truncum corpus sineretis diutiùs in suo sanguine volutari: clarum illud S. Iacobi, apud Persas interciſi, martyrium imitari desiderans*: vt Vincentius Bel. li. 29. c. 104. Theodoricus

l. 1. c. 8. S. Anton. 3 p. hiſt. t. 23 c 4. §. 2. & alij apud Malvendam anno 1211. c. 4. ſcribunt. Ad cujus etiam laudes Eccleſia illud quotannis decantat: *Sitiebat ſervus Chriſti martyrium, ſicut ſitit Cervus ad aquæ fluvium.* Eadem de S. Virgine Margarita ſcripſimus 2. p. lib. 2. c. 19. eſt enim Martyrium actus Charitatis imperativè, fortitudinis elicitivè, vti tradit S. Thomas. 22. q. 124. art. 2. adeoque quaſi actus virtutum nobiliſsimarum, vehementer optabilis.

Dico II. *Vti Martyrium oblatum fortiter ſuſtinendum eſt, ſic quæri non debet, adeoq; ordinariè laudabile non eſt, vt ſpontè quis, & abſq; rationabili cauſſa illi ſe ingerat.* Ratio eſt, quia ſi ſpontè ſe ad martyrium liceret offerre, non rarò præberetur tyrannis occaſio malefaciendi, nec effugi poſſet ratio cujuſdam temeritatis, & præſumptionis. Proinde, qui non inquiſiti abſque cauſſa vltrò ſe perſecutoribus ingerebant, S. Auguſtino cont. Donatiſtas c. 13. teſte, indigni Martyrum nomine cenſebantur. Refert etiam Euſebius li. 4. c. 14. Phrygem quendam, Quintum nomine, qui non maturo conſilio, & prudenti deliberatione, ſed temerè, & quaſi repentino vento incitatus, cum alijs ad Iudicis tribunal irruerat, ſimulatque immanes feras, & terribiles cruciatus aſpexit, molli, & fracto animo attonitum obſtupuiſſe, & tandem ſalute prodita, manus præ ignauia dediſſe: *adeoq; illuſtre, & euidens omnibus exemplum propoſuiſſe, ne inconſideratè & imprudenter hujuſmodi rebus ſe obijcerent aliquando.*

Dixi *ſpontè*, quoniam certum eſt, impulſu Spiritus ſancti id licere. ſic S. Sebaſtianus Diocletiano obujá factus, ejus impietatem liberi° accuſavit, qui rei nouitate, quòd eum mortuum crederet, & acri Sebaſtiani reprehenſione excandeſcens, eum tamdiù virgis cædi imperavit, donec animam Deo redderet. Sic S. Euſignius miles, de quo Martyrol. R. Nonis Auguſti, qui annum agens centeſimũ decimum, cùm Conſtantini Magni fidem, ſubquo militaverat, Iuliano Apoſtatæ exproboaret, eumque vt pariæ pietatis deſertorem redargueret, ab eodem juſſus eſt capite

cædi. sic S. Irais Virgo Alexandrina in eisdem tabulis Ecclesiasticis 10. cal. Octobris, quæ ad hauriendam è proximo fonte aquam egressa, cùm vidisset navim Confessoribus Christi onustam, relicta hydria, protinus se illis adjunxit; ac simul cum ijs in urbem ducta, prima omnium, post multa supplicia, capite cæsa est. Sic S. Ioannes Martyr ibidem 7. Idus Sept. qui Nicomediæ, cùm videret crudelia edicta adversus Christianos in foro pendere, fidei ardore accensus, injecta manu illa detraxit, atq; discerpsit, quo relato Diocletiano, & Maximiano in eadem vrbe constitutis, omnia suppliciorum genera expertus est. Sic S. Catharina V. & M. Alexandrina, cùm Maximini jussu, multos, propter Christianæ Religionis professionem, variè tormentis cruciatos ad supplicium rapi videret, non dubitanter ipsum adijt Maximinum, eiq; nefariam immanitatem obijciens, sapientissimis rationibus Christi fidem ad salutem necessariam esse affirmavit. Quamvis & quædam ex istis, ex necessitate confessionis fidei, ob Dei gloriam, & proximorum commodum facta, existimari possint.

Dixi etiam, *absque rationabili causſa*, etiamsi non necessaria, quia, vt ait Cajet. 22. q. 124. art. 1. circa resp. ad 1. Sancti Martyres sponte procedebant, quando sibi expedire videbant, ad actus exteriores fidei, puta prædicationem, confessionem, vel ad actus fraternæ Charitatis, etiamsi non erant in præcepto pro tunc hi actus, scientes, quòd inde Tyranni sumerent occasionem affligendi, & occidendi eos, licèt non procederent ad irritandum eos ad afflictionem, vel mortem inferendam: & ideò non dabant tyrannis occasionem injustè agendi, sed ipsi accipiebant talem occasionem ex bonis actibus, quibus dabant sponte operam imperterriti Sancti illi, & propterea dicuntur sponte se ad martyrium obtulisse. Vnde & de B. Antonio legitur, quòd ibat quidem cum martyribus optans esse Martyr, & tristabatur, quòd non esset Martyrio dignus: nunquam tamen ad sui mortem tyrannos provocavit.

IV. Difficultas. *Quid de illis, qui in tormenta à Tyrannis parata se conjecerunt.*

Resp. qui eo facto coluntur ab Ecclesia, Marryres Christi fuisse, quòd id fecerint instinctu Spiritu sancti, in mortem sese dedentes, quæ ipsis amore fidei subeunda erat: quamquam aliâs non liceat se morti dare, sed illam pati. Eo pacto S. Apollonia V. Alexandrina, & M. cùm nisi Christum detestata, accenso rogo vivam illam combusturos minati essent impij carnifices, ipsa verò, promptè quamvis mortem pro IesuChristi fide se subituram respondisset, comprehensa vt combureretur, cùm paulisper quasi deliberans, quid agendum esset, statuisset, ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum, *majori*, ait Ecclesia, *Sp. S. flamma intus accensa, se commisit*; vnde brevi consumpto corpore, purissimus spiritus ad sempiternam Martyrij coronam in cœlum evolavit. Sic sancti illi trecenti Martyres tempore Valeriani & Gallieni, qui Carthagine, inter alia supplicia, cùm Præses fornacem calcariam accendi jussisset, & in præsentia ejus prunas cum thure exhiberi, atque illis dixisset: eligite è duobus unum, aut thura super his carbonibus offerte Ioui, aut in calcem demergimini: *fide armati*, Christum Dei Filium confitentes, ictu rapidissisimo se iniecerunt in ignem, & inter vapores calcis, in ignem sunt redacti, ex quo candidatus ille beatorum exercitus, Massa candida meruit appellari. Martyrolog. Rom. 24. Sept. lege pro hac resolutione S. Augustinum 1. de Civit. c. 16. D. Thomam 22. q. 124. art. 1. ad 2. & ibi Cajetanum, qui contra Martinum de Magistris, asserentem *quòd in casu, quo Christianus à Tyranno constitutus coram idolo sic, quòd habeat ante se foveam ita altam, vt casus sit mortalis, & habeat statutum à Tyranno sibi impositum, quòd si stat, intelligatur adorare idolum, nec potest declinare à stando ante idolum, nisi præcipitando se in foveam mortis: quòd si ex suo stare, & protestando verbis, quòd non intendit adorare idolum, scandalizantur astantes, quòd benefacit præcipitando se in foveam, non intendendo mori, sed committendo se divinæ providentiæ:*

vbi plura doctè disputavit, ait hoc fore tentare Deum, & peccatum mortalissimum: neque in eo casu constitutum occasionem scandali astantibus præbere, sed eos ex se accipere scandalum: quoniam occidere se ipsum numquam licet, nisi id divina fiat auctoritate.

V. An martyrium cadat sub præceptum.

Dico I. *Secundum animi præparationem tenetur homo sic esse dispositus, vt casu necessitatis superveniente, præsto sit vitam pro Christo ponere, & patienter cunctas pro ipso inflictas pœnas sustinere.* D. Th. 22. q. illa 124. art. 1. ad 3. & cæteri quique Theologi.

Dico II. *Si alterutrum necesse sit, vel fidem negare, sive Deum offendere, aut verò mortem subire, hoc debes præeligere.*

Præclarè S. Chrisost. hom. 34 in Matt. explicans illud c. 10, Estote prudentes sicut serpentes, ait. *Quemadmodum serpens totum seipsum tradit, nec minimùm curat, si ipsum quoque corpus incidi necesse sit, dummodo caput suum integrum servet, eodem tu quoque modo, præter fidem, cætera perdere non cures, sive pecunias, sive corpus, sive etiam vitam ipsam profundere necesse sit. fides enim caput est, & radix, qua servata, etiam si omnia perdas, omnia tamen rursum majore cum gloria recuperabis.* Ad hoc faciunt illa loca, *qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* Io. 12. &: *omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Lucæ 12.*

Dico III. *Quotiescumque confessio Fidei, ad quam sequitur martyrium, cadit sub præceptum, cadit & martyrium.*

Est autem de necessitate salutis fidei confessio, juxta D. Thomam 22. q. 3. art. 2. *quando per dimissionem illius subtraheretur honor debitus Deo, vel utilitas proximis impendenda, puta si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur vel quòd non haberet fidem, vel, quòd fides non esset vera: vel alij per ejus taciturnitatem averterentur à fide.* & ad 1. *Vbi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem*

ſuam aliis propalare, vel ad inſtructionem aliorum fidelium, ſive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium inſultationem. & ad 3. *Si turbatio infidelium oriatur de confeſſione fidei manifeſta, abſque aliqua vtilitate fidei, vel fidelium, non eſt laudabile in tali caſu fidem publicè confiteri, vnde Dom. Mat. 7. dicit,* Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas veſtras ſpargere ante porcos, ne conuerſi dirumpant vos. *Sed ſi vtilitas fidei aliqua ſperetur, aut neceſsitas adſit, cotempta perturbatione fidelium, debet homo publicè fidem confiteri, vnde Matt. 15. dicitur, quòd, cùm diſcipuli dixiſſent Domino, quòd Phariſæi audito ejus verbo, ſcandalizati ſunt, Dominus reſpondit.* Sinite illos, *ſc. turbari*: cæci ſunt, & duces cæcorum. Ita D. Thomas.

Dico IV. *Epiſcopi, & Paſtores, ſi neceſsitas ſubditorum requirat, tenentur etiam cùm periculo certiſsimæ mortis adeſſe.*

Chriſtus enim ait, *Bonus paſtor animam ſuam ponit prò ouibus ſuis*, Io. 10. quo ſignificat, nullum bonum eſſe paſtorem, bonitate, quæ ad gratiam, amicitiamque Dei retinendam neceſſaria eſt, niſi vbicumque neceſsitatis caſus occurrerit, cùm periculo vitæ, gregi ſuo fauore, & auxilio præſens vſque ad mortem adfuerit. De quo D. Th. 22. q. 185. art 5. ſic loquitur: *In qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis: obligant autem ſe Epiſcopi ad exequendum paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem: & ideò vbi ſubditorum ſalus exigit perſonæ paſtoris præſentiam, non debet paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod perſonale periculum imminens, cùm bonus paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ouibus ſuis.* Quia verò Chriſtus diſcipulis ſuis, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi, etiam illud mandavit, *ſi vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, Mat.* 10. addit. *Si verò ſubditorum ſaluti poſsit ſufficienter in abſentia paſtoris per aliam prouideri, tunc licet paſtori, vel propter aliquod commodum Eccleſiæ, vel perſonæ periculum, corporaliter gregem deſerere. Vnde Auguſtinus dicit in Ep. ad Honoratum* 180. Fugiant de ciuitate in ciuitatem ſerui

Christi, quando eorum quisque specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cùm autem omnium est commune periculum, hi, qui alijs indigent, non deserantur ab his, quibus idigent. *Si enim pernicioſum eſt, nautam in tranquillitate navem deſerere, quanto magis in fluctibus? vt dicit Nicolaus Papa, & habetur 7. q. 1.* de qua re vide Cajet *ibi, &* Sotum *li. 10. de juſt. q. 3. art. 4.*

VI. Eaque postrema difficultas, *Num ad martyrium opus ſit, vt quis expreſsè moriatur, eo quòd fidem negare, vel Deum offendere nolit, dum ad id cogitur.*

Reſp. negat. tam in infantibus, qui eum actum habere non possunt; quàm in adultis, vt si justus, paratus millies mori, quàm fidem negare, vel Deum offendere, odio fidei dormiens perimatur: vel etiam, si vigilans quidem, sed extemplo propter Christum globo trajectus, statim expiret. Haud enim ambigo, quin S. Carolus Borromæus, Mediolanensis Archiepiscopus, & S. R. Card. si, quando Hieronymus Farina apostata clanculum in eum pijs precibus intentum, bombardam explosit, protinus occidisset, (vt magno Dei miraculo, pro populorum salute, omne evasit periculum) Martyr haberetur Ecclesiæ.

Hisce præmissis, jam ostendendum est, quàm justè Ordinis ordinis nostri Religiosi illi, de quibus præfati sumus, inter Martyres fuerint recensiti. In qua nihilominus re, nullam majorem adhiberi mihi fidem exposco, quàm historicæ narrationis ratio, & rei ipsius, ad rectam judicij libram expensa, requirit. Igitur authores in historiæ veritate perscrutanda accuratissimi, & in theologica facultate doctissimi (quippe qui vt plurimùm fuerunt in ea Doctores, & longo tempore professores) qui id tradiderunt, sunt infrascripti.

Bernardus Guido Lemovicensis, Hæreticæ pravitatis Inquisitor Tolosanus, ac deinde Landolensis Episcopus, in Chronico Ordinis, quod jussu Gen. M. Ord. Fr. Aymerici Plancentini anno Christi 1303. conscripsit, agens de prædicatione no-

stro-

strorum apud Cumanos, sic ait. *Post multos autem labores fratrum, cœpit, Deo cooperante, ibi esse Conventus, & incœperunt inter eos prædicare confidenter. Numerum autem eorum, qui ad fidem Domini Iesu Christi de die in diem convertebantur, Dei solius est computare. Cùm hæc sic agerentur, supervenit, occulto Dei judicio, Tartarorum persecutio, quæ non solùm dictam prædicationem fratrum nostrorum impedivit, sed multos ad Regnum Cœlorum ire compulit, vt circiter nonaginta fratres nostri Ordinis, alij gladio, alij sagittis, alij lanceis, alij ignibus concremati ad Regnum cœlorum transierint.*

Autor Chronici Gen. ad finem Constitutionum Ord. Præd. folio 38. *eodem anno* 1221. *Fr. Paulus Vngarus cum quatuor socijs missus fuit ad Vngariam ad prædicandum. Hic erat actu legens in jure Canonico, quando intravit ordinem. Hi igitur totam provinciam peragrantes, magnum fructum fecerunt in populis. & multiplicatis ibidem fratribus, missi sunt aliqui à dicto Fr. Paulo in terram, quæ Structium dicitur, quam hæretici, & schismatici incolebant, vbi post multas tribulationes, tandem Domino largiente, mirabiliter profecerunt. Deinde memores dicti fratres devotionis B. Dominici, qui ire volebat ad prædicandum Cumanis, qui nullam penitus Dei notitiam habebant, ordinaverunt mittere fratres ad dictam terram. Quam ingressi, sed exire compulsi, & denuò regressi ad eam, prædicare cœperunt: & duobus ex ipsis martyrio coronatis, alij in prædicationis officio perseverantes, converterunt primò Ducem vnum ex ipsis nomine Bruchi, qui in Fidei Christianæ confessione decessit: postea verò alium Ducem majorem nomine Bibrech, cum mille de familia sua, quem Rex Vngariæ Andreas de Sacro fonte levavit: qui similiter susceptis Sacramentis Ecclesiæ, fideliter decessit. Fratres igitur perseverantes ibidem fructum maximum fecerunt, & Conventus ceperunt. Cùm hæc agerentur, & fervor Fratrum magis ad conversionem Paganorum accresceret, Dei occulto judicio venerunt Tartarorum exercitus, qui non solùm prædicationem prædictam impediverunt, verùm etiam circiter nonaginta Fratres ad Regna cœlestia per coronam martyrij transmiserunt.*

Leander Albertus, historicus insignis, qui præter res

noſtrorum vtriusque ſexus hominum, Italiam totam deſcripſit, & expenſis Bononienſis Senatus, Bononienſium hiſtorias condidit, aliaque elaboravit, lib. 2. de viris illuſtribus Ord. Præd. fol. 58. & 59. tit. *Fratres per Tartaros Martyrio coronati. Paulus Hungarus, vir Pontificio jure clarus, toga Prædicatoria ſumpta, à Parente Dominico cùm quatuor ſocijs in Hungariam ad verbum Dei ſeminandum miſſus eſt. Igitur provinciam ingreſſi, nulli labori parcentes, in brevi magnum Domino populum acquiſiere. Porrò Fratrum ibidem aucto numero, Paulus ex eis aliquos ſelegit, & præmiſit in quendam locum, vulgò Structium dictum; inde ordinata Provincia, ad Cumanos penitus Dei veri legis expertes decreverunnt tranſire. Ingreſſi itaque Cumanorum terminos, illico cœperunt Fidem Chriſti prædicare: ſed ab ipſis expulſi, in Vngariam remeare coacti ſunt, amiſsis duobus ſocijs, qui alijs conſtantiores, dum in confeſsione Chriſti perſeverarent, Martyrij coronam ſunt adepti. Iterum reaſumptis viribus, redierunt, & intrepidè Sanctam fidem prædicarunt.* & inferiùs: *Verùm cum hac maximo ſucceſſu fierent, ſuccreſceretq; paſsim in Ethnicorum ſalutem fervor, occulto Dei judicio, Tartaris in incolas provincia hujus immaniter irruentibus, factum eſt, vt ex Fratribus, ad cœleſtem atque perennem illam gloriam* per martyrij palmam *circiter nonaginta tranſmiſsi fuerint. Porrò ex bis in fide Chriſti perſiſtentibus, alij gladio truncati, alij telis, & ſpiculis obruti, & quidam igni conſumpti ſunt.*

Catalogus hominum illuſtrium Ord. n. annexus libro Privilegiorum ejuſdem Ord. à Gen. Mag. Fr. Stephano Vſuſmaris, tit. Martyres: *Ardebant eo tempore Fratres zelo fidei dilatandæ, multiq; maximis privilegijs ab Apoſtolica Sede ornati ad diverſas infidelium partes Aquilonis, & Orientis acceſſerunt. Quorum quidam poſtquàm regionem, quæ Structium dicitur, ad Chriſti fidem converterant, ad Cumanos tranſivere, vbi poſt multorum converſionem, duo fratres ab infidelibus interfecti ſunt. Irruentibus deinde Tartaris, ad nonaginta circiter Fratres occiſi, martyrij coronam reportaverunt; à quibus etiam in Vngaria quidam ſenior genere nobiliſsimus, habitu, & moribus ſanctus, cæteros ad conſtantiam confortans, ante majus altare in Eccleſia*

con-

confossus manus, & pedes spiculis, & excusso cerebro, interemptus est.

Antonius Senensis, Lusitanus, S. Th. Mag. & Regens Lovanienſis, in Chronico, inter beatos, & martyres eos recensens, ait inter alia: ad hanc decadem (1261.) pertinere illos nonaginta Fratres, qui fuerunt pro Christo à Tartaris trucidati in Vngariæ partibus, &c. De mortis tempore nihil modò solliciti, de quo aliàs diximus, nunc rem ipsam confirmamus. pag. 116 & 117

Indiculus Beatorum aliquot Martyrum, & Confess. Sacri Ordinis Præd. post nostri Ordinis martyrologium, jussu M. Gen. Fr. Hieronymi Xavierre, S. Rom. E. Cardinalis editum, & Clementis octavi Su. Pontificis authoritate confirmatum, titulo *Beati Martyres Ordinis nostri*, inter alia: *Duo Fratres apud Cumanos ab infidelibus pro Christo interfecti. anno 1242. Nonaginta Fratres in Vngaria à Tartaris trucidati, Martyrij palmam acceperunt.*

Thomas Malvenda S. Th. Mag. vir omnigena eruditione clarissimus, totius antiquitatis scrutator acerrimus, multorumq; præstantis doctrinæ librorum confector, in annalibus prædicatorijs anno 1222. vbi recensuit verba Guidonis, quæ & nos primo loco dedimus, ait. *Hactenus Guido. eadem omnino Susatus, Leander, Castillus, & alij, qui omnes nobile illud nonagintanovem fratrum Martyrium, hoc anno 1222. contigisse affirmant. Interfectum tunc vnà cum alijs Fr. Paulum Vngarum, qui ipse Dux verbi erat, Antonius Senensis, Castillus, & alij annotarunt.* & inferiùs. *Hæ igitur dici poterunt Primitiæ Martyrum Ord. Prad. nempe primùm duo illi Fratres à Cumanis interfecti, post modum alij nonaginta, Tartarorum immanitate trucidati, qui vexillum confessionis fuso sanguine primi in Ordine erexerunt, initiaq; nascentis Religionis, quò solidiora in omne avum subsisterent, mirificè consecrarunt.* an. 21. 22.

Ioannes Michael Plodius, S. Th. Doctor, multoque tempore professor, & jam diù Status Mediolani Generalis hæreticæ praviratis Inquisitor prudentiss. æque ac zelantissimus, in Progenie S. P. Dominici per Italiam, *Sanctus*, inquit, *Fr. Paulus Vngarus, qui jure nuncupari potest harum nationum, Vngariæ, Cumaniæ, &c. Apostolus, gloriosè obijt apud Cumanos, martyrio propter* li. 2. c. 63. pag. 442.

fidem coronatus. Sed non solus cœlos conscendit; nam eò cum ipso transmissi sunt plus quam nonaginta ejus socij; è quibus aliqui igne cremati, alij sagittis confecti, nonnulli lanceis transfixi, quidam gladijs trucidati fuerunt. & opere de viris illustribus Ord. Præd. semel ita scribit: *Beatus Paulus apud Cumanos, vt ait Castillus, cùm nonaginta & amplius Fratribus, per manus Tartarorum, qui illi regioni, Taegio tesse, supervenientes, erectos jam Conventus solo aquarunt, & fidei prædicationem impedierunt, & martyrio Beatos istos, aliquibus in igem immissis, alijs jaculis confixis, nonnullis lanceis perterebratis, quibusdam ore gladij absumptis, affecerunt.* & iterum agens de B. Martyre Vngaro anonymo, (quem nos diximus Buzad vocatum fuisse:) *Non solus in Cœlum evolavit, nam in ea persecutione Tartarica, varijs locis, centumnonaginta circiter fratres, lanceis, gladijs, sagittis, & igne peremptis, martyrio coronati sunt.*

li. 1. col. 331.

col. 333.

Abraham Bzovius S. Th. M. & post Cardinalem Baronium Annalium Ecclesiasticorum conditor, anno 1222. n. 9. titulo, Martyrio affecti Patres apud Cumanos. *Cùm hæc sic agerentur, & in dictorum Paganorum conversione fratrum zelantium animas fervor magis ac magis angeretur, occulto Dei judicio, supervenit Tartarorum persecutio, quæ non solùm dictam prædicationem fratrum nostrorum impedivit, sed multos ad regnum Cœlorum festinanter ire compulit, vt circiter nonaginta Fratres Ord. Prad. alij gladio, alij sagittis, alij lanceis interfecti, alij ignibus concremati ad beatitudinem transierint.* & postea. *Interfectum tunc vnà cum alijs Fratrem Paulum Hungarum, qui ipse inter Duces verbi erat, Antonius Senensis, Castillus, & alij annotarunt. Sed ea sub annum Domini* 1241. *acciderunt, quando Fratres Prædicatores vexillum confessionis, fuso sanguine, primi apud Cumanos erexerunt, initiaq; nascentis Religionis, quò solidiora in omne ævum subsisterent, mirificè consecrarunt.*

Alphonsus Fernandez, Historiæ Ecclesiasticæ nostrorum temporum, Concertationis Prædicatoriæ, Rosarijq; V. Deiparæ & aliorum librorum scriptor, in ipsa Concertatione anno 1241. post multa: *In Tartarica ista incursione nonaginta circiter Fratres*

Ord. Prad. alij gladio, alij ſagittis, alij lanceis interfecti, alij ignibus cremati ad beatitudinem tranſierunt. De his nonaginta martyribus mentionem fecimus ſupra anno 1233. n. 2.

Dominicus Gravina S. Th. Mag. vir pietatis opinione celebris, qui ſæpius pro ſua humilitate oblatos Epiſcopatus recuſavit; & eruditionis præſtantia nulli noſtra ætate ſecundus, deque tota Eccleſia conſcriptis plurimis diverſarum rerum libris, & magnis adverſus noſtri tempores hæreſes voluminibus, optimè meritus, in Voce Turturis ait: *Pendent (vt nonnullos innumeris omiſsis recenſeam) hinc botri, nonnaginta ſcilicet Martyres, à Tartaris trucidati.* & poſtea: *hinc centumnonaginta fratres, partim Tartarorum ſpiculis, ac telis, partim patibulo, aut lapidibus obruti, aut vivi decoriati, aut flammis exuſti, aut capite obtruncati in Vngaria, Dalmatia, ac Boſsina Martyrium conſummantes, vineam quoque noſtram decorant.* p. 2. c. 22.

Petrus Malpeus, olim Prior Bruxellenſis, in Palma fidei, qua de Martyribus Ordinis Præd. tractat, de iiſdem martyribus à Tartaris peremptis fusè ſcribit. pag. 4.

Auctor præfationis ad Directorium conſcientiæ Fr. Ioannis de la Cruz Theologi Ord. Præd. Duaci anno 1632. impreſſæ.

Anno 1222. Patres noſtri Cumanorum Gentilium converſioni totis viribus inſudarunt; cumque nobiliores eorum Baitum, & Bembrocum cum mille ex familia ab errorum tenebris ad Fidei ſplendorem revocaſſent, ingruente immaniſsima Tartarorum perſecutione, nonaginta Fratres Martyrij palmam adepti ſunt, alij gladio, alij lanceis, alij ſagittis interfecti, alij ignibus concremati. Quid hîc referam centum & nonaginta Fratres, quos in Hungariæ, & Dalmatiæ Regnis in anno 1263. à Tartaris variis tormentorum generibus glorioſum Martyrium conſummaſſe ſcribunt?

Auctoribus hiſce tredecim ex Ord. noſtro, quinque alij & ipſi planè inſignes & ſinceriſsimi ejuſdem familiæ ſcriptores junguntur: Georgius Eppius VVimpinenſis. S. Th. Lector: lib. de Viris illuſt. Ord. Præ. Ambroſius Taegius p. p. monumento-

rum Ordinis, quæ diligenter m. s. s. pluribus voluminibus extant in S. Mariæ Gratiarum Mediolani bibliotheca: Seraphinus Razzius, S. S. Th. Mag. & innumerorum penè librorum confector, libro de Beatis Ord. Præd. Mag. Ferdinandus Castillus, Regis Cath. Philippi II. Eccleſiaſtes, (tanta doctrina, vt de illo quidam dicere nõ dubitaverit, quatuor ex eo eruditione vnde quaque clariſsimos fieri comodè potuiſſe) Centuria 1. generalis hiſtoriæ totius Ordinis Prædicatorum: Celebris Doctor, & Inquiſitor, Iacobus de Suſato: quorũ teſtimonia quamquã certiſsima, cùm libros ad manum non habeam, ad verbũ nunc dare nõ licet.

Accedit denique vir præclarus, Ioannes Fridericus Mateneſius, S. S. Th. Licentiatus, Coloniæ ad D. Cuniberti Canonicus, & Paſtor, nec non S. R. E. Protonotarius, qui li. 13. hiſt. Eccleſiaſt. anno 1222. ita ſcribit: *Fratrum Prædicatorum complures perſecutione Tartarorum Martyrio affecti, quorum ſanguine irrigati anno 1241. Cumani plerique ad Fidem converſi ſunt. Inter Martyres emicuit prædicatione, Fr. Paulus Vngarus.*

Iam fidem meam, Candide Lector, aſtruxi; nunc exigo tuam, num homines ego noſtros à Tartaris olim mactatos martyrum nomine primùm, an alij, ijque plurimi, & clariſsimi nuncupaverint; num jure, an injuria egregias Heroum laudes, ad nos, à quatuor ferè ſæculis, nullo reclamante, tranſmiſſas, ad Dei, inclytæq; gentis Vngaricæ virentem ſemper gloriam, pro ſuceptæ ſcriptionis inſtituto, vulgaverim. Equidem tantùm abeſſe putem, vt quod ſcripſi, juſtè quiſpiam reprehendere poſſit, vt ſi tacuiſſem, ſceleris potiùs, quaſi tantæ virtutis, ac laudis invidus, redargui jure deberem. An dicturus es hoſce Auctores fide nutare? Sed quidnam, obſecro, vnquam ex hiſtorijs Populorum, Religionum, Principum, probari licebit, ſi quæ ſcribuntur à plurimis, cùm primis doctis ac pijs, pro libidine cuncta negentur? An conditiones martyrio neceſſarias dubitas adfuiſſe? Profecto mors non defuit, quandò alij gladijs, alij jaculis, alij ianceis, alij igne mortui fuiſſe narrantur. Non de-

fuit

fuit acceptatio: qui enim viri ſanctiſsimi, & ſalutis animarum ſitientiſsimi, aliorum erant Prædicatores, & novellam Chriſtianitatis prolem ad conſtantiam fidei, virtuteſque omnes, ferventiſsimè animabant, non eſt, cur ſuſpicemur, eos ſibi defuiſſe. Non ſtatus Charitatis, ad quam ſive procurandam, ſive augendam, per Sacramenta, contritionem, preces, pias exercitationes, ob præſentaneam mortem, in ferociſsimorum Scytharum perſecutione, par eſt credere fuiſſe intentiſsimos. Non demum, cauſſa, quæ Martyres reddit; cùm Tartari illis irruptionibus odio Chriſtianæ Religionis in Religioſos præcipuè homines deſævirent; vnde non alia de cauſſa in Poloniam iterum excurrentes, quadragintanovem illos Fratres noſtros, quorũ Præſul erat B. Sadochus, alter Vngariæ Apoſtolus, Virginis Deiparæ Salve Regina veſpere decantantes, Sandomiriæ interemerunt; quos & cœleſte pridie occiſionis oraculum, cùm ex Eccleſiæ tabulis divinitus exaratum illud promulgatum fuit edictum, *Sandomiriæ Paſsio quadragintanovem Martyrum*, & Apoſtolicum deinde Alexandri Quarti, Summi Pontificis decretum Martyres eſſe ſancivit. Sanè ſi quicquam defuiſſet, viri nedum pietate, ſed etiam Patrum lectione, & Scholaſticæ Theologiæ eruditione præſtantes, talia ſcriptis conſignare perhorruiſſent. Nec quia ſingulæ apud ſcriptores aliquos martyrij circumſtantiæ expreſsè minimè exaratæ leguntur, illos è martyrum cœtu deturbare licebit. Si enim detur ea licentia, complures ex Martyrologijs, Menologijs, hiſtorijsque Eccleſiaſticis expunges, de quibus numquam fuit addubitatum. Sanè opus eſt, crede mihi, in plurimis affectione pia, ſine qua non abſque piaculo grandi ſæpiùs errabis. Sed video obijcientem audire, non fuiſſe noſtros occiſos, eoquòd fidem expreſsè negare, vel Deum offendere nollent, ad id coacti, quod requiritur ad martyrium. Ad quod ajo, quid de inſinuata ad martyrium conditione ſentiendum ſit, me jam antea ſcripſiſſe: quam nihilominus noſtris defuiſſe ſine cauſſa aſſumis; tum quòd argumentum illud negativum, non

u p. p. lib. un. c. 10.

V. Antonium Dianã p. 2. reſol. moral. reſol. 51.

lego

lego condicionem illam martyrij; igitur martyres non fuere, non teneat: cùm potiùs cordatis ac pijs è contrario inferendum fuerit, Viri plurimi pietate, & doctrina insignes, semper asseruerunt eos Martyrio fuisse coronatos: ergo nulla ad martyrium condicio potuit deesse: tum quòd ne ea quidem omnino silentio fuerit pertransita, quando egregius Leander ita scriptum reliquit. *Porrò ex his in Fide Christi persistentibus, alij truncaci, alij telis, vel spiculis, &c.* Sed dissertationi isti jam finem impono. Spero equidem majorem hisce scriptis fidem ab omnibus habendam in posterum, vbi vel in hoc puncto, quod adversus illa visum est fuisse validius, nihil me, nisi legitimis, ijsque quàm plurimis testibus, nec sine optima ratione protulisse; Deumq; vt, quod ad illius laudem, & gloriam elaboratum est, manifestiùs eluceseeret, objecta notaverint direxisse.

NONNVLLÆ AD COMMENTARIOS DE RebusVng. Provinciæ Ord. Præd. annotationes.

1. p. c. 1. addi possunt inter Imperatores ex Vngarico stemmate, Probus Maximi filius, Sirmiensis, de quo p. 4. c. 2. pag. 528. & Alexius Græcorum Cæsar, ex matre, Pannones, vt Ægnatius scribit, attingens. Memini etiam legisse quempiam ex Vngaris Romanam Petri Cathedram insedisse.

c. 9. ad ejusdem provinciæ Martyres putant aliqui pertinere & illos, de quibus Leander li. 2. fol. 59. *Adrianus Praefectus cujusdam Cœnobij, cùm vigintisex fratribus à Turcis palo suffixus est.* & catalogus post Martyrologium: *Fr. Albertus, alijs Adrianus, Prior, cùm vigintisex Monasterij fratribus à Turcis pro Christo ligno affixi martyrium consummarunt.* & alius post Ordinis privilegia, *vigintisex Fratres vnius Conventus cum Adriano eorum Priore, Turcarum sævitia palis suffixi, martyrium pro Christi fide tulerunt.*

c. 12. vbi igitur de miraculis S. P. Dominici in Vngaria, adde ilud apud Malvendam anno 1221. c. 55. in fine. *Quidam*

rusticus, Ruko nomine, in Pannonia mentem perdiderat, ac ita furebat, vt obuium quemquem, velut canis rabidus, inuaderet. Hic ad reliquias S. Dominici perductus, mentem accepit.

P. 2. l. 1. c. 12. & deinceps, quod ex Bzovio, & Plodio scripsi, B. Augustinum anno Christi 1332. obijsse, corrigendum est; cùm ex literis Caroli Ducis Calabriæ (quarum exemplar extat superiùs pag. 43. & 44.) ad Ioannem 22. Sum. Pont. datis anno 1325. pro inquisitione vitæ, miraculorumq;, & canonizatione ejusdem B. Augustini, jam defuncti, & portentis coruscantis, multò priùs ex hac illum mortali luce subtractum, appareat. Verisimilius est, quod D. Tomcus tradit, B. Augustini mortem in annum 1323. 3. Augusti, & 17. à Canonizatione S. Thomæ Aquinatis, quæ à Ioanne ipso 22. eodem anno 18. Iulij facta est, incidisse. Ac si verum est, quod idem Tomcus habet, sexennium à B. Augustino Lucerinum Episcopatum administratum fuisse, efficitur, hunc anno circiter 1317. inijsse, & Zagrabiensem 14. vel 15. circiter annos, ab anno sc. 1302. vel 1303. administrasse; subindeque, quod de vtriusque regiminis tempore c. 13. collegimus, juxta hæc emendandum.

Ibidem c. 12. vbi de patria B. Augustini disquiritur, etsi simile quiddam cum hoc Viro Sanctiss. accidisse videtur, quod in omnium Poetarum principe Homero contigit; de quo Cicero oratione pro L. Annio Archia, dicebat: *Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum, Chij suum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi suum esse confirmant, itaque delubrum etiam ejus in oppido dedicauerunt; permulti alij præterea pugnant inter se, atque contendunt*: & si inquam simile quiddam hîc accidisse videtur: ex auctoritate tamen vetustissimi Officij Ecclesiastici, multisque alijs à D. Tomco (qui alioquin facilè viros clarissimos ad patriam pertrahere consuevit) adductis, Dalmatam fuisse crediderim.

Illud lib. 2. c. 10. pag. 239. linea 17. sic legitur apud Episcopum Ranzanum Indice 15: *Malo igitur emori, quàm tuis mortiferis parere consilijs.* Quo intelligimus, sensisse S. Margaritam,

nulla facultate licere sibi post professionem absque lethali crimine in nuptias consentire.

Eodem li. c. 17. pag. 259. Putem cæleste illud visum de priscorum Patrum perfectione, S. Thomæ Aquinati innotuisse; cui propterea, pro gratia ad singula præstanda, Beatiss. Virg. Deip. suffragio assequenda, insigni illi ad eandem Deip. à quolibet Religioso quotidie recitandæ precaticunculæ, hæc inserere placuerit. *Deprecor te etiam, Domina mea Sanctissima, vt impetres mihi veram obedientiam, & veram cordis humilitatem, vt veraciter me agnoscam miserum, ac fragilem peccatorem, & impotentem non solùm ad faciendum quodcunque opus bonum, sed etiam ad resistendum continuis impugnationibus, sine gratia, & adjutorio Creatoris mei, & sanctis precibus tuis.* Ecce illud aurei documenti, *contemnere semetipsum.* & inferiùs: *Impetra mihi etiam, ò Domina dulcissima, Charitatem veram, qua dulcissimum, & dilectissimum filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum toto corde diligam, & te post ipsum super omnia, & proximum in Deo, & propter Deum. Sicq; de bono ejus gaudeam, de malo doleam, nullumq; contemnam, neque temerariè judicem, neque in corde meo me alicui praponam.* En illud, *amare Deum, non spernere, aut judicare alium.*

3. p. li. 2. c. 1. adde, tot insignia à Fratribus Prædicatoribus per Sanctum Inquisitionis Officium ad Ecclesiæ vtilitatem facta, vt Viri quidam prudentissimi, nullos alios majorem Ecclesiæ Catholicæ operam censeant præstitisse. Extant Romæ, in Arce (vt fertur) S. Angeli, gesta conscripta; quæ, si lucē aspicerent, vel sola ad immortalem Prædicatorum splendorem sufficere possent.

ibidem pag. 419. linea 28. adde. Pius 2. anno 1464. & Sixtus 4. 1473. Vicarium Congregationis Peregrinantium ad partes infidelium totius Orientis, Inquisitorem Hæreticæ pravitatis in omnibus illis regionibus, cum facultate alios Inquisitores instituendi, crearunt. *Nos*, inquientes, *dilecto filio Christophoro de Viterbio Ord. Prad. S. Th. Professori, totius Societatis peregrinantium propter Christum inter gentes Vicario generali, & hæretic-*

apud Vsumasis à folio 141.

pra-

pravitatis Inquisitori per nos deputato, & constituto, & aliis suis successoribus pro tempore deputandis, in partibus orientalibus tam fidelium, quàm infidelium constitutis, & quam maximè in Civitatibus Caffa, & Perа, Chij, & in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zirorum, Ruthenorum, Syrorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Agolesticorum, Tartarorum, Carelorum, Hungarorum majoris Hungariæ, & aliorum, qui nondum Sacramenta fidei perceperunt, &c. concedimus facultatem, &c. vt alios Inquisitores hæreticæ pravitatis, in Provincijs, de quibus sibi videbitur, supradictis, substituere, & ordinare valeat.

3. p. li. 4. adde juxta seriem annorum. Anno Christi 1309. B. Augustinus Zagrabiensis Episcopus Ord. Præd. vt idem Fr. Gentilis Legatus Apostolicus Ordinem S. Pauli I. Eremitæ sub S. Augustini regula confirmaret, effecit. Testis est Io. Tommeus in vita ipsius. pag. 32

Anno Christi 1311. idem B. Augustinus, Viennam Galliæ, ad Concilium à Clemente V. pro summis Ecclesiæ difficultatibus, Magni viri, Fr. Nicolai Pratensis ex Ord. Præd. consilio indictum, cum ipsomet Cardinali Legato profectus, ibi à Cal. Octobris ad sesquennium cum cæteris Patribus, doctè æquè ac sanctissimè definivit. Fortè & eidem Concilio duo alij Vngari ex nostra familia, Fr. Andreas Archiepiscopus Antiliarensis, & Fr. Benedictus Transylvanensis Episcopus, interfuere.

Anno Christi 1415. à Constantiensi Consilio, Ioannis Husz hæresiarchæ caussa, ex quatuor nationum Commissarijs, pro Italica natione, Ioanni Archiepiscopo, & Cardinali Ragusino ex nostro Ord. commissa fuit his verbis. *In materia fidei contra Ioannem Husz, autoritate hujus Sacri Concilij, procedent Archiepiscopus Ragusinus pro natione Italica: pro natione Germanica Episcopus Flebbiensis; M. Vrsinus Taluenda pro natione Gallicana; M. Guillermus Comes pro natione Anglicana, in sacra pagina Magistri: causam dicti Ioannis Husz, & suorum sequacium, examinando, & in illa* Conc. Constantiense Sessio. 6. anno 1415. 17. Aprilis.

procedendo vſque ad diffinitivam ſententiam inclusivè. Denique Huſz, hæreticus, immò hæreſiarcha convictus, cùm in perfidia animo obſtinato perſiſtens, nollet errores retractare, in ſolemni Concilij ſeſsione, poſt habitam concionem à noſtro Fr. Iacobo Laudenſi Epiſcopo, (qui & habuit in condemnatione Hieronymi Pragenſis) lectaque in eum judiciali ſententia, condemnatus, degradatus, & brachio ſæculari traditus, ex igne temporaneo ad æternum deſcendit.

4. p. c. 2. pag. 511. col. 6. vbi dicitur, quæ hodie Scutari nominatur, corrige, quæ olim Epirum dicebatur. pag. 521. col. 2. adde. Gilnizenſis; hic ſub annũ 1454. ad exactam regularis vitæ normã à Mag. F. Leonardo de Vale Brixinenſi, cum alijs Vng. Prov. Cõventib⁹, revocat⁹, cùm à triennio nonnihil audiret recidiſſe, de eo in optima diſciplina cõtinendo, decernebat Fr. Iacob⁹ Reich, Cõventuum reformatorum ejuſdem Provinciæ Vicarius Generalis.

4. p. c. 2. pag. 521.

Ibidem pag. 523. col. 27. adde. Noviclauſtri in Styria, ſolitudine, rivis, ſyluis, planitie, collibus, vinetiſque peramœna, tribus circiter Germanicis leucis Cilia diſtans. Fundarunt Comites Cilienſes, multiſque bonis, & divite ſuppellectili ſacra locupletarunt. Sed eam cum omnibus facilè mobilibus anno Chriſti 1479. menſe Auguſto, triginta Turcarum millia, Rege Matthia Olomutij Comitia habente, ex inſperato in Vngariam, indeque Styriam, more turbinis irruentes, vtique diripuerunt; nihil, præter pharetras quaſdam ſuas benè craſſas, (quas à decennio vidi) in ſui fortaſſe memoriam, dimittentes. Quin & Fr. VVolfgangum in imminente Conventui colliculo jugularunt; cujus corpus ſub dio, ſummis inſolentiſsimæ ficcitatis, qua Savus, & Dravus, ſemper & vbique navigabiles, pedibus traijci potuere, æſtibus, & ſolis ardoribus, poſt triduum à receſſu Turcarum repertum, ſuavem odoris fragrantium efflans, in periſtylij proxima ſacrario parte tumulo illatum fuit. Cæteros verò Relig. Fratres doctos & pios, Turcæ ſecum in miſeram captivitatem abduxerunt; Conventus monimentis adhuc

rem

rem gestam testantibus. Triginta hominum millia cum ingenti præda, incensa, vastataque non parva ex parte provincia, secum abduxisse, eorum temporum auctor Bonfinius scribit. Hic etiam Conventus reparationi Vng. Provinciæ fuit assignatus. Dec. 4. l. 5. p. 606.

c. 7. vbi agitur de V. Deip. Rosario, si quis, (vt cùm eadem Clementissima Advocata, & spei nostræ anchora firmissima finiam) modum illius recitandi nosse desiderat, habet non solùm ab autoribus nostris, qui planè in re ista innumeri sunt: sed etiam apud Magnum Martinum Navarrum miscellan. 24. Ludouicum à Ponte Soc. Iesu to. 2. medit. p. 5. meditat. 38. Valerium Reginaldum ex eadem Soc. in Praxi fori Pœnit. p. 1. lib. 4. p. 2. c. 11. sect. vlt. in appendice, Reverendiss. D. Davidem Cornerum, Abbatem Gottuicensem ex Ord. S. Benedicti, virum omni pietatis, eruditionis, prudentiæ, & beneficentiæ laude præstantem, in numquam satis commendato (ex plurimis, quos tum edidit, tum editioni paratos habet) libro, cui titulus, Promptuarium Catholicæ devotionis, p. 5. c. 3. Verumenimverò mos ille publicè recitandi in Ecclesijs nostris, & alijs, in quibus Rosarij Archifraternitas erecta est, vsitatus, quo hortante è suggestu Concionatore, & singula mysteria pijs meditationibus contemplanda proponente, per vtriusque sexus hominum choros vbique festivis diebus, alicubi etiam alternis, alicubi quotidie, magna frequentia, & devotione recitatur, incredibile est, quanto opere Virg. Deipara placeat, quot beneficia populis præstet, quot fructus in Ecclesia Catholica pariat.

Maria Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & S. Spiritu
In sempiterna secula.

INDEX RERUM, ET PERSONARVM.

NVMERVS SIMPLICITER, *Operis, aſteriſco * notatus,* Appendicis paginam indicat.

A.

Abbates ex Ordine Prad. in Regno Vngariæ. 415.
Aethiopia quot Martyres ex Fratribus Pradicatoribus enumeret. 61.
Agria. 510.
Albæ, quot in Regno Vngariæ. 509. 510.
Amor proprius, venenum animam inficiens. 484.
Andreas II. Rex Vngariæ, Hieroſylmitanus cur dictus, 28. *totius Chriſtiani exercitus ductor in Oriente, ibid. qua præſtiterit ibi, ibidem. Quas tulerit in Vngariam Sanctorum reliquias,* 29. *duas habuit conjuges,* 29. 386. *ſub ipſo Ordo Pradicatorum Vngariam ingreditur.* 24.
Andreas III. Vngariæ Rex, cur Venetus dictus, 388. *Parens Eliſabethæ Sanctim. Ord. Prad.* 385.
Andreas Vngarus O. Prad. ad Papam pro Canonizat. B. Margaritæ miſſus, 310. *&* 403. *Archiepiſcopus Antiliarenſis à Clem. V. creatur, ibidem.*
Andreas à Dyrrachio O. P. Arch. Raguſinus, 404.
Andreas Vngarus O. P. Epiſc. Boſnenſis, 409.

Andreas Vngarus O. P. Antistes Sarubensis, 412.
Anima, quemodo in cœlum recepta, qua interdum corporibus reunita, 115.
Antipapa, membrum diaboli, Antichristus. 485. 486.
Antonius Iadrensis, Episcopus Modrusiensis, 411. Confessarius Regina Beatricis, ibidem.
Antoninus à Grosupto, Theologus Concilij Trid. 432. Apostolicus Commiss. per Regnum Vngaria contra pravitatem hareticam, 430. Orator Pij V. ad Archiepis. Stigoniensem, caterosque Prasules Vng. 500. multos annos S. Th. in Viennensi Academia professus 433. Decanus facultatis Theolog. sapè, ibidem. Procurator Austriaca Nationis moritur. ibidem.
Apostolici Vngarorum Reges vnde dicantur, 18.
Archiepiscopi qui dicantur, 395.
Archiepiscopi, in, vel ex Regno Vngaria Ord. Prad. 403. & 404.
Asserficulensis Civitas, & Conventus O. P. 510.
B. Augustinus Vngarus Ord. Prad. 105. Professio, Studia, Episcopatus, 115. & seq. miracula ejus coram Benedicto XI. 117. vt Carolobertus, ab Vngaris Rex suscipiatur, persuadet, 118. & 478. transfertur ad Episcopatum Lucerinum, vbi moritur, 118. multis magnisq; miraculis claret, quæ jussu Ioannis XXII. colliguntur pro Canonizatione, 121. Miracula ejus avo nostro patrata, 121. populorum in illum, ejusq; tumulum, & reliquias devotio, 124. Patria ejus. 129. 35.* translatio corporis, 129. consultatio Vrbis Lucerinæ de illo in Patronum deligendo, 125. Officium illius Ecclesiasticum, 130. & seq Vita illius per D. Episcopum Ioannem Tomcum à pag. 1. * & deinceps.
Augustinus Zagrabiensis, pro reformatione Prov. Vngaria missus Romam, 587. & seq.

B.

Banensis Conventus. 521. 76.*
Bartholomæus Lapacius Ord. P. Episcopus Coronensis, missus in Vngariam à Pont. Inquisitor hæretica pravitatis, 413. 427. 494. virtus,

& eruditio, 1427. missus secundò in Vngariam, moritur in expeditione contra Turcas, 494. discipulus B. Ioannis Dominici, 175. 496.
Bartholomæus Bononiensis O. P. Episcopus Signiensis. 410.
Beati, qui dicantur. 90.
Benedictus Vngarus, O. P. Episcopus Transsylvaniensis. 409.
Bernardus Ghetaldus, O. P. quæ scripserit, 449.
Blasius Constantinus Ragusinus, O. P. Episcopus Tribunensis, 410. vapulat à S. Dominico, quòd habitum Ordinis dimittere cogitaret, ibidem. sub fratrum pedibus jubet se sepeliri, 411.
Blasius alter O. P. Episcopus etiam Tribunensis, ibidem.
Boetius è Transsylvania, O. P. quæ scripserint, 443.
Bonifacius octavus, legatum misit in Vngariam Fr. Nicolaum Tarvisinum, Cardinalem Hostiensem O. P. 396. 473.
Bosnia ab hæresibus repurgandæ operam navant fratres Prædicatores. 65. 464. plures ibi in perfidia obstinatos igni tradiderunt. ibidem. Templa destructa, & malè habita restaurant. ibidem.
Bosnensi Ecclesiæ pro ædificatione Cathedralis, & defensione fidei, Fratres Præd. Quinque ecclesienses assistere, à Pont. jubentur. 466.
Bosnensium I. Episcopus Fr. Ioannes Teutonicus, O. P. 406.
Bosnensibus hæreticis, & schismaticis convertendis fratres Prædic. mittuntur à Greg. IX. 166.
Bosnensis Cathedralis causa commissa Episcopo Iaurien si, & Priori Albensi, O. P. ab Innocentio IV. 466.
Bosnensibus Manichais convertendis operam dat Ioannes de Turre Cremata Card. O. P. 496.

C.

Canonizationis B. M. V. Vngaricæ tractatus, 310. & seq.
Canonizatos plerique non canonizati excedunt meritis, & præmio essentiali, 317.
Capitula generalia O. P. in Vngaria cum statutis. 553. & deinceps.
Cardinales omnibus post Su. Pontificem Ecclesiæ membris excellunt, 393. alia eorum Prorogativa, ibidem, & deinceps.

Cardinales qui in Vngaria ex O. P. ibidem.
Carmina in laudem B. Margaritæ V. 352. & seq.
Cassoviensis Prior, Commissarius Pontificius in Inhilæo, 497.
Cassoviensis Conventus, 512.
Castitatis in tentatione omnis mora periculosa. 96.
S. Catharinæ Senensis O. P. litera ad Ludovicum 1. Reg. Vng. vt Vrbanum 6. tueatur: quod & factum, 480. & deinceps.
Charitatis encomia, 481. & deinceps.
Charitatis signa præcipua, patientia in adversis, & beneficentia in adversarios, 483.
Charus, sive Carolus Chakius Vng. B. Mauritij germanus, O. P. 154. virginitatem illibatam ad obitum vsque custodivit, ibid. vixit sanctissimè, ibidem. magna Sanctitatis opinionione moritur, ibidem. honorificè sepelitur in loco eminentiori, ibidem.
Chakiana familia, præclara in Vngaria, 153.
Clemens V. committit Inquisitoribus O. P. in Vng. extinctionem Templariorum, 477.
Concilij Lugdunensis decreto sacra militia contra Saracenos in Syriam comparari mandatur. 472.
*Concilio Viennensi interfuit B. Augustinus Episcopus Zagrab. O. P. 35.**
Concilij Pisani occasione schisma majores vires sumpsit. 184.
Concilium Constantiense Greg. 12. autoritate confirmatur, 192. In eo magna hominum frequentia, ibidem. Generalis Prædicatorum suffragium habuit in electione Martini V. 195. viri ejusdem Ordinis ibi strenuè laboraverunt, 209. schisma, electo Martino V. extinctum est, ibidem. magna vnionis pars B. Ioannes Dominici Card. Ragus. O. P. ibidem.
Concilium Basiliense, à principio legitimum, deinde illegitimum, 446. in eo Fr. Ioannes Ragusinus contra Hussitas eruditissimè disputavit, 447.
Concilio Tridentino interfuit ex Vngaris, Fr. Ioannes Colosvarienſis O. P. Episcopus Chanadiensis, 411.
Confessarij Regum, & Principum in Vngaria, ex O. P. 472.

Collegia, & Vniversitates Prou. Vng. 539.

Conradus Marpurgensis, an simpliciter 1. *Martyr O. Prad.* 63. 385. 407. *magister S. Elasabatha Vngara, jussu Greg.* 9. *ejus vitam* 8. *libris descripsit,* 385.

Consanguinitatis gradus inter Regias ex Vngarico stemmate personas Religiosas Ord. Prad. & Minorum, 386. *& seq.*

Conventus, O. P. qui primùm in Vngaria fundati, 24.

Conventus omnes ad Provinciam Vng. spectantes, ad extensum à 506.

Conventus totius coronæ Vngariæ, aliquando ad vnam Provinciam spectantes, in duas distributi, 592.

Corepiscopi olim, qui, 375.

Cruciferorum vota pro subsidio Terræ Sanctæ, in Vngaria, 465.

Cumani, qui. 39. *eis prædicare S. P. Dominicus cogitabat.* 39. *ad eos destinantur Prad.* 38. 47. *secundò repelluntur Prædicatores, è quibus duo occisi,* 40. *duos illorum Principes, cum multis populis convertunt,* 40. *illorum, aliorumq; conversioni dantes operam, quàm Deo accepti, divinitùs ostensum,* 42. *Cumanis nuper conversis proprius Episcopus à Greg.* 9. *designatus,* 465. *hortatur Pont. Belam, vt eis Cathedralem erigat, & proventibus locupletet, ibidem. Eorum Prædicatores omnes, à Tartaris pro Christo perempti,* 46. *seq. in Vngariam profugi, Fratrum Prod. opera ad fidem convertuntur,* 50. *Prædicatio in Cumania intermissa, magno conatu instaurata,* 47. *Cumanorum multa millia convertuntur,* 48. *Innocentius* 4. *concedit, vt fratres donent Indulgentias Cumanis,* 467. *idem Pont. aliq; dant literas amplissimas Prædicatoribus Cumanorum, & aliorum infidelium,* 467. *& deinceps,* 473. *Cumani à Fratribus edocti, jejunia quadragesimæ, & alios Ecclesiæ ritus observant,* 471. *Cumanis, & aliis infidelibus intra Vngariam constitutis, Fratres Prad. & Minores, Clementis VI. jussu destinantur,* 479.

D.

Devotio Vngaria ad B. V. Deiparam, 423.

Deus tradit populum ſuum hoſtibus, quando Epiſcopi, & Principes plus nimiò inhiant temporalibus, 502.

Docendi munus, quorum, 437.

Doctor, quot modis dicatur, 437. *Doctorum excellentia*, 436. *inter eos, cæteris paribus, digniores, qui ſcripſerunt*, 438. *quidam excellentiſsimi nihil ſcripſerunt*, 438. *plurimi Doctores ex Dominicanis in Vngaria*, 439. & *deinceps*.

Dæmon, veredarij habitu, Dominicanos, an ex ipſis mittendi eſſent in Vngariam, interrogat, 35.

Dæmones conqueruntur, ſe vel per juvenes ad Ordinem receptos confundi in Vngaria, 36.

Dominicani, cur codices, virgam, & variam habitum deferant 93. 94. *plures ex ijs Tartarorum manus effugere in Vngaria*, 55. *aliqui cum Franciſcanis apud Ciſtercienſes ope divina ſaluati*, 55. *Dominicani, & Franciſcani, diebus* 50. *ducentamillia hominum ad fidem convertunt in confinibus Vngariæ*, 480.

S. Dominici O. Prad. fundatoris imago de Suriano, inſigniter miraculoſa, 72.

S. Dominicus, novem mortuos ſuſcitavit in Vngaria, 75. *ſeq. innumera alia miracula fecit ibidem, è quibus aliqua recenſentur*, 79. *ſeq. cur tot fecerit miracula*, 86. *magna populorum devotio ad S. Dominicum in Vngaria*, 86. *Dominicus Gravina*, 392. * 69.

E.

Eccleſiæ vnitas, capitis vnitatem expoſcit, 193.

Eliſabetha, Andreæ 2. *Regis Vngariæ F. Sanctitas*, 19. 252. *amita B. Margaritæ O. P.* 388. *magiſtrum, & directorum ſpiritualem habuit Fr. Conradum Marpurgenſem Inquiſitorem, & Martyrem O. Prad.* 385.

Eliſabetha, filia Stephani V. O. P. 383. *ſanctimoniæ, & humilitatis exemplar*, ibidem. *quid monaſterio à Patre obtinuerit*, ibidem. *quo anno vixerit*, 384. *vbi ſepulta*, ibidem.

Eliſabetha, filia Andreæ III. O. P. 384. 385. *virtutibus, & miraculis clara*, ibidem. *tanquàm Angelus reliquis Sororibus admira-*

bilis, ibidem. *quo anno mortua*, 385.
S. Emericus, *S. Stephani I. Regis Vngariæ*, *filius*, 18.
Episcopi qui dicantur, 394.
Episcopi Ord. P. ad Vngariam attinentes, 405. *& deinceps.*
Episcopus primus in Ordine Prædicatorum, *quis fuerit*, 506.
Episcopus primus Bosnensis, *quis*, 405.
Eustachius O. P. laudatus, *& Abbas postulatus à M. Corvino*, 415.

F.

Franciscani, *u. Dominicani*, *S. Margarita.*
Fundationes Ecclesiarum, *& piorum locorum*, *olim innumerabiles in Vngaria*, 22.

G.

Gentilis ex O. Minorum Card. Legatus in Vngariam B. Augustinum Zagrabiensem Epis. sibi coadiutorem assumit in præcipuo legationis negotio, 118. 23. * *seq. Fr. Benedictũ Vngarum O. P. Episcopum facit in Transsylvania*, 409. *ad instantiam B. Augustini Ordinẽ S. Pauli I. Eremitæ autoritate Apostolica confirmat*, 32. *
Georgius Lippai Episc. Vesprimiensis, *& Regni Hung. Cancellarius*, 317.
S. Gerardus Episcopus Chanadiensis, 20.
Gerardus, *Prior*, *& Confessarius Mariæ Reginæ Vngariæ*, 107. *post mortem apparens Reginæ*, *prædicit ei pacem inter Reges Belam*, *& Stephanum*, *ibidem*, *& 105.*
Gratia Dei neglecta, *non facilè redit*, 164.
Gregorij 9. Sum. Pont. commissiones multæ pro gravibus rebus factæ Fratribus Prædicatoribus, *in Vngaria*, 465. 466.
Gregorius X. pro processu vitæ, *& miraculorum B. Margaritæ Commissarios designat in Vngaria*, 311. *committit Provinciali Vngariæ O. P. indictionem belli contra Saracenos*, 472.
Greg. XII. Cardinales creat B. Ioannem Dominici, *alios q*, 181. *seq. mittit illum Legatum suum ad Sigismundum Regem Romanorum*, *& Vngariæ*, 187. *mittit illum ad Concilium Constantiense*, *quod approbat*, 190. 192. *laudatur*, 187.
Gregorius Nagyfalvi Episcopus Vaciensis, 533.

H.

Hæresis Illyricanas regiones defœdans, 65. *Fraticellorum*, 426. *Hungariam inficiens tempore Concilij Constantiensis*, 198. *animæ simplicis*, 407.
Hæretici in Bosnia, & Dalmatia, per Fratres Pr. conversi, 464.
Hæreticorum pœnæ legibus Hungaricis latæ, 423.
Hæreticus in Ungaria singularis, per Theologum Ord. Prad. ad Fidem quomodo perductus, 491. *& seq.*
Hæretici, qui habendi, 461. *quantùm oderint S. Inquisitionis Officium*, 421. 422.
B. Helena Ungara, Virgo Sanctim. O. P. 212. *vita ad miraculum stupenda, ibidem. B. Margaritæ magistra, ibidem, & 214. stigmata à Christo recipit*, 212. 217.
Herbordus, u. Riboldus, 408.
Historia Sacra, & Ecclesiastica vtilitas, 1. *& seq.*
Homines magis dulcedine, quàm severitate duci, 170.
Honores, & voluptates, non quærenda in monasterijs, 259.
Honorius 3. Pont. dat literas B. Paulo, & Socijs pro Ungaria, 463. *ejus jussu Fratres Prad. Bosnenses, & Dalmatas convertunt*, 464.
Hospitibus Fratres Prad. in Ungaria recipientibus, qua Deus miraculosè contulerit, 37.
Hungari bello inclyti, 16. *litteris addicti, ibid. hospitales*, 22. *in fide Orthodoxa propaganda ardentes*, 22. 423. *Imperatores dederunt Imperio Rom.* 16. 528. *viros Sanctissimos Ecclesiæ*, 17. *seq.*
Hungaria denominatio, situs, ambitus, vbertas, 13. *& seq. in ea rivus, in quem ferrum immissum, vertitur in cuprum*, 15. *ejus Patrona B. V. Deipara*, 22. 609. *Regnum Apostolicum, & quare*, 18.

I.

Iacobus Ragusinus O. P. Episcopus Tribunensis, 413.
Iacobus de Clavaro O. P. hæreticum singularem in Ungaria convertit, 490.
Iacobus Nemethi. S. I. 59. 68. 220. 340. 379.

Imperatores Pannones, 16. 528.
Incineratio corporis, non minoris *Sanctitatis indicium*, 330.
Indulgentias 20. 30. & 40. *dierum*, *Fratribus Prad. Cumanis largiri conceſſum*, 467.
Indulgentia 140. *dierum viſitantibus corpus B. Virg. Marg.* 341.
Ingenio qui plus valere videbantur, *ſæpè evadunt obtuſi*, & *è contra*, 164.
Inimici hominis verè, *ac propriè*, *mundus*, *caro*, *dæmon*, 482.
Innocentij 4. *Su. P. commiſſiones multæ pro gravibus rebus Prædicatoribus in Regno Vngariæ factæ*, 466. *ſeq.*
Inquiſitionis S. Officium, *cur*, *quando*, *à quo*, *quibus ſuggerentibus inſtitutum*, 417. & *ſeq. quale munus*, 417. *quàm inviſum hæreticis*, 421. 422. *adhuc florens*, & *vigens in Catholica Eccleſia*, 420. *viguit in Vngaria*, 423. & *ſeq. quando primùm in eam inductum*, 423. *perduravit*, *quamdiù Regnum integrum ſtetit*, 429. *in Dalmatia adhuc perſeverat*, 450.
Inquiſitionis Sanctæ per Vngariam Commiſſarius Apoſtolicus, *Fr. Antoninus à Greſupto*, 430.
Inquiſitor primus abſolutè, *quis fuerit*, 418.
Inquiſitores per Orbem à Pontificibus deſtinati, 421. & 422.
Inquiſitores ſimpliciter primi, *qui in Vngaria fuerint*, *incertum*, 424.
Inquiſitores inter primos Vngariæ, *qui recenſeantur*, 424.
Inquiſitores quidam in Vngaria, *quorum nominatim extat memoria*, 427. 428.
Inquiſitorum egregia geſta in Vngaria, 424. & *ſeq.*
Inquiſitores ſpeciales in Vngaria, 427. 478.
Ioannes Vngarus O. P. Inquiſitor, *Epiſcopus*, & *Martyr*, 406. 407. *qua de cauſſa*, & *quomodò interfectus*, *ibidem. quo anno Chriſti*, 407.
Ioannis 22. *Sum. Pont. commiſſiones variæ pro Fratribus Prædicat. in Vngaria*, 478. 479.
B. Ioannis Teutonici, *Provincialis*, & *Epiſcopi in Vngaria*, *patria*, *profectus*, & *ſtatus religioſus*, 91. & *ſeq. S. P. Dominici manibus monachum induit*, 92. *fructus prædicationum ejus*, 93. *miraculis*

ſplendet ibidem, & ſeq. zelus, & caſtitas, 95. Provincialis Ungariæ, 97. Epiſcopus Boſnenſis, ibid. qualis in Epiſcopatu, ibid. num primus Epiſcopus ex Ordine, 405. num primus Boſnenſium, 406. renunciato Epiſcopatu, invitus Ordinis Præfecturas ſubit, 98. geſta in Generalatu, 99. ſeq. pie moritur Argentinæ, 103. miraculis claret etiam poſt mortem, ibid, ſeq. literis Regum Ungariæ commendatus poſt mortem, 103. ſeq. tranſlatio corporis ejus, 103.

Ioannes Dominicus O. P. Legatus Pontificius in Dalmatiam, 479.

Ioannes Dominici Florentinus, Archiepiſcopus, & Cardinalis Raguſinus, 156. parentes ejus, & educatio, ibidem. ſtudia, & exercitia pueritiæ, & adoleſcentiæ, 157. habitum Ordinis, non ſine aliquorum contradictione, induit, 160. & ſeq. profectus & vitæ auſteritas, 168. profectus in ſtudijs, 168. in concionando inſignis, 169. 176. ſeq. qualis in Ordinis præfecturis; ad quas invitus promotus, 171. S. Theologiæ magiſterium delatum ex humilitate recuſat, 172. religioſæ obſervantiæ primus in Italia reparator, 173. commendatur à S. Vincentio Ferrario, 175. miſſus à Rep. Florentina legatus ad Greg. 12. Sum. Pon. ab eo cen Angelus exceptus, Archiepiſcopus Raguſinus, nolens, ac deinde etiam Cardinalis creatur, 181. legatus ad Sigiſmundum Regem Vngariæ pro Eccleſiæ neceſſitatibus, 187. urget Gregorium, vt Pontificatui reſignet, 185. iterum legatus ad Sigiſmundum, agit de modo vnionis, 183. 490. concedit ad Concilium Conſtantienſe cùm Gregorij mandatis, & literis opportunis, 191. & ſeq. ibi propoſitis primùm communibus Gregorij literis, ac deinde opportunè ſecretiora continentibus, rem Eccleſiæ prudentiſſimè conficit, 193. Cardinalatui renunciat, eo reſtituitur, & Concilij præſidentia honoratur, 194. quanta ejus autoritas, ibidem, & ſeq. multa apud Sigiſmundum Regem Rom. 1961. finito Concilio, poſtulatus à Sigiſmundo in Vngariam Legatus cum eo venit propter hæreſes, 197. 490. remedio fruſtra tentato, Budæ ſanctiſſimè decedit ex vita, 201. ſepelitur apud Paulinianos, 204.

205. miraculis illustratur, 201. laudes S. Antonini, & aliorum de ipso, 205. & seq. ingenij solertia omnes scientias perse didicit, 205.208. Ecclesiæ S. ornamentum, 209. magna causa vnionis Ecclesiæ, 207. 209. maledicta, & injurias, ingenti animo pertulit, 209.

Ioannes Stoicus, à Ragusio, O. P. ex Prov. Vng. Magister in Philosophia, & Doctrina Sacra valde eminens, 445. præmittitur á Iuliano Cardinali ad auspicandum Concilium Basileense, quod & facit, 446. 494. per octiduum in Concilio, Hussitas, quoad necessitatem communionis sub vtráq; specie, confutavit, 447. 494. legatus Constantinopolim ad Imperatorem Græcorum, 402. Episcopus Argensis, 410. Patriarcha, 402. Cardinalis factus à Concilio, sed non inscriptus catalogo Cardinalium Ordinis, ibidem, scripta ejus, 448.

Ioannes à Dyrrachio O. P. Episcopus Tribunensis, 409.

Ioannes Dalmata, Scriptor O. P. 449.

Ioannes Claudiopolitanus, O. P. 411. in jure Canonico, & Theologia Doctro egregius, 440 factus Episcopus Chanadiensis à Pio IV. ibidem. interfuit Concilio Tridentino, in quo & mortuus est, 499.

Iustitiam in proprium filium administrare Regi glorioſissimum, 448.

L.

S. Ladislaus Vngarus, & Vngariæ Rex, 19.

S. Laurianus Vngarus, Archiep. & Martyr, 17.

Laurium Civitas, in qua B. Paulus Vngarus prædicavit, 33.

Laurienſe Cœnobium, pro laurienſe, vel laurinenſe, 33.

Leonardus Raguſinus, ſcriptor O. P. 499.

Leonardus de Valle, reformator Provinciæ Vngariæ, 589.

Linguæ impeditioris homines, Dei Legati, 165.

Loca, ſive Vicariatus Provinciæ Vngariæ, 540.

Lutherani, & fautores eorum, quibus pœnis plectantur ſecundùm leges Vngariæ, 423.

M.

Malendis, & Alanis Prædicatores missi ex Dominicanis, 479.
Manichæi Bosnenses conversi opera Cardinalis de Turre Cremata, O.P. 496.
Marcellus Vngarus O. P. Provincialis Vngariæ, 108. *magnæ virtutis, ibidem. zeli, & observantiæ religiosæ, ibidem. visio ejus cœlestis de Patrum perfectione*. 109. *pater spiritualis, & director B. Margaritæ*, 108. *interest supremæ illius ægritudini* 109. 268.
B. Margarita Virgo, filia Belæ IV. R. Vngariæ. 220. *qui gesta illius scripserint*. 220. 221. *ortus, locus*, 222. 223. *cur Margarita vocata*, 224. *educatio, pietas, prophetia in tenella ætatula*, 224. *quadrimula Ord. P. ingressa Vesprimij, virtutibus fulget*, 226. *Magistræ illius*, 214. *& seq. in novum Monasterium à Patre extructum inducitur*, 228. *præfectus curæ ejus Monasterij, an Vmbertus Burgundus*, 230. *profitetur solemniter Ordinem in manibus Vmberti*, 231. *quæ Belæ parens tunc munera obtulerit*, 231. *adhuc extant aliqua, ibidem. professa quàm insigniter virtutibus claruerit*, 231. *vermes, quibus pro Christo gaudebat, in pretiosissimas gemmas conversi*, 234. *Virginitatis cultrix præcipua, mavult se oculis, naribus, labiisq; detruncare, quàm etiam cum dispensatione Pontificia nuptijs assentiri*, 236. *& seq. summa obedientia, & paupertate* 241. *mira humilitate, & mansuetudine*, 243. *Charitas ejus ad proximos*, 246. *seq. Zelus, & devotio ad Sanctos*, 250. *reverentia ad divinam Eucharistiam, & præparatio ad ejus susceptionem*, 257. *Studium orandi perpetuum*, 243. *perfectionis Sanctorum æmula, ad summam perfectionis pervenit*, 259. *vitarum Sanctorum lectione cum primis delectabatur*, 251. *Collationes Patrum assiduè versabat*, 258. *documenta illius, & dicta*, 259. *dictum, hoc non est in regula Sororis nostræ Margaritæ*, 259. *ob peccata, & ærumnas hominum se affligebat*, 260. *seq. martyrij desiderium ardentissimum*, 262. *donum Prophetiæ*, 263. *seq. ægritudo illius suprema, & mors ab illa prædicta*, 265. *seq. quæ circa illam contigere, ibidem. mortua die 18.*

Ianuarij, non 28. 270. gloria ejus variis signis de Cœlo ostensa, 271. seq. miracula varia tam in vita, quàm post mortem, à 276. vsq; ad 309. canonizationis illius tractatio, 311. Greg. 10. & Innocentius 5. designant, & mittunt Commissarios, 312. & 313. Reges, Stephanus 5. Carlobertus, Matthias Corvinus agunt pro illa apud Apostolicam Sedem, 313. 379. duo mira, quæ acciderunt, dum prima fieret perquisitio, 312. indiculus Sororum examinatarum, 218. & seq. indiculus aliorum, sed mancus, 326. corpus, & reliquiæ B. Margaritæ, vbi, 327. autoris peregrinatio ad eas venerandas, 327. seq. numerus, & qualitas reliquiarum, ibidem. laudes Scriptorum de B. Marg. 330. seq. indulgentiæ concessæ visitantibus Ecclesiam, & corpus B. M. 340. seq. officium illius Ecclesiastic ũ, 142. carmina in laudẽ à 352. Matthiæ Coruini litera ad Pontif. & Cardinales pro ejus canonizatione, 380. seq.

S. Maria Virgo Deip. patrona Vngariæ, 22. 609. ejus imago cum eodem elogio omnibus Regni Vngariæ pecuniis apprimitur, 22. magnus illius honor apud Hungaros, ibidem.

*Martyrum numero, martyriq; primatu, Vngariæ Provincia reliquas excedit, 61. Martyres duo primùm à Cumanis occisi, 40. alij 90. cum B. Paulo perempti in Cumania, 46. centumnonaginta circiter cum B. Buzad per Tartaros in Vngaria sublati, 55. triginta duo in Vngariæ confinibus à Turcis submersi, 64. complures in Bozna, & Dalmatia ab hæreticis odio fidei necati ibid. viginti sex à Turcis palis suffixi, * 72. alij in Beregszasz odio fidei mactati, 68. futurorum Martyrum miraculosa inscriptio in Martyrologio, 70. martyres 48. cum B. Sadocho coronati ibidem. Martyres, qui à Tartaris in Cumania, & Hungaria occisi, propugnati, * 45. & seq. fusè.*

*Martyrium, quot, & quas conditiones requirat fusè * 45. vsq; ad 55. an martyr, qui occiditur ob actum virtutis transactum * 55. an occisus in bello contra hostes fidei * 55. seq. an laudabile, se ad martyrium offerre * 58. seq. quid de illis, qui in tormenta ab hostibus fidei parata se coniecerunt. * 61. an martyrium cadat sub præ-*

cepto * 62. num ad martyrium opus sit, vt quis expressè moriatur, quòd fidem negare, vel Deum offendere nolit, dum ad id cogitur. * 64.

Matthæus Escandelius Vngarus Budensis, insignis sanctitate, martyrio, miraculis, apud Sinas, 20.

Matthias Corvinus, Rex Vngariæ, literis favet, & studiosis. 453. cœpit scientiarum Academiam Budæ apud Prædicatores, ibidem. sollicitat canonizationem B. Margaritæ, 380. promovet ad Episcopatum Modrusiensem Fr. Antonium Iadrensem O. P. 452. rogat Pontificem, vt preficiat Abbatiæ Topouzka Fr. Eustachium O. P. 455. laudatus funebri concione à P. Razzano O. Præd: ibid.

Matutinas ad preces nocte media etiam in hospitijs extra Conventus, Ord. P. religiosi in Vngaria consurgebant, 34. 148.

B. Mauritius Chak Vngarus O. P. ex stirpe regia, 143. Ortum ejus B. V. Maria pranunciat, ibidem. puerulus pietati deditus, aras extruit, hymnos decantat, catechistam agit, 144. ex audita à quodam religioso O. P. S. Alexij vita, Ordinem ingredi deliberat, 144. matrimonium init invitus; sed biennio post cum Conjuge Religionem intrat, multaq; à Socero, & affinibus patitur, 145. Ordini redditus, Bononiam mittitur, 145. maximis virtutibus in omni austeritate, & humilitate claret, 146. miraculis fulget adhuc vivens, 148. januis clausis, nocte media, ex hospitio intrat Ecclesiam cum Socio, 148. 151. 533 moritur Iaurini, 149. mortuus aspectandi Sacramenti Corporis, & Sanguinis Christi gratia, oculos reserat, 150. corporis ejus suavolentia mirabilis, 150. apparet post mortem, & gloriam suam revelat, ibidem. complura facit miracula, 150. notantur quædam circa narrationem pranunciatæ ab eo mortis Regi Vngariæ, 151. & seq. sacri ejus corporis reliquiæ, sive incendij, sive Turcarum vastatione perierunt, 154.

Michael Italus Murianensis O. P. Archiepiscopus Spalatensis, 404.

Miracula, non fiunt nisi à Deo vt causa principali, 276. cur fiant, ibidem. cur ab hæreticis rideantur, 84. hæretici ea habere neque-

nnt, ibidem. tentarunt facere, sed ex vivis mortuos fecere: quæ est nota hæreticorum, 85. quid ea præstent in Ecclesia. ibidem.
Miracula, S. P. Dominici in Vngaria, 72. seq. B. Ioannis Episcopi Bosnensis, 94. 95. 102. seq. B. Augustini, 117. seq. * 41. B. Mauritij, 148. B. Io. Dominici, 201. B. Helenæ, 13. B. Margaritæ, 276. seq. fusè. Rosarij Deiparæ Virginis, 565. seq. facta hospitibus Fratrum P. P. in Vngaria, 37.
Monasteria Sororum O. P. in Hungaria fusè à 541. & deinceps.
Moyses, cur vitam S. Iobi conscripserit, 3. 4.
Munera varia, FF. Prad. pro bono Ecclesiæ, & Regni Vngariæ commissa, toto libro 4. 3. partis, à 463 ad 502.

N.

N. Vngarus, juvenis O. P. Sanctissimus, 112. infans mortuus, S. Dominici arbitrio suscitatus, ibidem. mira de gloria cælesti, Deipara, Angelis, S. P. Dominico, ejusq; Ordine narravit, 113. ad cælestia semper intentus, ibidem.
N. Cumanus, O. P. ex Ducibus Cumanis ortus, 110. sub septennium mactatus à Dæmone, vitæ restitutus, 110. baptizatus, & in Ord. Prad. in habitu sæculari educatus, punitur gravissima agritudine, quòd tunicam veterem sine licentia dederit lotrici, 111. visio illius, ibidem. post receptum habitum Ord. & Sacerdotium, multos Cumanos ad fidem convertit, ibid. à Thoma Cantipratano valde laudatus, 110. 111..
Nicolaus 4. Su. Pont. bullam dat amplissimam, Fr. Prad. apud Hungaros, & Cumanos, 473.
Nicolaus Hungarus, O. P. Inquisitor, Episcopus, & Martyr, 64. 407. cur, & quomodo occisus, 424. quo anno, 407.
Nicolaus Italus Tarvisinus, Mag. O. P. & Cardinalis Hostiensis, Legatus de lat. in Vng. & quamobrem, 396. 473. 474. * 23. quæ ibi fecerit, sup. quid Viennæ apud Prædicatores, 397. post Bonifacium 8. fit Pontifex ibidem. creat B. Augustinum Vngarum Episcopum Zagrabiensem, à cujus osculo manus chiragra sanatur, 117. * 6. quanta sanctitatis, & doctrinæ, 398. scripta ejus, ibidem.

Nicolaus Sezzenſis, O. P. *Archiep. Zarenſis*, 404.
Nicolaus de Ovis, *Italus Forocornelienſis*, O. P. *Archiep. Raguſinus*, 464.
Nicolaus Mirabilis, *Vngarus Coloſvarienſis* O. P. S. T. D. & *Profeſſor*, *totius Regni Vng. S. Officij Inquiſitor*, & *Apoſtolicus Prædicator*, 428. 429. *ſcripta illius*, 456.
Nicolaus Eſtheraſy de Galantha, *Palatinus Princeps*, *cum alijs Regni Hungariæ Magnatibus commendatus*, 21.
Nicolaus Dux Boſniæ, *opera fratum Prad. hæreſim ejurat*, 464. *fidem probanti*, *filius apud fratres obſes*, *reſtituitur*, *ibid.*
Nuncij Apoſtolici O. P. in Hungaria, 44.

O.

Orare benè quomodo poſsimus, 259.
Ordines Religioſi in Hungaria olim plurimi, 22. *nunc qui*, 20.
Ordo Prædicatorum, *quando primùm in* Provincias *diſtributus*, 24. 564. *quo anno*, & *ſub quo Rege Vngariam ingreſſus* 25. 27. *ejus excellentia*, 113. 114. *Provincia ejus* 504. *Conventus*, *Collegia*, *Loca*, *Monaſteria*, *quot*, & *qua*, *in Vngaria*, 506. *ſeq. fuſè.*

P.

Paci componenda inter Belam parentem, & *Stephanum filium*, *Reges Vng. Provincialis O. P. jubetur dare operam à Pontifice*, *quæ tandem ſecuta eſt*, 472.
Papa, *Chriſtus in terris*, 485. 487.
Parentes ſeniculos, *quòd linqueret in ſæculo*, *objurganti quid reſponderit B. Ioannes Dominici*, 161.
Patriarcha, *quis dicatur*, 395. *quis ex* Provincia *O. P. Vng.* 402.
S. Pauli l. Eremitæ Ordo, *quando*, *à quo*, *quo tempore inſtitutus*, 475. *ſeq. quorum favore promotus*, 476. *confirmatus* * 32. *quàm floruit in Vngaria*, 476. 493. *habitus*, *privilegia*, 477.
B. Paulus Hungarus O. P. Magiſter, & *profeſſor Iuris Canonici in Bononienſi Academia*, *recipitur in Ordinem à S. Dominico* 31. *mittitur ab eo ipſo anno cum quatuor Socijs ad fundandum Ordinem*, *in Vngariam*, 31. *in confinibus Dalmatiæ prædicans*, *tres ado-*

leſcentes ſcholaſticos ad Ordinem ſuſcipit, 32. P. Provincialis, & fundator Provinciæ Vngariæ, 30. ſeq. cum ſeptem aliis fratribus Vngariam ingreditur, 36. primos Conventus, laurini, & Veſprimij ædificat, 38. vir potens opere, & ſermone, 32. Dux verbi appellatus ibidem. mittit fratres ad confinia Vngariæ, ſubinde ad Cumanos, 38. rogat ſuperiores pro auxiliaribus copijs, 42. magnis laboribus per 19. vel 20. annos in varijs regionibus exantlatis, cum 90. fratribus martyrio laureatus, evolat ad Cœlum, 41. 49. mors ejus nequit referri in annum 1221. vel 1222. 43. laudes ejus, 46.

Paulus O. P. Prior in Dalmatia, martyr, 64.

Paulus Hungarus O. P. Epiſcopus, 407.

Paulus Ligur Monelienſis, O. P. Epiſcopus Chienſis, & Nuncius Apoſtolicus in Hungaria, 413. 456. 457. pietas, eruditio, ſcripta, 456. 407. moritur Budæ, ibidem.

Peregrinantium Societas O. P. vnde originem duxerit, 577. quando, & á quo, vni Vicario generali ſubjecta, 578. quot Conventus habuerit 578. qua bona pepererit, 579. quas mundi partes peragraret, 577. gratia & favores Pontificum, 579. 580. labefactata per Turcas, 508. reſtituta, ibidem. habitus peregrinantium, 581. duratio, ibidem.

Perfectio Patrum antiquorum, in quo ſita, 109. 259.

Petrus Vngarus O. P. Epiſcopus Boſnenſis, 409.

Petrus Ranzanus, O. P. Epiſcopus Lucerinus, 414. 415. 454. eruditione, & eloquentia præclarus, ibidem triennium in Vngaria legatus Regis Neapolis, 497. ſcribit ad Matthiam de rebus Vngaricis, 456. ſcribit multa alia, ibidem. orationem habet in funere Matthiæ, 415.

Petrus Niger Germanus, O. P. 449. doctor egregius, 450. confutat per dies multos Hebræos publicè, ibid. Regens, & caput ſtudij omnium ſcientiarum, Budæ à Matthia Rege erecti, conſtituitur, 451. ſcripta illius, 451. 453.

Petrus de Herrera, O. P. Primarius Salmanticenſis, & Epiſcopus,

Magister Autoris, quanta eruditionis, 438.
Petrus de Ledesma O. P. Vespertinus Salmanticensis, Magister Autoris, quanti faceret Cardinalem Cajetanum, 458.
Petrus Pazmany, Vngarus, Arch. Strigoniensis, & S. R. E. Cardinalis, cum alijs Vngariæ Prælatis, commendatus, 20.
Pius V. Pont Max. ex Ord P. pro Vngariæ Regno sollicitus, mittit Oratores, erumnis ejus intimè indolet, &c. 500. 501. 502. Conventus ejusdem, cujus Author, & generalis Commissarius S. Officij, 420. mittit Fr. Antoninum Grosuptium O.P. ad Archiepiscopum Strigoniensem, & alios Episcopos, 500. eundem facit Commiss. S. officij per Hungariam, 431.
S. Pollio Martyr, Hungarus, 17.
Prædicatores, dolebant religiosos sui Ordinis ad Ecclesiasticas dignitates promoveri, 101.
Prædicatores, sunt Coadiutores Episcoporum, & Parocherum, 434.
Primates Latinis, qui Græcis Patriarchæ, 395.
Propheria est actualis, & transiens illustratio, 267.
Provincia Vngariæ, quibus alias excedat, 61. seq. ejus institutio, 503. Ordo, 504. Conventus, 506. seq. fusè collegia, loca, monasteria, 541. & seq. capitula generalia, 553. & seq. quamdiu viguerit eadem provincia, 592. inclinatio ejus, & causse, 593. & seq. quomodo utcumque reparata, 596. quando extincta, 598. acta pro religione nostra postliminio in Vngaria reparanda, 600. seq.

R.

Rectores Ecclesiæ, magnæ dignitatis, 391. 392.
Reformatio, quid in sacris Religionibus, 582. unde ejus orta necessitas, ibidem, & seq. qui præcipui reformatores observantiæ regularis in Italia, & Germania, 584. Provincia Vngariæ, per quos, & quando reformata, 585. seq.
Regnum à Religione fovetur, & è contra, 419.
Religionum honos à dignitatibus Ecclesiasticis, 391. & seq.
Riboldus, sive Herbordus Vngarus, O. P. Episcopus Bergomensis, quan-

tus, & quanta fecerit, 408. 409.
Rosarium, quid, & quibus precibus constet, 560. qua occasione, per quem, & quomodo institutum, 561. 562. innovatio 563. miracula per illud patrata temporibus nostris fusè, 564. & seq. viguit in Hungaria, 575. modus & ritus recitandi, 77.

S.

B. Sadoch O. P. coapostolus B. Bauli in Hungaria, vir magnæ sanctitatis, & perfectionis, 31. 34. audit, orans, dæmones conquerentes de ingressu Ordinis in Hungariam, ibid. plures annos in messe Vngarica laborat, 68. seq. Prior Sandomiriæ cum 48 fratribus à Tartaris Martyrio coronatur, 69. seq. pranunciatio illius martyrij mirabilis, ibidem.
Sancti viri, quantùm profecerint legentes gesta Sanctorum, 5. deinceps.
Sanctimonialis una adhuc superstes ex Provincia Vngariæ, 509.
Schismaticis convertendis laborant fratres Provinciæ Vngariæ, 38. 65.
Scriptores O. P. ad Vngariam attinentes fusè, 441. & seq.
Sigismundus Rex Vngarorum, & Imperator, strenuè pro auferendo schismate laborat, 188. B. Ioannem Dominici Cardinalem Ragusinum magnifacit, & Legatum ducit in Vngariam, 197. Moritur Znoymæ in domo, quæ adhuc visitur, 536.
Sordes, aliqui Sanctorum Christi caussa non horruerunt, 234.
S. Stephanus, I. Rex Vngariæ, & Apostolus, 18. magna ejus pietas, ibidem. Ecclesia Rom. Regnum suum addicit. ibid. coronam Regni, Angelo monente, meretur accipere, ibidem. devotio ejus ad B. Virg. Deip. ibidem. 609. 610. 611.
Stephanus Sennyei, Episcopus Iaurienſis, & Regni Cancellarius, vir insignis, amicus, & patronus O. P. 155.
Stigmata à Christo recipit B. Helena Vngara, O. P. 212. 217. seq.
Stigmatum privilegio plures ex P. O. decorati, 219.
Subsidijs pro Terra Sancta colligendis Fratres O. P. Vngariæ deputantur, 472.

T.

Tartari Poloniam, & Vngariam devastant, 52. 53. quibus copijs, quanto

tempore, quibus Principibus, 51. seq. in Cumania B. Paulum cum 90. socijs 46. in Hungaria B. Buzad Banffi cum centum nonaginta circiter alijs fratribus occidunt, 56. Sandomiriæ in Polonia B. Sadochum, & alios 48. perimunt, 69. seq. Vratislaviæ B. Ceslai meritis arcentur, 52.

Templariorum causſa Inquiſitoribus O. P. in Vngaria demandata, 425.

S. Thomas Aquinas, intercedit apud Vrbanum 4. pro Ordine S. Pauli primi Eremitæ, 476.

Thomas Batka, Vng. O. P. Epiſcopus in Moldavia, 411.

Thomas Vius Cajet O.P. Legatus de Lat. in Vngariam, & quamobrem 400, quid inibi præſtiterit, ibidem, 401. 498. quæ ſcripſerit in Vngaria, 457. quantæ eruditionis, & ſanctitatis, 459. 460. laudes ejus, ibidem.

*Turcæ, multos fratres ex Prou. Vngariæ aquis ſubmergunt, 64. diſſipant reliquias, B. Ioannis Dominici, O. P. 202. ædificant ſumptuoſa balnea monumentis marmoreis Chriſtianorum incruſtata, 203. devaſtant regnum Hungariæ, 593. venerationi habent Tiliam arborem à B. Auguſtino O. P. plantatam. * 22.*

V.

Valachi, opera Fratrum P. P. converſi, 480.

Veſprimium Vrbs Vngariæ, in qua Conventus Fratrum, & Sororum monaſterium a principio extructa fuere, 212. 534. 543.

Viennenſis Conventus inhabitari cœpit a Fratribus Provinciæ Hungariæ anno 1225. ex eo Conventus Chrempſenſis propagatus, 26. conſecratio Eccleſiæ, & Chori, 397. reformatio, 585. 582. viri aliquot ex eo celebres, 585. laudatus à Pio 2. ſum. Pont. 587. ſeq.

S. Vincentius Ferrarius, quantùm ex lectione geſtorum S. P. Dominici profecerit, 7. quo præconio B. Ioannem Dominici laudaverit, 175.

Virtus nulla, etiam moralis, abſque Charitate, 8. 481.

Vitæ Sanctorum longè vtiliùs leguntur ad virtutem comparandam,

quàm Philosophorum, 7.
Ungaria v. Hungaria.
Urbanus 4. jubet Provincialem Vng. agere ad pacem componendam inter Reges, 472.
Urbanus V. scribit pro Regni Hung. Fratribus O. P. 480.
Urbanum VI. tuetur Ludovicus Rex Vngaria propter literas S. Ca-Senensis, 488.
Urbani VIII. decretum circa venerationem Sanctorum, 91.

FINIS.

549-4961